

LIBER  
DE FACULTATIBVS  
NOSTRVM CORPVS DIS-  
PENSANTIBVS.

DE SEMINE tractatus, ordine definitio comprehensus: vt cuncta quæ de Semine  
habentur, ex vnica definitione memoriæ subijciantur.


DE HOMINIS procreatione a conceptu in partum.

APPENDIX quo docemur, quid naturale, quid ve miraculosum, in conceptione &  
partu Domini nostri IESV Christi interfuerit.

APPENDIX quo docemur quam parû possit Astrologicus horoscopus, fortunam  
aut mores hominis qui in lucem editur, mutare aut indicere.

PVERI & puerperæ regimen, vbi omnia quæ ad nutricem, obstetricem, pedotribam,  
vtero gerentem, & enixam attinent traduntur.

¶ Petro de Peramato Excellentissimi Ducis de Medina Sydonia Proto-  
medico Autore.



SANLVCAR A BARRAMEDA. Anno  
M. D. LXXVI.

LIBER  
DE FACULTATIBVS  
NOSTRVM CORPVS DIS-  
PENSANTIBVS.

DE SEMINE tractatus, ordine definitiuo comprehensus: vt cuncta quæ de Semine  
habentur, ex vnica definitione memoriæ subijciantur.


DE HOMINIS procreatione a conceptu in partum.

APPENDIX quo docemur, quid naturale, quid ve miraculosum, in conceptione &  
partu Domini nostri IESV Christi interfuerit.

APPENDIX quo docemur quam parû possit Astrologicus horoscopus, fortunam  
aut mores hominis qui in lucem editur, mutare aut indicere.

PVERI & puerperæ regimen, vbi omnia quæ ad nutricem, obstetricem, pedotribam,  
vtero gerentem, & enixam attinent traduntur.

¶ Petro de Peramato Excellentissimi Ducis de Medina Sydonia Proto-  
medico Autore.



SANLVCAR A BARRAMEDA. Anno  
M. D. LXXVI.



REVERENDI PATRIS HIERONYMI

Lopez Consocrensis, Hendecasyllabi.

Censor candidè, tuq̄ amice lector,  
 Hic noster Peramatus auctor huius  
 Libri quem legis, aut paras legendum,  
 Quem tu dixeris alterum Galenum:  
 Recens hoc opus ex sui recessu  
 Promit pectoris, vtile elegansq̄  
 Iam libro reserauerat priori  
 Rerum prima elementa, tum secundâ  
 Humores, quibus omne temperatur  
 Corpus, dum generatur ac creatur.  
 Concertu harmoniaq̄ valde mira.  
 Vestigatq̄ animi, docetq̄ vires,  
 Quarum munera ad vltimas vel vsq̄  
 Perducit species nimis peritè.  
 Et de Semine si qua sunt retrusa  
 Et perplexa, nouo ordine explicantur:  
 Quæ pro tempore si legi liceret,  
 Authores legerent vetustiores.  
 At nunc quando hominem creat paritq̄  
 Diuinus videatur esse planè:  
 Humanus pariter pius probusq̄  
 Cum paruum refouet sinu puellum  
 Vagitu tenero nimis dolentem:  
 Cum matri quoq̄ morte comminante  
 Nato restituens suo medetur.  
 Id quod latius ipse te docebit  
 Sua melliflua eloquutione.  
 Non talem dederint recentiores,  
 Nec prisca quoq̄ quamlibet periti:  
 Quo tu Aristotelem & simul Galenum  
 Rectè intelligere, & videre possis.  
 Impugnat bene & optimè refellit  
 Authores, malè pessimèq̄ scripta,  
 Non vano nec inutuli labore.  
 Noua plurima & optima afferuntur,  
 Instaurator enim potest vocari,  
 Non sane minus atq̄ primus author:  
 Longè dummodo liuor omnis absit,  
 Mordacisq̄ canis malum venenum.

DON Philippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragón, de las  
 dos Scicilias, de Hierusalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia,  
 de Galizja, de Mallorca, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de  
 Iaen, de los algarues, de Algezira, de Gibraltar, Conde de Flandes, y de Tyrol, &c.  
 Por quanto por parte de vos el doctor Pedro de Peramato Medico nos fue fecha rela  
 cion, diziendo q̄ vos nos auia des supplicado mandassemos ver y examinar ciertas ad  
 diciones medicinales q̄ auia des cõpuesto, para q̄ se imprimiessen juntamente con otras  
 obras de Medicina de q̄ os auia mos dado licencia para las imprimir, las quales dichas  
 addiciones erã muy vtiles y necessarias: y para q̄ se pudiessen imprimir, nos supplica  
 uades os mãdassemos dar licẽcia y facultad para ello, o como la nuestra merced fuesse.  
 Lo qual visto por los del nuestro cõsejo, auiendose hecho en las dichas addiciones la di  
 ligencia q̄ la premativa agora por nos nueuamete hecha dispone, fue acordado q̄ deuia  
 mos mãdar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razõ, y nos tuuimoslo por bien:  
 Por la qual os damos licencia y facultad, para q̄ por esta vez podais imprimir è impri  
 mais las dichas addiciones q̄ de suso se haze mencion, juntamente con las obras q̄ auia  
 des cõpuesto, q̄ es vn tratado de Elementis, y otro de Humoribus, y otro de plenitudi  
 ne & cacochimia, y otro de Vacuandi ratione per sanguinis missionem, y otro de Pro  
 creatione hominis a conceptu in partum, con tres Appendices de cosas tocãtes ala mis  
 ma materia, y otro de Anima facultatibus que nostrũ corpus dispensant. Las quales  
 por ser obras muy vtiles os auia mos dado licẽcia y priuilegio para las poder imprimir  
 y vender, sin q̄ por ello caygais ni incurrais en pena alguna. Y mandamos q̄ despues de  
 impressas las dichas addiciones, no se puedan vender ni vendan, sin q̄ primero se tray  
 gan al nuestro consejo juntamente con el original que en el fue visto, q̄ va rubricado y  
 firmado al fin del de Gonçalo Pumarejo nuestro scriuano de camara delos que en el nue  
 stro consejo residen, para que se vea si la dicha impressiõ esta conforme al original, y  
 se tasse el precio por que se viere de vender cada volumen, sopena de caer è incurrir  
 en las penas contenidas en la dicha premativa y leyes de nuestros Reynos. Y no fagades  
 ende al, sopena dela nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara.  
 Dada en Madrid a ocho dias del mes de Março, de mil y quinientos y setenta y qua  
 tro años. Va sobre raído dichas addiciones, vala.

D. Eps Segouien.

El doctor Francisco Hernandez de Lieuana.

El doctor Francisco de Auedillo.

El doctor don Inigo de Cardenas çapata.

El Licenciado Couarruias.

Yo Gonçalo Pumarejo scriuano de camara de su Magestad, la fize escreuir por su  
 mandado, con acuerdo delos del su consejo.

# INDEX EORVM QVAE hoc libro præcipue inquiruntur.

## Libro de Facultatibus.

- A**n facultatis essentia in actiui & passiui  
comparatione sit posita. cap. 1.  
An facultates ab anima prodeant, an vero  
idem profus cum anima sint. cap. 1.  
An facultates ab anima sint inseparabiles. c. 1.  
An facultas quæ a principibus membris man-  
datur in exorta, sit spiritus, an temperamen-  
tum, an qualitas alia inominata. cap. 1.  
An facultates per operationes, & operatio-  
nes per obiecta distinguendæ sint. cap. 2.  
An nutritio & augmentatio sint vna actio, an  
diuersæ. cap. 2.  
An distentio & contractio arteriæ, ab vna fa-  
cultate sit: an a diuersis. cap. 2.  
An sentiens atque mouens facultas in neruo:  
sint vna, an diuersæ. cap. 2.  
An eadem facultas sensiuæ, in oculis videat, &  
in auribus audiat: an vero sua insit vnique  
instrumento vis ab altero distincta. cap. 2.  
An spiritus qui ad organa sensuum mittitur,  
facultatem solam illi organo accommodatã  
deferant. cap. 2.  
An cor sit animæ sedes, & omnium facultatũ  
origo. cap. 3.  
An maiora sint minorum principia: an vero  
contra contingat. cap. 3.  
An iecur sit origo venarum. cap. 3.  
An iecur facultatem aliquam venis transmit-  
tat. cap. 3.  
An venæ insita sibi virtute sanguificent, an de  
fluxa a iecore. cap. 3.  
An ad membri principatum sufficiat transmi-  
sio materiæ solius. cap. 3.  
An naturalia instrumeta cõnatã habeant actio-  
nis vim: an vero aliunde ipsis possit influere,  
perinde ac animalibus. cap. 3.  
An naturalia instrumeta pati possint per cõ-  
sensum. cap. 3.  
An per coctionem possit, quod coquitur, di-  
uersum colorem accipere a colore membri  
coquentis. cap. 3.  
An quædam venæ vtiliter interdum refecen-  
tur, ad vlcera contumacia & varices curan-  
das. cap. 3.  
An remedia cordis & iecori applicita, vtilia in  
phrenitide esse possint. cap. 3.
- An aliqua plantis insit pars, ex qua vis vege-  
talis influat reliquis. cap. 3.  
An pituita vaformi, solo famis tempore vet-  
tatur in sanguinem. cap. 3.  
An venarum substantia, sit iecoris substantiæ  
ad similes. cap. 3.  
An concupiscentia sit ex iecore, an ex cere-  
bro & appetitu sensiuo. cap. 3.  
An plantæ sensum habeant commodi & in-  
commodi. cap. 3.  
An nerui exortantur a cerebro. cap. 3.  
An vis sensiuæ a cerebro ceu a principio in se-  
foria influat. cap. 3.  
An cerebrum sit cordis præstantius. cap. 3.  
An vis vitalis, vitalem spiritum gignat coctio-  
nem, an peculiari alia actione. cap. 3.  
Cur animantibus opus sit vi vitali & spiritu:  
sine quibus tñ plantæ seruari possunt. cap. 3.  
An facultas cordis animosa perturbationum  
autor, sit irrationalis, nec ne. cap. 3.  
An cum perturbatio vincit rationem, aut ab  
ea vincitur: necessario debeamus statuere pu-  
gnam duarũ facultatum, vnam rationalem, &  
irrationalem alteram: an vero duo iudicia cõ-  
traria in vna rationali potentia, sufficiat eiu-  
modi pugnam conecitare. cap. 3.  
An irascibilis facultas homini secundum na-  
turam habenti, opituletur rationi: an cupidi-  
tati, & appetitioni sensiuæ. cap. 3.  
An facultas pulsfica simplex sit, an duplex:  
vna contrahens, & altera distendens. cap. 3.  
An distentio & contractio pulsus, sint motus  
contrarij. cap. 3.  
An facultas quæ, pulsum facit, sit a vitali diuer-  
sa. cap. 3.  
An spiritus vitales ferantur cum sanguine per  
arteriarum cavitates: an inter duas arteriæ tu-  
nicas. cap. 3.  
An pulsus a sanguinis intumescencia, & detu-  
mescencia: an a facultate animæ proficiatur. cap. 3.  
An in homine animæ vna plures, sint statuen-  
dæ. cap. 4.  
An nutritrix, auctrix, & procreans facultas, sint  
virtutes animæ diuersæ inter se se. cap. 5.  
An formans facultas sit vegetans, aut altioris

or-

## INDEX.

- ordinis. cap. 5.  
An semen opificem in se contineat, possitque  
in se ipsum agere. cap. 5.  
An semen ad suum interitum agat dum ani-  
mal format. cap. 5.  
Quanta dignitate formans facultas superet  
altricem. cap. 5.  
An formans facultas maneat in corpore iam  
formato. cap. 5.  
An partes solidæ auulsæ possint regenerari.  
cap. 5.  
An solus calor sine virtute auctrice, possit so-  
lida membra extendere. cap. 5.  
An extensio solidorum quæ ad augmentum  
fit, sit motus localis: & an sit rarefactio. cap. 5.  
An augens facultas post iuuentutem sit otio-  
sa. cap. 5.  
An deest facultas discretiua: & an sit eadem  
cum formatrice, & cum instinctu naturali, &  
cum naturali sensu. cap. 6.  
An in applicatione medicamenti compositi  
ex contrarijs, fiat separatio vtriusque contra-  
rij: an vero vtrumque contrariorum applicetur  
vtrique contrario. cap. 6.  
An virtus discretiua discretionem faciat, ac-  
tione sua peculiari: an vero sufficiat tractrix  
& expultrix eiuſmodi separationem facere.  
cap. 6.  
An separatio præui humoris ab vtili, quæ in  
crisibus antecedit excretionem, fiat a faculta-  
te discretrice: an vero coctio sufficiat eam af-  
ferre. cap. 6.  
An sit facultas appetens vna e naturalibus fa-  
cultatibus. cap. 7.  
An continens facultas sit necessaria: an vero  
citra ipsam trahens possit continere alimen-  
tum. cap. 7.  
An expultrix facultas omni nostri corporis  
parti insit. cap. 7.  
Quare expultrix non semper operatur, si na-  
turales facultates non otiantur. cap. 7.  
An ventriculus & iecur facultates naturales  
habeant simplices, an duplices: quædam nimi-  
rum particulares pro se, & alias communes  
pro toto. cap. 7.  
An membra nostri corporis in gratiam pro-  
priae fruitionis operentur semper: an vero  
propter commodum alterius interdum agat.  
cap. 7.  
An ventriculus nutriatur chilo, an sanguine.  
cap. 7.  
An clysteres nutritorij, & liquida quæ ventri-  
culi alterationem fugiunt, & quæ extra cor-
- pori adnouentur, nutrire possint. cap. 7.  
An per incediam ventriculus trahat e corpo-  
re bonum sanguinem, an prauos ichores.  
cap. 7.  
An coquens & aleas facultas confundantur.  
cap. 7.  
An coctiones sint tres. cap. 7.  
An agglutinationem faciat facultas aliqua vi-  
ta: an inapte sponte fiat, vt cera ceræ, & pix  
pici agglutinatur. cap. 7.  
An tres facultatis nutrientis actus, in vnam o-  
perationem conspirent. cap. 7.  
An assimilatio, appositionem antecedit: an  
subsequatur. cap. 7.  
An nutrientis facultatis instrumentũ, sit tem-  
peratura innata. cap. 8.  
An frigus ingrediatur naturæ opera. cap. 8.  
Quomodo omne quod augetur, secundum  
omnem partem augeatur, eadem forma ser-  
uata. cap. 8.  
Cur calor multum auctus tractrici oblit, cum  
sua natura trahat. cap. 8.  
An humectantia & emollientia extra posita  
conueniant colicæ. cap. 8.  
An febris, calida externa admota, & syrupi ca-  
lidi aut frigidi, concoquant: & an commode  
præmittantur purgationibus. cap. 8.  
Quantum valeant plumacæoli, & puer accu-  
bans, in coctione roboranda. cap. 8.  
An pueri coctione præstent iuuenibus. cap. 8.  
An sentiens facultas sit a menyngibus, an a ce-  
rebro distributa. cap. 9.  
Quomodo ledatur motus illæso sensu. c. 10.  
Quomodo concedatur motus in membro  
quiescente. cap. 10.  
An possit sensus amitti motione superficæ.  
cap. 10.  
An phantasia validius per somnum quam per  
vigiliam moueatur. cap. 10.  
An omnis motus qui per muscolum obitur sit  
voluntarius. cap. 10.  
An omnis motus voluntarius per muscolum  
exerceatur. cap. 10.  
An aliquis musculus, neruo careat. cap. 10.  
An medulla spinalis in duas partes sit diuisa,  
dextram scilicet & sinistram: & an vna quæ-  
que ipsarum cavitatem habeat, per quam ani-  
males spiritus ferantur. Et an sola illustratio-  
ne traducatur vis animalis. cap. 11.  
An omnes nerui sint caui. cap. 11.  
An ex vno oculo clauso, ad alterius oculi  
pupillam, ferantur spiritus per arterias, an per  
neruos. cap. 11.

\* 3

# INDEX.

- An facultas animalis traducatur in nervos fo-  
la alteratione & illustratione: an per spiritus  
etiam animales. cap. 11.  
An quinque sensus externi immediate ab ani-  
ma profluant: an a sensu cōmuni, aut alia ani-  
mæ potentia. cap. 12.  
An omnis vis sensiva per omnem neruum in-  
fluat: an certa per certum. cap. 12.  
An sensus communis necessario sit statuen-  
dus. cap. 13.  
An phantasia sensibus externis, an vero prin-  
cipibus animi potentijs sit annumeranda. c. 13  
An phantasia, & memoratiua facultas, sint vir-  
tutes diuersæ. cap. 13.  
An memoria sit potentia cognitiua, an refer-  
uatiua solum. cap. 13.  
An æstimatiua sit ponenda. cap. 13.  
An sensus externi suas operationes dignos-  
cant. cap. 13.  
An sensibilia communia a sensibus externis  
sentiantur. cap. 13.  
An situs sit sensibile commune. cap. 14.  
An numerus sit sensibile commune, & a pluri-  
bus sensibus deprehendatur. cap. 14.  
An motus sit sensibile commune. cap. 14.  
An figura sit sensibile commune. cap. 14.

## Libro de Semine.

- Q**uid sit semen.  
An semen sit principium: & an sit ele-  
mentum in compositione nostri.  
An semen sit animatum, & principium actiuū  
generationis.  
An semen sit organicum.  
An semen sit principium passiuum & mate-  
riale ex quo animal gignatur.  
An mortuæ prægnantis os vteri, adeo sit ar-  
ctum, vt acus cuspidem non capiat.  
An semen mutetur in spiritum complanta-  
tum.  
An coagulum maneat in caseo.  
An semen sit a testibus: an a septo: an a tribus  
membris præcipuis: an a toto corpore.  
An semen sit colliquamentum.  
An semen sit excrementum.  
An testes habeant vim gignendi: an vero tan-  
quam pondera meatus tendentia solum ex  
vfu sint.  
An fœminis semen insit.  
An semen fœminæ, vim habeat actiuam: an so-  
lum materialiter & passiuè concurrat.  
An fœminæ sine mare cōcipere & parere pos-  
sint.  
An semen maris atque fœminæ constituent  
principium vnum.

## Libro de Hominis procreatione.

- A**n fœmineum semen, in sinum, an in cer-  
uicem vteri ei aculetur, vbi Galeni atq;  
Aristotelis discordia examinatur. cap. 1.  
An conceptio sit vteri actio, aut alteratio di-  
uersa ab attractione & retentiōe feminis. Vbi  
Fernelij sententia improbat. cap. 1.  
An chorion membrana, a solo vteri calore  
cogente & incrustante procreetur, vbi Hippo-  
cratis atque Galeni loca explicantur. Quas  
utilitates præstet chorion: & quo artificio v-  
tero copularit ipsum natura, & tot forami-  
nibus pertusum reddiderit. cap. 2.  
Venarum atque arteriarū, ab vtero prodeun-  
tium, in vmbilicum infantis coitio: & eorun-  
dem ab vmbilico in fœtum distributio. cap. 2.  
An menses prægnantium, sint ex vtero: an ex  
cervice. cap. 2.  
Notissimum est iecur ex venis quæ vmbilicū  
prætergressæ diducuntur generari: cor vero  
an ex arterijs, an ex venis, an ex vtrisque du-  
cat ortum, non est vsque adeo notum. cap. 2.  
An allantois tunica vna cum chorio gene-  
retur, vt Galeno fuit visum: an procedente tem-  
pore, vt voluit Hippocrates. cap. 3.  
An allantois ex solo fœmineo semine ortum  
ducat, vt Galeno fuit visum: & qua via vri-  
nam excipiat, & sine vlceratione ac noxa in-  
fantis, eam seruet vsque in partum. cap. 3.  
An ob aquam intra anniom tunicam conten-  
tam, fœtus sit minus grauis solis vinculis qui-  
bus nectitur fœtus, vt voluit Galenus: an ve-  
ro matri etiam sit leuior, quod reprehendit.  
cap. 3.  
An opus sit infantibus quarta tunica, quæ  
stercus alui excipiat: vbi loca Galeni difficilia  
explicantur. cap. 3.  
An infans ore, an vmbilico nutriatur. cap. 3.  
Vnde nutriatur semē, antequam vasa deferen-  
tia alimentum sint creata. cap. 4.  
An cor formetur ante iecur, vt Aristoteles &  
Auicenna

# INDEX.

- Auicenna censuerunt: an post iecur, vt Ga-  
lenus existimat. Vbi elegans & noua traditur  
doctrina. cap. 4.  
Partitio formationis in quatuor tempora  
traditur: & quantum vnumquodque tempus  
duret. cap. 5.  
An vegetans anima seminis, postquam effin-  
git & efformauit, accedete iam anima abeat:  
an simul cum ipsa habitet. cap. 5.  
An sit aliqua ratio temporis motus, ad tem-  
pus formationis, vt Auicenna diuinat. cap. 5.  
An pili & vngues sint animari. Vbi causa na-  
turalis traditur, quare pili & vngues definitā  
incrementi legem & metam seruent: quam ig-  
norans Fernelius, id in Dei miraculum retu-  
lit: & quod Galenus sibi ipsi pugnet, quantū-  
uis Valesius pugnantiam dirimere conetur.  
cap. 6.  
Situs infantis in vtero secundum mediam fi-  
guram est: hæc autem in pueris contractior  
est, quam iuuenes ferre possint. cap. 7.  
An soli homini multiplex ac variū pariēdi  
tempus datum sit. cap. 8.  
An quinto, sexto, & septimo mense editi vi-  
nere possint: vbi duo partus admirādi qui no-  
stro tēpore cōtigerūt, in examē vocātur. c. 8.  
Mense octauo quibus locis viuant qui nascun-  
tur infantes. cap. 9.  
An ad vndecimum, duodecimū, tertium deci-  
mum, & decimum quartum mensem, partus  
possit prorogari. cap. 9.  
Quare tempestiui & maxime naturales par-  
tus, nono mense atque decimo fiant: vbi astro-  
logi in vi planetarum, & Pythagorei in vi nu-  
merorum improbantur. cap. 10. & 11.  
Cur quidā partus anticipent, alij postponant  
tempus statutum, omni externa causa femo-  
ta. cap. 12.  
Cur octimestres raro viuant, cum tamen con-  
stituantur inter septimestres & nonimestres,  
vitalēs vtrōsque: vbi merito reprehenditur  
Valesius. cap. 12.  
An supputatio in vteri gestatione sit facien-  
da per menses solares, an per lunares. cap. 13.  
Naturalis partus quare fiat in caput. cap. 14.  
An partus fiat citra ossiū exarticulationem,  
per solum laxamentum ligamentorum: vbi  
Auicenna defenditur a calumnia. cap. 14.  
Signum ex nodis vmbilicalibus ad prolem fu-  
turam examinatur. cap. 14.  
Qua ratione post partum lac in mammas re-  
gurgitet: vbi Galenus a Vesalij calumnia de-  
fenditur. cap. 15.  
Cur puer statim ac natus est, nemine docente  
papillam sugere scit. cap. 15.  
An lac gignatur ex adipe omenti. cap. 15.  
An lac ex menstruo sanguine creetur. cap. 16.  
Causa similitudinis filiorū ad parētes, auos, &  
proauos, explicatur: quare etiā interdū simi-  
letur extraneis: & vnde alias fiāt mōstra. c. 17.  
Cur gemini fiant infantes: & de superfectatio-  
ne traduntur quædam. cap. 18.  
Quantum præstet homo reliquis animanti-  
bus. cap. 19.

## In Appendice Theologico:

- A**n mulier sine viri congressu cōcipere  
ac parere possit: vbi Galeni sententia  
improbatur.  
An Dñs noster ex semine beatissimæ Virgi-  
nis, an ex puris sanguinibus ortum duxerit  
Quod virgo & clausa cōcipere possunt, sine  
corporali deuirginatione: non autem sine cō-  
cupiscentia carnis, oblectatione, & seminis  
emissione: vbi Auerrhous duplicis erroris  
admonetur.  
Quod claustra virginalia, in partu dirumpi  
necessario debeant, & partus cū dolore pro-  
dire.  
Quomodo si corpus Christi a primō concep-  
tionis momēto fuit formatum & animatum:  
non debeat tēpus formationi debitum, detra-  
hi a tempore gestationis in vtero.  
Quod dñs Iesus non modo fuit natus in die  
destinato partui naturali: verum etiam inter  
dies a natura statutos, dies illē fuit naturalissi-  
mus.  
An in conceptione beatissimæ Virginis, ali-  
quod priuilegium præter communem legem,  
ac ordinē naturæ, Deus cōcesserit matri suæ.

## In Appendice Astrologico:

- M**ethodus dignoscendi qualis nuper na-  
tus in posterum sit futurus.  
An ad medici officium pertineat Astrolo-  
giam didicisse.  
Quanti astrologorum peritia sit habenda.  
An in horoscopo Astrologico, vis aliqua fa-  
talis sita sit.

# INDEX.

## Tractatu primo de regimine pueri.

- V**T sit refecandus umbilicus. cap. 1.  
 An sale sit conspergendum infantis corpus: quidque in varijs eius partibus molendum. cap. 1.  
 Quid exhibendum sit infanti ante lactationem. cap. 1.  
 Quae amuleta puer debeat gestare, & quid per lignum crucis Auicenna intelligat. cap. 1.  
 Quoties sit infanti propinandum lac: & qua sit utendum cautione, ut partes oris non redantur ineptae suctui. cap. 1.  
 An maternum lac tam in naturis intemperatis, quam temperatis, praestet extraneo. cap. 1.  
 Quando sint lauandi infantes: & quid in eius membris nutrix debeat moliri, antequam falsi obuoluat. cap. 1.  
 Situs quo discumbere debet infans in somno. De lectuli commotione. De gestatione in vlnis, & quando gradiendum sit infanti. cap. 1.  
 Quando sit alter a lacte cibus infanti propinandus: Quis is sit: Et qua cautione sit exhibendus. cap. 1.  
 Quando & quo ordine puer est ablaetandus. cap. 1.  
 Deligitur nutrix ex partu naturali, ex salubritate, ex temperamento, & compositione, ex magnitudine mammarum, & papillarum, meatuumque per quos e papillis lac effluit, ex aetate, ex numero partuum praecedentium, ex salubritate filiorum, ex sexu infantis quem peperit, ex vicinitate & vetustate partus, ex mestruo lactationis tempore cohibito, ex castitate, ex sobrietate, mansuetudine, elegantia, & obedientia medici. cap. 2.  
 Praestet ne vna, an plures nutrices adhibere. 2.  
 Deligitur lac, ex copia, sapore, odore, candore, mediocritate liquidi & craisi, & aequalitate suarum partium, atque ex nutricis exercitio. cap. 3.  
 Quod nutrix non est ex leui causa permittenda. cap. 2. & 4.  
 An correctioni lactis sint vtilis expurgationes. cap. 4.  
 Quid intersit inter prouocata lac, mensurae, & vrinam. cap. 4.  
 Cur crystallum augeat lac. cap. 4.  
 Quod omnia quae semen augent, augent etiam lac, praeter viticem. cap. 4.  
 Selecta praesidia lacti augendo traduntur. cap. 4.  
 Quomodo crassum lac corrigatur, quomodo etiam tenue & aquosum: quomodo etiam tenue & acre: quomodo etiam quod foetidum est sit tractandum. cap. 5.  
 Ad lactis caseationem, quae nodos in vberibus nutricum solet interdum efficere, & saepe tempore degenerat in abscessum. cap. 6.  
 An puero expediat interdum plorare. cap. 7.  
 Quo aetatis anno sexus sint separandi, & suo sexui iungendi, & eruditio in lusu imperanda. cap. 7.  
 Quo aetatis anno puer sit magistro tradendus: & qualis debeat esse magister. cap. 7.  
 Exercitiorum pueris convenientium, intensio, aut remissio, qualis esse debeat. cap. 7.  
 Ad quam usque aetatem vino sint arcendi. cap. 7.  
 Quo anno Grammaticam addiscere debeant, Geometriam & Arithmetica. cap. 7.  
 Quo anno vitae genus sit elegendum: & qualis victus unicuique vitae respondeat. cap. 7.  
 Vtra sit pueris prius addiscenda, Arithmetica, an Geometria. Et ex alijs sciencijs quae sint dignae ut in ipsis consenscant. cap. 7.  
 Ratio emendandi vitia compositionis puerorum ab ortu contracta. cap. 8.  
 Quae praesidia toleret infantes dum ijs est opus. 8.

## Tractatu secundo, qui praegnantem, parturientem, & enixam respicit.

- Q**ua prouidentia ne abortus contingat, (tum generatim, tum speciatim singulis abortus causis consideratis) uti debeamus primis octo mensibus, traditur a capite primo usque ad sextum. cap. 9.  
 Vtrum sit praestitius in praecautio ab abortu, electarium ex margaritis Auicennae. An diamargaritum commune. cap. 1.  
 Quod in praecautio ab abortu sanguinis detractio saepe conducit. cap. 2.  
 Quod valida interdum praesidia toleret uterogentes grauidis morbis correpta. ca. 7.  
 Quod tumores pedum utero gerentium citrandi non sunt. cap. 8.  
 Quid nono gestationis mense sit faciendum. cap. 9.  
 Quid partus tempore sit praestandum: ubi tota obstetricandi ars traditur. cap. 10.  
 Ad mortuum foetum extrahendum. cap. 11.  
 Pauli aeginetae duplex locus restitutus. cap. 11.  
 Ad secundas eiciendas remedia. cap. 12.  
 Vteri molae essentia, & remedia. cap. 13.  
 Quid enixam facere conueniat. cap. 14.

FINIS.

# EXCELLENTISSIMO

## MO AC GLORIOSO PRINCIPI,

Illesonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaza, Epistola nuncupatoria.



**M**AS tibi caepi, clarissime princeps, lucubratiunculas dicare: semper veritus, ne indignum quid, auribus tuis darem. Quas cum probases, & laudibus extullisses, animum meum accendisti, ut vtilia quaedam opera, iam fere vetustate, & ignauia collabentia: in tui gratiam, rursus componerem, ac renouarem. Ut enim in seuiuente fortuna, & mearum calamitatum incursum, neminem praeter te, ante Caesarem habui patronum, ita nullius alterius patrocinio, meos hos labores tutandos, ac defendendos committo. Tu solus mihi faues, & a tumultuarijs negocijs eripis, tu ergo solus, haec qualiacumque sint accipe, & ab intumescens maris procellis, quibus ego pessundor redde tuta. Ego interim in omni fortuna, sedulum tibi obsequium praestabo. Vale magnatum antesignanus.

De





Facultatis essentiam, non audeat definire Galenus, primo libro de Causis pulsuum. Eius vero notionem, tum ibi, tum 1. lib. de Facultatibus naturalibus, cap. 4. tum sæpe alibi declarans, inquit: quod facultatis nomine, efficientem causam intelligimus: non eam quidem simpliciter, sed qua ratione, in hunc illum de effectum, se comparat atque refert. Sic causam quæ pulsus facit, quæcunque sit, etiã si eius ignoramus substantiam, quia pulsus tamen efficere potest, facultatē pulsatilem eā appellamus: quemadmodū & alia omnis facultas, ab eo appellari solet, quod ipsa facere potest. Sic de facultate medicamenti, adstruit Galenus, quod nō est in medicamento, sicut nos in ædibus: nec substantia eius partita est, pro numero operationū: sed manēs vna, efficit multa, secundū variā relationē ad variā opera. Nam apud Gal. libro cui titulus est, quod animi mores, corporis temperaturā sequatur, sic scriptum inuenimus. Nam cū veluti de re quapiam cominiscatur, perinde in substantijs, ac nos in domibus habitante, nondū de facultatibus mihi imaginari videntur: nequaquā intelligētes, rerum quæ fiunt singularum, causam quandam esse effectricem, quæ in collatione ad aliud æstimetur: atque huius causæ, ut talis cuiusdam rei, propriā & per se esse appellationem: cæterum in respectu ad id, quod ab ea fit, eius quod sit facultatē esse. Quia propter tot à substantia, dicimus facultates, quot functiones haberi. Verbi gratia, aloem vim purgandi obtinere, & stomachum roborandi, & cruenta vulnera glutinandi, plana vlcera ad cicatricem perducendi, palpebrarum humiditatem siccandi: re alia haud sane vlla, dictum quodlibet opus, præter aloem, faciente. Ea enim est, quæ hæc obit: ac quoniam præstare ea potest, tot facultatibus, quot effectibus pollere dicta est. Aloem igitur purgare dicimus posse, & robur stomacho addere, & glutinare vulnera, & cicatricem obducere vlcerebus, & humidos oculos resiccare: quasi purgare posse aloem dicere, vel purgatoria potestate præditam esse nihil referat. Sic vero & siccare humidos oculos posse, idem atque exsiccandorum oculorum vim obtinere significat. Eodem autem modo cū dicimus, collocatā in cerebro ratiocinatricem animam, sentire per sensoria posse, ac per sensilia, ipsam per se meminisse, atque in rebus tum consequentiā & repugnantiam, tum resolutionē & compositionē perspicere, non aliud quidquā ostendimus, quā si complexi diceremus, ratiocinatrix anima facultates habet plures, sensum, memoriā, prudentiā, aliasque singulas. Quoniã vero non solū sentire eam dicimus posse, sed specialiter quoque cernere, audire, olfacere, gustare, tangere, rursum pollere eā viribus dicimus visoria, olfactoria, auditoria, gustatoria, tactoria. Ex qua oratione, facultatem non esse rem quampiam positiuam, substantiam (inquam) nec accidens reale, sed efficientis causæ, quæcunque ea sit, comparationem,

& relationem ad hunc aut illum effectum, luce clarius constat. Facultatis enim tum intellectio, tum substantia, in respectu ad aliud habentur. Enimvero in seipsum, quoduis facere, aut agere si dicas, præter mentis conceptum est, ut libro de multitudine pulchre Galenus edisserit. Quin & in quoduis obuiū agere, à veritate alienum est: Sed in id tantum, quod aptum est agentis, actionem suscipere, & in quod ipsum natum est agere: Quare in horum duorum, actiui scilicet & passiui comparatione, facultatis essentia est posita. Quoniã vero Galenus, non agnoscit in mistis, aliam formam substantialem, a commodo cuiusque rei temperamento (libro enim, quod animi mores, corporis temperaturam sequantur, omnium similarium substantiam, primis qualitibus constare affirmat, dubitat autem, de instrumentis atque anima: sed & hæc vult ex illis esse. Et primo libro de Vsu partium cap. 9. carni esse carnē, & nervo neruum, & aliorum vnicuique, id esse quod est, ob quatuor qualitatum certam quandam temperaturam, missionemque contingere asserit) ob id, causa hæc efficiens, quæ diuersis effectibus comparatur, & ipsius est relationis & facultatis fundamentum, non aliud apud Galenum, quam aut temperamentum, aut natura, aut innatum calidum, ex prima illa missione, consurgens est: Vtroque enim nomine à Galeno varijs locis appellatur. Atque si hæc semper, seruasset Galenus, significationē facultatis, neque essentia facultatum, aliàs se ignorare fateretur (relationis enim essentiam nemo ignorat) neque ab alio, quam ab anima, aut cuiusque efficientis substantiali forma, eius operationes immediate fieri fateremur, hæc enim & non aliud, est (apud ipsum) vera causa effectrix, quæ per diuersa instrumenta, diuersas ædit operationes: per oculos videns, per aures audiens, & cæteras operationes, simili modo exercens. Nam si omnes corporis partes essent oculi, nulla alia ab omnibus fieret actio, quam visio: quæ etiam caremus, cum oculis destituimur. Nec esset tum laborandum, in cognitione facultatum, nihil enim re ipsa sunt, quam ipsarum formarum relationes, ad diuersa opera. Per hoc enim, quod anima accommodatur ad intuitum, facultate videndi donari dicitur: cum nihil aliud ab anima sit, quod huius actionis autor esse possit. Vnde libro primo de Facultatibus naturalibus, capite quarto, ita scribit: Quoad agentis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam siue potentiam appellamus, in venis quidem potentiam quandam sanguinis factricem dicentes, in ventriculo coëtricem, in corde pulsificam, ac in singulis reliquarum particularum, propriam quandam, eius quam ædunt actionis. Et primo libro de Causis pulsuum, capite primo, Hanc causam (inquit) quæ pulsus mollitur, quæcunque illa sit, licet eius nos fugiat essentia, quod facultatem habeat pulsus efficiendi, facultatem illam vocauimus, ut quolibet puto aliã, facultatem, a facultate faciendi, cuius habet facultatem solemus nominare. Alicuius enim est facultas, & eius notio est relationi subiecta. Itaque quãdo essentia incognita nobis sit, hoc appellamus eam nomine. Hinc non quæ sit facultatum, sed quæ sit tum animæ, tum cuiusque substantialis formæ essentia, dubium est tam abstrusum, ut Deo potius quam homine, ad eius exactam dignotionem,

opus esse videatur. Rerum enim substantiæ & essentiæ (nisi paucarum quarundam, ut & ipsi placuit Aristoteli) in abdito latent. Nam nec ipsarum genus & categoria cognoscitur. Aristoteles enim substantiam esse vult. Alexander & Galenus, elementorum formas, summas ipsas qualitates esse censent. Formas etiam mistorum, censet Galenus, nihil aliud esse, quam temperamentum ex primis qualitatibus conflatum, ut libro nostro de Elementis, capite decimo quinto tradidimus. Vnde libro quod animi morès, corporis sequantur temperaturas, omnium similarium substantiam, primis qualitatibus constare affirmat, dubitat autem de instrumentis atque anime, sed & hæc vult ex illis esse. Et primo libro de Vsupartium, capite nouo, carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vniquique id esse quod est, ob quatuor qualitatibus, certam quandam temperaturam, misionemque contingere asserit. Vnde robur facultatis, sæpe constituit in bonitate tēperamenti: & imbecillitatē constituit in intemperie, 4. lib. Methodi & sæpe alibi. Nam quauis compositio & vnitatis, sint necessaria actioni, non adūt tamen actiones, sed tēperamentum. Ad quod aduertēs Gal. lib. 3. de symptomatum causis, cap. 1. postquā ventriculi coctionē, lædi dixit, ab intēperie, & à morbis instrumentibus, ipsa ventriculi facultate læsa, subdit. In tēperamenti quidem vitij, propria eius substantia labefactata, in cæteris morbis, qui tantum sunt instrumentales, dumtaxat impedita: qui vero ex intēperie simul, & instrumentali morbo, cōpositi affectus sunt, vtroq; modo sunt noxij. Nam cū facultatis essentia, aut eius fundamentū, cōsistat apud Galenū in temperamēto, merito in propria essentia vitari, per intemperiem autumat, per morbos vero instrumentales, qui compositionē vitiant, impediri. Quoniam cōpositio, & partium structura quæ vitatur, necessaria est ad actiones, quauis actiones ædere nequeat. Atq; ad hunc sensum, intelligendus est Galenus, si quando alibi, debilitatem vocat membri raritatem, vel diuulsionē, aut morbos instrumentales, debilitatē inferre: facultate scilicet impedita, nō in propria substantia læsa. Iam vero hic nomine facultatis, ut sæpe alibi, aliter vititur Galenus, ad significandā non modo relationē, & cōparationē causæ efficientis ad effectum, sed ipsammet efficientē causam, quæ vere subsistit, & cōparationē suscipere variā, ad varios effectus nata est. Sic 1. lib. de Præsayis ex pulsu cap. 4. Facultatis (inquit) essentia, singularū partū, in singularū illarū, posita cōmodo temperamento est. Sic gubernationē totius corporis, ex tribus facultatibus, apud Galenū audire oportet. Sic facultatis formātis perfectionē & diuinitatē. Sic nutritoriæ facultatis, & quatuor aliarū, ipsi ministrantium efficaciam. In istis enim, nomen facultatis, causæ agentis datur: non autē relationi, quæ cum nullius sit actiuitatis, nec formare, nec nutrire, nec gubernare est potis. Vnde primo Aphorismorum, Commentario 15. calidum innatum omnia opera naturalia facere dixit. Neq; enim aliud quidquam, animal ab initio affirmavit, sicuti neq; rursus adauxit, neq; vsq; ad mortem enutriuit, præterquā iste calor innatus, qui aut anima est, aut primū & maxime necessarium ipsius instrumentum. Et 1. lib. de Facult. nat. cap. 5. naturæ operationes, tres esse meminuit, generatio

auctio

auctio, nutritio: nunquā autem relationis, tanquam agentis causæ meminuit. Comparisonem ergo causæ agentis (puta tēperamenti, naturæ, calidi innati, aut animæ, quæ idem sunt apud ipsum) & relationem ad hunc, illum de effectum, facultatis nomine primo appellat Galenus. Secundo, cōmodo temperamento, aut animæ ipsi, id nomen accomodat. Tertio vero, vbi maiori consideratione est vsus, nono scilicet libro de Placitis, in fine, censet animam ipsam, quæ vna est, multas habere facultates, quæ intime quædam qualitates, & ipsius animæ proprietates sunt: quarum interuentu, anima vna existens, plura facit. Si enim simplex cum sit, varias de suo sinu, non promeret facultates, vnum semper, non plura faceret. Galeni verba sunt. Non tamen est quisquam, qui substantias in suas facultates, & potentias, diuidendas esse censeat. Sed singulas asserunt omnes, quauis indiuiduæ sint, ex facultatibus, potentijsq; quas habent, operari. Neq; absolute dicunt, potentiam habere substantias: sed addunt, modo comburendi, aut refrigerandi, aut arefaciendi, aut humectandi. Modo comminiscendi, & ratiocinandi, & se ipsam mouendi: atq; alia huiuscemodi, quæ rationali anima operamur. Ipsa enim cum sit vna, multas habere facultates manifestum est. Libro quoq; secundo de Præsayis ex pulsu, cap. 8. & libro de Plenitudine Galenus, essentiam facultatum, non aliud fuisse affirmat, quam proprietatem, aut qualitatem temperamenti: quam à temperamento esse diuersam censemus. Quin tot esse in vno quoq; temperamento, proprietates atq; facultates, audire oportet, quot opera facit. Sic in rhabarbaro, facultas est purgandæ bilis, ob totius substantiæ proprietatem, quæ occultum sequitur temperamentum, & indicibilem commitionem: Est quoq; in eo facultas calefaciendi & exiccandi, ob temperamentū manifestum, quo hæc duæ qualitates, contrarias excedere deprehendūtur: Est in ipso facultas deobstruendi, quæ inter secundas facultates vniuersales, quæ nec certum membrū, nec certum effectum respiciūt memoratur: Est præterea in eo, facultas confirmandi, & roborandi, iecur laxum & præhumidum: quæ tertia facultas est, maxime particularis, respiciens certum effectū in certo membro. Anima quoq; vegetas vna existens, quo se ad diuersa opera accomodat, opus habuit facultatibus diuersis, quibus ceu instrumentis, formaret, nutriret, auget, & omnia naturæ opera faceret. Sic anima irascibilis, & animosa, vna existēs: qualitates, proprietates, aut si maui dicere pprias passiones, habet inseparabiles, ab ipsa animi substantia: quibus (cum variæ sint) variè ad diuersa opera se gerit. Irascitur & masuescit, letatur & tristatur, timet & sperat, cor & arterias attollit, & contrahit, hæc aut illa virtute vsa. Sic anima ipsa sensualis, in cerebro, ceu in sua regia sedēs plurimis facultatibus ornatur, appetēdi, mouendi, & cognoscēdi. Totq; vniquodq; facultates habet, in quod opera se accomodat: Nam sicut idem homo disputat, canit, pingit, & ædificat: disputat vero ex habitu sciētiae, canit ex musica, pingit ob artem pingēdi, & ædificat quoniā artis architectonicæ est peritus, qui si nihil horū sciat, nec cānet, nec pinget, nec disputabit, nec ædes cōstruet: quoniā arte caret qua operetur anima: Ita anima sine facultate indefinita est, & in ancipiti perstat: definitur vero ab

intellectu ut intelligat, à memoria ut recordetur, à vitali ut pulset, ita ut unicuique operationi, sua respondeat facultas, quæ animam ipsam illius operationis admoneat. Quod enim est ars in artifice, id est facultas in natura. Quin plus est facultas in natura, quam ars in artifice: nam ars usu & exercitatione conquiritur, & ab anima potest obliuione obliterari. Facultas vero insita est, & separari nequit. Est enim in anima ceu in subiecto, & ab anima per continuam emanationem, & efficientiam singularem formæ propriâ, sine temporis successione procedit. Nec obstat, quod anima simplicissima, eo modo procreet vires, & easdem ipsa suscipiat. Proditum enim ab Aristotele est, nono libro metaphysicorum, actiones quasdam esse immanentes, quæ ab ipso agente non exeunt: Qualis est hæc, in qua non oportet, ob singularem quem diximus producendi modum, ut quod agit & mouet, ab eo quod suscipit & mouetur natura differat: Neque ut diuidatur in partem per se mouentem, & partem per se motam. Sed variis rationes, agendi & patiendi, sufficit habuisse. Nam anima nostra indiuifibilis, cum è corpore migrat, à se ipsa in momento mouetur localiter, non alia ratione quàm quod ipsa eadem est motrix, & motus susceptiua, quæ diuersæ rationes sufficiunt. Ab anima ergo indefinenter profluunt sue vires, quæ in ipsamet, ceu in subiecto, nexu indissolubili recipiuntur. Ab ea enim nequeunt separari, nisi anima ipsa, vnâ pereat: nec imbecilliores reddi, nisi & anima ipsa detrimentum patiat. Nam profecto si anima, integra seruata, & incollumi, imbecillitari posset facultas, posset quoque interire, & ab anima separari, ipsius imbecillitatis cremeto facto. Quod intelligens Aristoteles, primo libro de Anima, cap. 4. imbecilliores dixit, reddi animæ actiones ob senium & morbos, instrumentorum vitio, non animæ aut facultatum ipsius. Si enim senex (inquit) iuuenis oculum acciperet, videret sicut & iuuenis, quare senectus non est, quia anima quidquæ est passa, sed quia id in quo est, aliquid passum est. Quemadmodum in ebrietatibus, & morbis, fieri solet. Galenus vero non modo functiones, sed ipsas, quæque facultates, à qua prodeunt, nonnunquam imbecillas, alias robustas statuens, ob id fecit, quod animæ substantiam ignorauit. Probabiliusque sibi fuit visum, animam esse temperamentum sicut & facultates, ipsius temperamenti proprietates quasdam. Vidit autem temperamentum, & omnis temperamenti proprietatem, mutationes suscipere, ex morbis & senio. Ergo merito vno illo errore admissio, coniecit, facultatem & animæ etiam substantiam, detrimentum & imbecillitatem pati. Accedit, quod tam curiosa facultatum animæ tractatio, medicis non congruit: Sed temperamentum ipsis est integrum seruandum, ut functiones validæ persistant: Et cum infirmæ redduntur, in temperies est corrigenda. Quare cum facultates in robustas & inuvalidas partimur, nomine facultatis, dato instrumento ipsius, puta temperamento, aut alia quapiam qualitate, utiliter & ex arte facimus. Accedit etiam, quod licet facultates, quas anima ipsa, sibi impertit, & in sinu suo recondit, sint inseparabiles, & detrimentum suscipere nequeant: eas tamen quas extra se profundit, & foras transfilire facit, imbecilliores reddi, & prorsus perire defectu calidi innati, aut alterius cuiusvis instrumenti, non est

est indecens. Sol enim lucentem qualitatem, ab se inseparabilem obtinens, aërem caliginosum ac nubilum, imbecilliter illustrat. Et magnes allio perunctus (ut fertur) disiunctum ferrum non attrahit. Et virtus visiva per oculum suffusum, non transilit in obiectum. Et ex nervi aut arterie, obstructione, aut compressione, aut intemperamento, aut calidi innati defectu: cor & cerebrum aut non irradiant, aut imbecilliter emicant, in arterias & nervos. Hanc enim ex vno principio, diuersarum virtutum animæ dispensationem, & emanationem, non modo Galenus & Plato statuerunt, verum & Aristoteles ipse, qui in fine libri de communi animalium motu, ita scribit: Animal sane ita constitutum esse iudicare debemus, ut ciuitatem legibus bene instructam, & temperatam. In hac enim, postquam administrationis ratio, semel instituta est, nihil oportet, absentem principem, rebus singulis quæ geruntur interesse: imo vero quisque, officijs fungitur suis, ut mandatum est, & aliud post aliud, ex consuetudine administratur & instituto. In animalibus hoc ipsum, tum per naturam efficitur, tum quod singula, quæ ita constituantur, ad munera sua exequenda, probe affecta sunt. Quo circa non opus est, in vnoquoque membro animam inesse: sed cum certo principio consistat, & reliqua membra, quod illi adiungantur viuunt, atque officia per naturam obeunt sua. Quid sit autem ea facultas, quæ mandatur à principijs in exorta, non satis constat. Quidam animam ipsam in spiritu vehi, aut spiritum ipsum qui vehitur, ipsam animam esse censuerunt. Quibus non assentitur Galenus, septimo libro de Placitis: vnde secundo libro ad Glauconem, cap. 2. tradit natium calorem esse, vel substantiam facultatum, vel saltem primum, & maxime necessarium ipsarum instrumentum. Alij temperamentum certum, à principio in exorta derivari tradunt. Quod minime fieri posse constat, nam calor aut frigus, & omne denique temperamentum, ens permanens est, quod ablato agente, aliquandiu perstat in parte: facultas vero, sola ligatura, aut præcisione statim aboletur, nihil durans, intercepta continuitate cum suo principio: Non est ergo facultas, quæ influit temperamentum. Magis præterea permutatur temperamentum membri, ex ardente febre, & ex contactu niuis, vi sentiendi atque mouendi, illa æssa permanente, quam ex ligatura nervi, in qua vtraque vis aboletur. Ergo vires eiusmodi, non consistunt in temperamento. Ablato in super corde, ingens fit temperamenti permutatio, eo tamen ablato victima currit & vociferatur, 2. lib. de Placitis, autore Galeno, aliud ergo à temperamento, est vis animalis. Ligata item arteria, cum immisso calamo, infra laqueum non pulsatur, libro cui titulus est, quod non solus sanguis, contineatur in arterijs, testate Galeno: temperies tamen eius seruatur, ex spiritu & sanguine per calami cavitatem transeunte, aliud ergo est vis pulsans à temperamento. Adhuc cuiusque partis temperamentum est vnum, eius vero facultates sunt multe. Plures ite sunt, in nostro corpore partes, quam tres, quæ temperamentum habent inter se diuersum: facultates vero inter se, genere & sedibus disclusæ, tres tantum statuuntur. Facultates item quedam, dicerentur calidæ, aliæ frigidæ, aliæ temperatæ, si facultas quæ influit,



esset temperamentum. Quare de omni facultate, quæ à principio aliquo, in exorta deriuatur, statuendum est: quod ab anima, immaterialis quædam qualitas innominata, subito influitur exortis, aut spiritibus, aut vtrisque: quæ recte per solis fulgorem nobis innotescit. Nam facultas pulsatilis, arterijs influitur, & visiva spiritibus, subita productione, & dependentia à suis principijs, quemadmodum a sole fulgor, septimo libro de Placitis, & primo libro de Semine prope finem, autore Galeno. Sicuti item, lux in sole, inuariabilis & vnius modi semper est: fulgor vero qui à sole exit, atque producitur extra se, ob subiecti indispotionem obnubilatur, & extinguitur: Ita animi intima facultas, in propria essentia, nullam mutationem sentiens, ob subiecti variam dispositionem, varie afflat, vimque extra se producit, modo validam, modo agram, tantaque interdum est indispotione corporis, ut nullam producere possit. Quo sane tempore, pulsus, & reliquæ functiones abolentur, & anima ipsa decedit, relinquens ineptam sedem, & sui beneficij incapacem. Nec obstat quod supra obijciebatur, quod si omnes corporis partes essent oculi, nulla in nostro corpore actio fieret quam visio. Id enim falsum esse scimus, quoniam cornibus petit vitulus, ante nata cornua: & auium genus omne, volatum molitur, ante alarum prouentum: ob animæ impetus, atque facultates, pro quarum numero & ingenio, corporea instrumenta, ipsis sunt tributa. Accedit etiam quod præter visionem, oculorum etiam foret nutritio necessaria: & ipsorum quoque arterie pulsarent: facultatibus enim, innata simul & influentibus a tribus principijs, oculi reguntur.

### Caput secundum, Quod facultates per operationes, & operationes per obiecta, distingui debeant.



**N**umerus facultatum, numero operationum: & numerus operationum, numero operum: debet respondere. ut ex Gal. retulimus, & ab Arist. est proditum lib. 2. de Anima cap. 4. Si enim opus quodpiam fit, aliqua operatione fit: Operatio vero, à facultate quæ operari potest, & animam in eam operationem accommodare valet, proficiscitur.

Sicut autem finis, ea quæ ad finem sunt, verè distinguit: ita operatio, distinguit animæ facultates, & distinguitur ab operibus. Finis enim propter quem, anima de suo sinu, diuersas creat facultates, operatio est. Et ipsa operatio, nihil nisi opus ipsum præterdit. Unde facultatem definiens, operationem opus habemus: Et cum operationem definire est animus, opus ipsum requirimus. Visum enim definiens, dicimus quod est facultas, ex qua videre est, quod est operatio. Videre autem definimus, esse operationem, per quam colores apprehenduntur, quod opus est. Facultates ergo ex operationibus, & operationes ex operibus, sunt distinguende, verè distinctione, sumpta ex causa finali rei. Accedit quod cum opera edita, sint nobis notiora operationibus, & operationes facultatibus: nota distinctionis inde nobis est certissima summenda: ut cum opera diuersa viderimus, licet operationum distinctio, nos lateat, separatas operationes

tionem esse certo sciamus. Nam licet in nutritione & augmento, vna actio videatur sufficere (repositio nempe vberioris substantie; quam fuerit actione caloris dissipata) quoniam tamen substantia reposita, & iusta quantitas aucta, diuersa opera sunt, ob id duplicem operationem præcessisse existimare oportet: Secus ac sensiat Valisius libro secundo Controuersiarum, capite decimo sexto. Sic cum operationes diuersæ sunt, quantumvis facultas videatur vna, non est vna, sed plures existimanda. Quæ credo ratione motus Galenus, secundo libro de Præsignijs ex pulsu, cap. 8. distinctionem, & contractionem in pulsibus, à duabus facultatibus fieri dixit, quarum vna contrahit, altera vero distendit, cor & arterias. Indecens enim duxit, duabus operationibus vnam tribuere facultatem. Sic quantumvis per eosdem nervos, influxu quodam simultaneo, vis quæ mouet, & quæ sentit deferatur à cerebro, eadem vis non est, quæ vtramque facit operationem, sed vna est quæ sentit, altera quæ mouet. Male enim colligunt quidam ex Galeno, primo libro de causis symptomatum, capite quinto, eadem vi motum & sensum fieri, quoniam dixerit nonnunquam ledi motum, illesso sensu, quod minus virtutis influat, quam ut sufficiat ad mouendum: tantum autem ut valeat ad sentiendum. Sed si maior virtus requiritur ad mouendum, quam ad sentiendum, quoniam mouere est agere & sentire pati: Siue vna sit, siue plures, quæ mouet & sentit, minor semper virtus, sufficit ad sensum, quam sufficiat ad motum: Et poterit hic perire, illo manente. Nam fac, quod vis animalis, tam sensiuæ, quam motoria, ferantur à cerebro, per spiritus animales, quod infra sumus monstraturi: tunc maior virtus, id est maior spirituum quantitas, requiritur ad motum, quam ad sensum. Nec eadem facultas animalis, in oculos delata videt, in aures audit, in nares olfacit, in linguam gustat, & in cutem tangit ut putant. Sed si visio, auditio, olfactio, odoratio, & tactio, operationes sunt diuersæ: à diuersis facultatibus fiant oportet, quantumcumque vna & simplex nobis videatur: Sol sane gignit, viuificat, illuminat, & forte plura alia facit, quæ Astrologi (si dijs placet) norunt: Cuique operationi harum, sua respondet facultas, quæ qualitas, & proprietas quædam actiua, in ipso sole est. Facultas qua illuminat lux est, qua gignit & viuificat occultior est, nec sub conspectum cadit: Sed ex operationibus nobis innotescit. Ut ergo sol, luce sua illuminat, ita alijs facultatibus, quæ nos magis latent, irradiat & alterat vniuersum: Utque ex luce illuminatio, sic ex alijs facultatibus generatio, viuificatio, & si quæ sunt alia pendunt. Cerebrum similiter, aut anima quæ in eo residet, plures habet facultates, & proprietates, mouendi, sentiendi, & intelligendi. Facultas intelligendi vna est, mouendi altera, sentiendi vero non est vna, sed multiplex, puta fingendi, cogitandi, & memorandi. Videndi insuper, audiendi, olfaciendi, gustandi, & tangendi. Tot enim operationes videmus diuersas, quæ à diuersis facultatibus prodeant, par est. Anima ergo in cerebro sedens, tot facultatibus ornata, vires suas distribuit, alteratione quadam simultanea, in instrumenta apta, & concinna tali alterationi recipiende. Neruis sane omnibus vim tractricem impertit: Fuit enim

hic sensus omnibus uiuentibus communis, & minimo indiget apparatu. Non tamen vim visuam acceperunt, quæ pluribus indiget dispositionibus in neruo, quam tactrix. Vnde nec omnibus animatibus, sensus hic fuit tributus: quoniam maiori indiguit dispositione, quam habuit talpa. Non modo autem facultas visuæ, à tactrice est diuersa: verum & dispositio, quæ utraq; requirit, in neruo varia est. Nã nisi ita esset, cū nerui visorij, plurimam vim animalē suscipiant, cū ob mollitiē, tū ob cerebri propinquitatē, & ob cauitatem, qua spiritibus plus alijs abundant: necessum foret, vt tactu præ alijs pollerēt: Et quod cutis, quæ ad extremos digitos manus est, in qua viget tangendi facultas, aliorū sensuum à tactu non esset expers. Nam profecto si nerui cutis indispositio, causa est, quod auditoria facultas, recepta in ipso nō operetur, multo prius causa erit, vt non recipiatur. Aut fateberis pariter, in osse & cartilagine recipi, non tamē ob indispositionem operari. An vero spiritus qui mittuntur ad organa sensuum, peculiarem vim sentiendi, unicuiq; organo deferant, ita vt qui ad oculos veniunt, vim habeant visuam: & qui ad aures audituam, & reliqui simili modo. An solū expetantur vt instrumenta facultatis, per neruos distributa, nō multum laboro. Probabilius autē censeo, facultates sensuum magis immateriales, spiritibus purioribus & splendidis communicari. Vim enim videndi, habent visui spiritus, & eam, aëri externo illuminato communicat. Adeo vt apud Galenum lib. 7. de Placitis, anima, vtatur aëre externo, vice nerui. Si vero vim tangendi, deferrent spiritus visui, extra fieret tactio, non secus atq; visio. Sed tangendi facultas, terrena admodum existens, aut spiritibus nequiuu communicari, aut obscuros, crassos & turbulētos poposcit. Ad auditum vero spiritus deferri, qui vim adferant audiendi, nec tā crassos, quātum tactui, & gustui forent opportuni: nec tam splendidos, & æthereos, atque ij, qui vidēdo sunt accomodati, fidem facit ipsorum sensuum natura. Nam visus igneus est, et æthereus, auditus vero aëreus. Vnde apud Aristotelē secundo libro de Anima, capite octauo, auditus instrumentum, statuitur aër quidam congenitus, intra quandā membranam contentus. Qui sane ab externo aëre, sonos deferente pulsatur, & vi auditoria quam habet, eos apprehendit. Quid autem aliud, aër hic ingenitus, quam spiritus, audiendo à natura deputatus sit, non video. Nec aliud Aristotelem sensisse, voluit Ioannes Grammaticus, lucidissimus ipsius expositor, qui per aërem insitum, sensituum spiritū interpretatur. Atqui cum aër externus, spiritum illum ferit, si alias facultates, præter audituam, spiritus is habet, fiet necessario, vt aërem bene aut male olentē dignoscat: Hoc autē minime contingere cernimus, Ergo spiritus qui ad auditū mittitur, singularem facultatem defert. Ad alios quoque sensus, talem venire spiritum, qualem ipsius sensus natura postulat, indecens esse non iudico. Nec demonem autem nec deliberatorem, qui unicuiq; quod suum est impertiat ( præter ipsam rei naturam, quæ ob id iusta & docta sine magistro à Galeno & Hippocrate totiens appellatur) vilo modo cogimur statuere. Quantunuis reluctetur Valesius libro secundo Controuersiarum, cap. 20.

De

## De origine facultatum quibus gubernamur.

CAP. III.



**A**RISTOTELES cor animæ sedem statuit, à quo ceu ab origine, facultates in omnia membra deriuat. Nam primū est quod uiuit, & vltimum quod moritur. Secundo, quoniam mors non sequitur, nisi ad vltimum noxa sit communicata cordi, nec validam noxam sine morte cor tollerat. Tertio, nam in medio est & tutissimō loco, opportuno ad transmittendum vires suas vndiq;. Principium præterea est caloris naturalis, in quo etiam viget maxime, ergo ibi est anima, & omnes eius facultates sumunt exordium: vbi enim est omnium facultatum & functionum instrumentū, ibi facultates ipsas esse par est. Quinto, nam venæ arteriæ & nerui, quæ sunt instrumenta virtutum, à corde oriuntur. Ergo & facultates, quorum instrumenta sunt, ibi habitabunt. Arterias ab eo oriri nemo inficiatur. Venarū vero originē esse, eo constat, quod nulla vena penetrat cor, sed radicē ibi habere videntur: & nō in iecore, per cuius substantiā diffunduntur omnes. Cum neruis vero similitudinem habet, est enim cor, villis duris & neruosis contextū: quare ab eo potius quam à cerebro molli, ortum ducēt. A cerebro quoq; insensibili existente, indecens est sentiēdi vim transmitti: sicut à molli & laxo vim mouendi. Apprehensio vero, compressisq; iugularibus arterijs, perit sensus & motus in animante, ergo à corde, mutuatur cerebrū utraq; vim. Id præterea est actionum causa, quo sublato interit actio, & posito reddit. Tale autem est cor, virtute enim ab eo influxa, cætera membra operantur: & intercepta desistunt ab opere. Quod monstrat syncope, in qua omnis functio animalis, naturalis, & vitalis concidit: quoniam vitalis spiritus, in omnibus membris deficit: & rursus releuato corde, officijs omnia funguntur suis spiritu cordis vitali ad eā redeunte. Meditatio insuper, coctioni est impedimento, & contra: quoniam vnum est instrumentum omnium facultatum, quod dum vni operationi plurimum vacat, ab alia diuertit. Vnum autem instrumentum, in vno est locandum loco, non in cerebro vnum, & in epate aliud, sed in corde ambo, si ambo sunt vnum, nempe innatum calidum, cuius fons & origo est cor. Si facultatis præterea animalis, sedes & origo non esset cor, sed cerebrum, ignobilius cerebro, esset cor: quod dicere est indignū, & ab omnium mente alienum: de cordis enim supra alia membra principatu nemo ambigit. Cum vero his rationibus, experientia fides reluctetur, non est quod plurimū insistentium illis putemus. Si quis enim Aristoteli, plus quam veritati, & rerum experientie, addictus esse velit, aduersus hunc, non est de veritate disputandum. Monstrat quidem anatomicè oculata fide, neruos ex cerebro, & spinali medulla oriri, sicut & arterias ex corde. Venas vero & sanguinem ex iecore nasci, monstrat corporis nostri, & fœtum quæ utero gestantur fabrica, in quibus venæ umbilicales, quæ alimentum ex matre ministrant, in cauas & sinas iecoris distribuuntur, & à gibbo venanti

venam magnam, sicut à cauo iantricem creant. Magnam vero bifidam facit, & partem infra per lumbos ad crura, & ad membra infra iecur sita transmittit: partem vero aliam sursum agit, quæ ibi cordis regionem conscendit, & ex laua sui parte membranam producit, quæ dextrum cordis ventriculum inuoluit. Nec enim venæ speciem, ea parte retinet, nec in cor ipsum altius penetrat: Quod sane Aristoteli imposuit, ut radicationem, & exortus venarum principium, ipsam esse existimaret. Ni vero cecus anatomem administrasset, vidisset primo, venæ cauæ partem, degenerasse in dictam membranam, quæ ventriculum ob id obtegit, ut sanguis ex quo spiritus vitales proueniunt, extra proprium vas excidens, suam non amittat integritatem. Secundo, venam iantricem, quæ ex cauo iecoris enascitur, nullam continuitatem cum vena caua, nec cum vena aliqua earum, quæ cum corde communitatem habet obtinere, aduertisse debuerat: cum tamen omnes venæ, iecori annectantur, præter arteriam venalem, quæ arteria est non vena, & præter venam arterialem, quæ quauis sit vena, non potuit à caua, duas tunicas, quibus maxime indiguit accipere. Quauis & hanc, à caua ducat Realdus colubus, libro septimo de re Anatomica: eo quod dum in utero matris, fœtus latitat, caua vena, cum vena arteriali, continua esse animaduertitur. Tertio nam vena caua, qua parte pertingit cor, est quadruplo tenuior, quam ubi ex iocinoris conuexo emergit: minora autem ex maioribus semper nascuntur, ut rami ex truncis. Non enim obstat, quod fibræ plantarum, sint minores radice, & chorij vasa priora, sint minora venis & arterijs, quæ ad umbilicum, ex multis paruis in quatuor colliguntur: quoniam licet ista sint principia generationis, non sunt principia dispensationis, aut gubernationis. Hæc autem sunt, quæ oportet esse maiora, ut inuit Galenus libro de Fœtus formatione. Retina vero non est maior neruo optico, sed latior: & videtur etiam maior, quoniam dura cerebri membrana vestitur, qua non vestiebatur opticus ante orbitam. Spina etiam, ad lumbos non fit maior, sed latiore foramine aperitur, ut copiosorem ibi congerat spiritum, pro valida crurum motione necessarium. Quæ ignorans Auicenna libro de Anima, & lib. 3, Animalium cap. 1, minora maiorum initia esse contendit: quod quauis in omnibus initijs, dispensationis aut gubernationis sit falsum, in venis falsissimum, & minime congruens est: ad portionem enim sanguinis delaturi, venæ cavitatis effingitur, ergo procedente ulterius vase, exhausta iam, & in alias partes dispensata portione materie: tanto gracilius reddi debet vas, quanto sanguinis residui est minus. Quarto venæ cauæ partem, quæ per lumbos infra tendit, cordis origini, difficile referri posse cernat. Quinto in fœtibus quæ utero gestantur, venam & sanguinem, ferri in cor ex iecore, & non contra, manifestum reperiet. Sexto in æditis iam animantibus, & quæ cibum ore sumunt sanguinem gigni cœpisse ex chylo, in venis meseraicis: & eius generationem, absolui in iecore, manifestum est. Tum quoniam ibi separantur recrementa coctionis, crassum scilicet & tenue: fex & spuma: melancholicus (inquæ) succus, quem inde attrahit lien: & bilis flaua, quam purgat in ipso iocinore vesica fellea. Tum etiam, quoniam iecur, non transmittit vniuersum sanguinem

sanguinem cordi, sed pars magna mittitur infra, pro nutritione membrorum, qui sunt infra iecur. Et qui supra conscendit, ante quam vena caua, ad cor immigret, nutrit septum transversum, & Pericardion, vna cum alijs omnibus vicinis, tum quæ thoracem sepiunt, tum quæ pulmonem leniter ambiunt. Reliquum vero sanguinem, qui per venam cauam conscendit, vniuersum non accipit cor, sed eam tantum partem, ex lauo venæ cauæ latere, allicit ad se, quæ pulmoni nutriendo, spiritibus & sanguini arteriali conficiendis, fuit satis. Vnde merito à Platone & Galeno, 6. libro de Placitis, cor dicitur origo sanguinis, non cuiusuis, sed impetu ruentis, & salientis. Septimo, nam vitia sanguificationis, hydrope & mali habitus, ex iecoris vitio pendent, & eidem applicita remedia conferunt, quorum neutrum euenit cordi: ergo integritas ex iecore, non ex corde pendebat. Octauo, nam si venæ à corde nascerentur, pulsarent sicut arteriæ: nam & meatus ille, qui cordi connectitur, à caua progerminatus, arteriarum more pulsat. An vero id accidat, ex eo quod vim, & facultatem, suscipiat à corde, adeo vehementer influentem, ut illuc vsque ebulliat, & redundet: an ex sanguinis in contrarias partes agitatione, quæ ad dexteram cordis auriculam fit: an alio quopiam modo, caua vena motionem illam adipiscatur, superfluum censet Galenus sexto libro de Placitis considerare. Adde quod cordis membranulæ, aut valvæ, ad venam cauam constitutæ, de foris intro vergunt, quæ res satis monstrat, admittendo sanguini, à iecore prodeunti, non autem impartiendo, aut distribuendo, fuisse creatas. Nec valet responsio quorundam, quod à iecore per hoc vas, fertur sanguis in cor, semicoctus & cordis elaborationem desiderans: quam ubi est consequutus, in corpus vniuersum, pro nutritione à corde mittitur. Nullum enim ostendent vas, quod à corde, sanguinem absolute perfectum educat, atque ipsum, ut arteria spiritum, in totum corpus dispenset. Nam cordis orificia, sunt numero quatuor, duo in utroque ventriculo: in sinistro vnum, quod spiritum à pulmone immittit: alterum quod educit: reliqua duo in dextro, alterum quod in pulmonem sanguinem emittit, alterum quod à iecore admittit: per quem regredi nequit, si valvæ de foris intro spectantia, non sunt frustra à natura constitutæ. Neque aliud quintum orificium, in corde poterunt reperire. Nec obstat, quod per os arteriæ venalis, similes valuas habens, ut aërem introducat: pellatur etiam à corde fulligo. Nam arteria venalis, duas tantum habet valuas, laxius claudentes, non tres ut caua, quæ arte claudunt. Per valuarum etiam rimulas, & commissuras, facilis fulligini patet exitus, non sanguini. Vltimum non leue summit Galenus argumentum, ex sanguinis alimentitij, cum substantia iocinoris similitudine, nam si vnumquodque membrum, succo substantiæ suæ, quam simillimo nutricatur, eumque sibi, alterando & commutando præparat: sanguinis generationem, nihil aliud, nisi caro iecoris procurabit. Accedit quod quarto Methodi, docet per anatomas instrumentariorum partium, scribitari particulam, cui nusquam in corpore alia sit similis, ea enim, actionis totius instrumenti est autor. Hæc autem in iecore, non est vena, aut arteria, aut neruus, aut membrana: sed



sed caro iecoris, quæ chylum sibi assimilans, in sanguinem prius vertit. Cum enim iecur, repente ac simul, chylum assimilare nequeat, in sanguinem vtriusq; mediū, prius commutat. Tanto enim sanguis, à carne epatis relinquitur, quanto superat in ventriculo chylum. Hæc sunt, quæ venarum originem iecori, & sanguinis alimentitij confectioem, iecoris carni, non autem cordi, nec alteri alio tribuendam esse demonstrant.

An vero iecur, alicuius facultatis sit origo, quam in exorta deriuat, non perinde expeditum, sed pugnantis plenum, reliquit Galenus. Nam secundo libro Acutorum, Commentario quadragesimo septimo, ita scribit. Didicisti enim, unā esse in nervis facultatem, quæ principium habet cerebrum: alteram in arterijs, cuius principium est cor: tertiam vero in venis, quæ ex epate oritur. Et septimo Methodi in fine, ita scribit: Ad eundem modum, quæcunq; partes, alijs autores facultatum sunt, harum quoque robur seruare decet, pro facultatum earum vsus portione, quo videlicet animalis partibus subministrent. Sane de his particulis, illud arbitror didicisti, cerebrum, nervis ac musculis: cor arterijs: iecur venis,  $\chi\rho\epsilon\nu\gamma\alpha\tau\eta\sigma\ \delta\epsilon\ \nu\epsilon\mu\iota\sigma$  id est, virtutē suppeditat. Quibus verbis, de tribus his principijs, similiter pronuntiat, quod facultatem in sua exorta deriuat: & quod ea est roborāda in principijs, vt eius robur seruetur in exortis. Et libro de sanguinis missione, capite sexto, ex colore corporis, bono aut malo, atricis robur, aut imbecillitatem dignoscit: quoniam a iecore in mēbra, vis nutritrix proficiscitur. Sunt autem quæ sequuntur Galeni verba: Porro dispensantium nos facultatum, infirmitatem ac robur, proprijs indicari functionibus ostendimus: arbitrarijs quidem in nervis, & horum principio cerebro: pulsuum autem, in arterijs & corde. At a functione, quæ bona æditur nutritione, aut nutritione abolita, tum colore bono aut malo, tertia facultas nempe nutritrix, quam à iecore proficisci demonstrauimus, agnitionem sortita est. Libro etiam sexto de Placitis ita habet. Si primæ generationis venarum, originem requiris, iecur est: si dispensationis materia, qua totum corpus alitur, & facultatis principium spectas, neq; ita aliud quodpiā viscus inuenies, quod principium iudicari aptius possit. Et eodem sexto libro de Placitis, postquam ex cerebri ac cordis compressione, & ex arteriæ & nerui ligaturis, collegit vim animalē à cerebro, per nervos, & vitalem à corde, per arterias deriuari, de iecore ita scribit. At in iecore, siue ipsum nudatum collidamus, siue laqueo venas constringamus, nihil ostendere eiusmodi possumus. Quippe cum neque euidentis alicuius motus, sicuti cor pulsatorij, cerebrum sensui, & voluntarij principium sit: neque vt vtrumq; illorum, repentinam noxam corpori afferat. Iecore enim debilitato, sensim animal, mora temporis, læsionem in alimento, & colore contrahit. Itidem & pars ea, in quam venia, vel laqueo comprehensa, vel penitus rescissa pertingit, diutino quodam interuallo, tum marcescere, tum decolorascere cernitur. Non tamen illico, quicquam quod æfimatione dignum sit ostenditur, talis enim cuiusdam facultatis origo, iecur est, qualē in plantis esse constat. Vocetur enim in præsentia facultas, postea exactius, multa-

rum

rum facultatum, non minus originē esse iecur demonstrabimus. Quibus verbis patet, non modo vnius, sed plurium etiam facultatum, quæ in nostrum corpus dispensantur, initium esse iecur, nempe sanguificæ, atricis, & concupiscibilis. Quod voluit septimo libro de Placitis, in hæc verba. Reliqua facultas in iecore sedē obtinet, vniuersam que in animali nutritionem procurat, cuius maxima pars, & nobis & sanguineis omnibus, sanguinis est procreatio. Ad eādem hanc pertinet, iucundarum rerum fructio, in qua cum vehementius quam par est mouetur, incontinentiam intemperantiæq; efficit. Ex quibus Galeni verbis, non modo sanguinis generationem, & nutritionem, sed etiam cupiditates, famem scilicet & sitim, & venereorum libidinem, cibi quoque & potus, atque concubitus fructioem, incontinentiam quoque, atque intemperantiam, liguritionem scilicet, & ebriositatem, libidinem & mulierositatem, iecori tribui deberi, aperte colligitur. Quod etiam sæpius dixerat Galenus, libris antecedentibus, & ad finem sexti libri, homeri carminā adducit de Tytio, cuius quoniam impudice Latonam sollicitauerat, apud inferos roditur iecur, eo viscere, vnde contumeliæ causa extiterat, meritas pœnas luente. Auicenna etiam prima primi, de Membris, hoc ceu medicum axioma præmittit, & fidem petit, sine demonstratione sibi adhiberi, in hæc verba. Et de alia quidem diuersitate, debet scire & credere, quod non est curandum, vtrum virtus naturalis, in tali quale est os, in principio generationis, ab hepate venerit, aut eam pro sua met complexionē meretur, aut nihil sit eorum. Sed debet credere, quod hæc virtus, ad ipsum non profluit, nisi ab hepate: nam si inter ea via clauderetur, & os nutrimentum aptum haberet: eius actio destrueretur, quemadmodum fit in sensu & motu, cum neruus qui peruenit à cerebro stringitur. Virtus vero illa, ossi naturalis facta est, dum eius permanserit complexio. Et capite de Virtutibus inquit. Et huius quidem speciei sedes, & operationū ipsius processus est hepar. Omnia præterea præcipua mēbra, vim quam alijs partibus influant, habent: vt cerebrum animale, cor vitalem, & testes vim quādam, qua sexus distinguuntur, vt scribit Galenus ad finem primi libri de Semine. Quomodo ergo iecori vis deerit, reliquis mēbris impartienda? Ad hæc venæ meseraicæ, sanguinē ex chylo faciunt, autore Gal. 4. lib. de Vsu partium, cap. 12: & venæ corporis, pituitam crudamq; humorem, in sanguinē commutant, eodē autore, lib. de Cibis boni & mali succi, vbi ita scribit. Neq; enim morbo quisquā corripetur, si accurate obseruaret, ne in cruditates incideret, aut vehementer post cibū excerceretur. Nā sicuti bonæ valetudini, ante cibū exercitatio, maximū affert commodum, sic qualiscunq; sumptō cibo motus, noxiū admodū est. Alimentum enim ex ventre, ante concoctionē, in diuersas corporis partes distribuitur. Proptereaque crudi humoris copia, per venas aggeritur, quæ multiplices morbos affert, nisi aut multis laboribus, is humor dissoluatur, aut à iocinoris, venarūque facultate cōcoctus, versusq; in sanguinē fuerit. Quibus verbis patet, crudum humore, per diuersas corporis partes distributū, & in ipsarū venis congestū, ab illis in sanguinē verti. Si ergo venæ, tū citra, tum vltra iecur sanguificant, vim habent,

bent sanguinis creatricem, quam nisi à iecore impartitā nequeunt habere. Mēbrano-  
 sa enim corpora sunt, alba & a sanguine valde distātia, ut cōceptis verbis scribit Gale-  
 nus, 6. lib. de Placitis, in hæc verba. Sed nonnulli ipsas venarū tunicas, sanguinis esse  
 creatrices arbitrātur, quā vere non video. Nam si ipsas exinaniveris, nihil prorsus  
 a mēbranea, aut nerue a natura, distare cōspicies. Isti igitur merito dānandi sunt, qui  
 venarū tunicis, secundum naturam ipsarum, sanguinis creandi munus deferunt: Nō  
 secus ac si quis, à nervis, aut membranis, aut lacertis, aut cartilaginibus, aut adipe, aut  
 deniq; ab exanguis corpore, sanguinem contēdat generari: Neq; enim rubrum tunica  
 humorem, sed candidū, & viscosum, procreare consueverunt. Ex quo nimirū & ipsæ  
 procreate sunt, & augentur, & alitūtur. Quibus verbis, vim prorsus sanguificādi, nō  
 ademit venis, sed vim secundum naturā ipsarū sanguificādi, quoniam scilicet sanguis  
 qui in venis gignitur, non fit ab insita venis virtute, sibiq; naturali, sed demandata  
 atq; effluxa à iecore. Vnde si quod in sanguificatione venarū vitium contingit, iecoris  
 facultati acceptū refert Gal. lib. 5. de locis patientibus, cap. 7. in hæc verba. Ceterū  
 postquam sanguinis generationē, hepatis munus esse intelligimus, si causa aliqua fue-  
 rit, quæ hunc generare possit: eam hepatis propriam facultatem esse dicemus. Ad hæc  
 sanguificam vim, in hepate maxime vigere constat, non poterit igitur, intra iocino-  
 ris corpus, vigentissimæ virtutis actio comprehendi: sed ulterius per venas, hinc &  
 inde producet, & extendetur: Sphæra enim actiuitatis iecoris (ut libro nostro de  
 humoribus, capite tertio docuimus) venæ sunt. Actio autem agentis, non potest ex-  
 tendi, nisi vis agendi ipsius extendatur: Cum enim omnis actio per contactum fiat,  
 & inter ea quæ disiuncta sunt, non possit alter esse contactus quam virium, neces-  
 sarium est ut actione iocinoris, sanguificatione nēpe, ad venas corporis, in qua fit pro-  
 tensa, ad eas etiam vis sanguinis effectrix protendatur. Quare tantundem refert di-  
 cere, iecur in venis extra se sanguificare, ac vim sanguificandi illis transmittere. Ie-  
 cur item, tantam alterandi corpus vim habet, ut impedimento sit cordi, ne suam intē-  
 periem, vniuerso corpori communicet, si contrariam temperaturam, admodum cordi  
 repugnantē habeat, ut libro artis medicinalis, cap. 29. autor est Galenus. Venas etiā  
 corporis refrigerat, dum præternaturā frigidus est, ut scribitur libro quinto de locis  
 patientibus, cap. 6. dū ergo validū est, altricemq; facultatem admodū vigentem habet,  
 multo satius eā corpori cōmunicabit. Libro præterea artis medicinalis, cap. 9. mēbra  
 nostri corporis, quadripartito scindit, in principia scilicet, quæ facultates regentes ha-  
 bēt, ut cerebrū, cor hepar, & testes: & in exorta quæ facultates deferūt à principijs,  
 ut nerui, arteriæ, venæ, & vasa seminaria: & in partes quæ recipiunt dicta exorta,  
 venas scilicet, arterias & nervos: & in partes quæ eiusmodi exorta non recipiunt,  
 ut cartilago, os, ligamentū, membrana, adenes, adeps, caro simplex. Prima tribuūt fa-  
 cultates, & nō suscipiūt alijs à se, alternatim tamē tribuunt & suscipiunt sibi, cor ce-  
 rebro, hepati, & testibus, & hæc cordi & inter se se. Secūda canales sunt, quibus dese-  
 rūtur dictæ facultates. Tertia dictos canales & ductus, à principijs exortos recipiūt,

Et

eis ipsis gubernātur, & in vita sine dāno custodiūtur. Per nervos enim ne omnifariā  
 sunt plātæ, spiritus & vim accipiūt motiua, & sensiuā iuuātis & lædentis, ut hoc de-  
 clinent & illud prosequātur. Per arterias spiritus vitales, & vim pulsandi, per ve-  
 nas sanguinē, calorē, & vim naturalē, quæ in ipso maxime viget. Est autē pro par-  
 tium nostri corporis tutela, harum trium facultatum, in quodque membro conspiratio  
 adeo necessaria, ut vna quæuis earum deficiente, nec nutritio, nec reliquæ actiones,  
 ut decet, perfici queāt. Cordis enim facultate male habente, reliqua membra intermo-  
 riuntur, ut constat ex syncopi, & ex morte subito ob vitium cordis eueniente, & ex  
 pthysi, in qua ob putridum vaporem communicatū cordi, reliqua membra tabescunt.  
 Et ex Simia & gallo Galeni, ob tumorem aquosum, & scyrrhosum pericardij (lib. 5,  
 de Locis, cap. 1.) tabescentibus. Cerebri quoque facultas, impedita ire ad mēbra, ipso-  
 rū nutritioni impedimento est, ut constat ex partibus paralyti correptis, quæ breui  
 admodum extenuātur, & contabescunt. Testiū etiam non modo calor, sed etiā facul-  
 tas corpori impartita, valde utilis est nutritioni, præsertim seminaliū mēbrorū, quæ  
 ex semine à se confecto nutriuntur: ad cuius confectiōnem, verisimile est, testes non  
 leue adiuuētum ipsis præstare, per vim seminalem, quæ in ipsis maxime viget: quam  
 corpori transmittunt sine materia, perinde ac Sol suum fulgorem, ut scribit Galenus  
 lib. 1. de Semine prope finē. Quod monstrant hi, qui testibus orbatī sunt, parū enim  
 firmū & minime vegetū corpus sortiūtur, decolorātur, & depiles reddūtur, ob huius  
 modi facultatē amissam: à solo enim calore diminuto nequit tā grandis fieri permuta-  
 tio. Quod si hæc ita habēt, in corde, cerebro, & testibus, quæ nullam nutriēdis mēbris  
 materiā præstant, sed facultatē & vim: cur totū hepatis munus, in materia (sanguine  
 nimirū conficiendo) statuemus, & nihil aliud membris, quam sanguinē impartiri cre-  
 demus? Non facultatē, non vim aliquam naturalem, altricem aut sanguificam? Ego  
 sane, multo magis omnia membra, quæ facultatibus naturalibus reguntur, seruari per  
 hepatis virtutē naturalem (quæ in ipso omnium autorū testimonio residet) quam per  
 aliarum (dempta cordis virtute) influxū, necessarium esse existimo. Nam maiorē affi-  
 nitatē hæc virtus, cum naturali cuiusque partis facultate habet, quam aut cerebrum  
 aut testes: prope enim ad cor, eius accedit utilitas. Nec decens foret, si solum sangui-  
 nem, vniuerso corpori pararet iecur, vim vero nullam, ipsi transmitteret, inter præci-  
 pua mēbra ipsum numerare, magis quā vetriculum, ob chylū quē abundanter cōficit.  
 Ad quod respexisse videtur Galenus, lib. 2. de Arte curatiua ad Glauconem Cap. 2,  
 vbi (postquam totū corpus dupliciter offendi dixit, primo quando membrū est origo,  
 alicuius virtutis, omnibus partibus communicatæ. Secundo quando ipsius opus, toti  
 corpori est vtile) quatuor præcipua membra memorat, in exemplum læsionis primæ,  
 & vetriculum in exemplum secundæ. Ratus, scilicet ab omnibus illis quatuor, vir-  
 tutes transmitti toti corpori, quoniam præcipua sunt: à vetriculo autem qui non est  
 princeps, non virtus, sed materia pro toto transmittitur. Sunt autem quæ sequuntur  
 Galeni verba. Quæ quidem offensio ad totū corpus pertinet, dupliciter fit, quatenus

b &amp; mem

& membrum est alicuius virtutis origo, omnibus partibus comunicata, aut ipsius opus  
 toti corpori utile est. Hepar enim, cor, cerebrum, & testes, communiter vniuerso corpo-  
 ri, principia sunt virtutum: ventriculo quidem atq; locis muliebribus, proprie insunt  
 virtutes, nulli alteri parti communes, opus vero ventriculi quidem, toti corpori confert,  
 locorum autem nequaquam. Hæc Galenus. Quibus is ipse, non pugnat lib. 6. de Placitis,  
 ubi princeps membrum appellat, quod vim aut materiam usq; a se oriuntur suppeditat:  
 nam ex mente Erasistrati, in quæ inuehitur, est intelligendus. Hic enim facultates  
 non immitti à principijs in exorta: sed materias arbitratur. Quod ex Galeni verbis  
 innotescit quæ ita habent. Neque enim illud dicere potest, sanguinis quidem iecur  
 esse principium, sed venas gubernantis cor facultatis. Nam cum neque arterijs vim  
 immitti ex corde per tunicas fateatur: nunquid venis fatebitur? Si igitur membrum  
 illud principium esse dicimus, quod usque quæ ex se oriuntur, vel vim, vel materiam sal-  
 tem omnino suppeditat, cor principium venarum statuere nullo modo possumus, facul-  
 tatem enim ipsis, iuxta Erasistratum non suppeditat, quoniam neque arterijs: sanguinis  
 vero materia è corde manifeste prodire cognoscitur. Quibus verbis, aperte in Eras-  
 istratum inuehitur, & aduerbium illud (saltim) non ex propria sententia, sed hominis in  
 quem inuehitur, loqui monstrat. Neque enim hic admittenda est, doctissimi cuiusdam  
 hominis interpretatio, qui inter præcipua membra, dictabat solum cerebrum materiam  
 præbere nervis, quoniam ex cerebri & meningum substantia constant, iecur vero &  
 cor vires præstare, non materiam, quoniam dissimili constant substantia. Et hoc Gale-  
 num voluisse per dicta verba significare. Quod tamen à litera Galeni longe distat,  
 Primo quoniam cerebrum, quauis ad eum sensum suppeditet materiam, non modo eam  
 sed vim etiam suppeditat. Secundo, quoniam sanguinem dicit esse materiam, quæ è iecore  
 prodire cognoscitur, non venas. Membra ergo, quæ nec sunt principia, neque exorta  
 à principijs, sed ipsa exorta in se recipiunt, præter facultatem innatam, habent etiam fa-  
 cultates per manifestas venas, arterias, & nervos, delatas & influentes, quibus aperte  
 indiguerunt pro sui tutela. Sunt vero quod in quarto membro dicitur, partes aliæ,  
 quæ nec sunt principia, nec exorta à principijs, nec recipiunt exorta in sui compositi-  
 one, sed à se ipsis gubernantur per innatam facultatem: Carent enim venis, & arterijs,  
 & nervis, quibus aperte gubernentur. Aperte (inquam) nam per occultos meatus,  
 per quos vniuersum corpus, est conspirabile & conflatile, spiritus & gubernationem  
 sortiuntur à principijs: sanguinem nempe, & vim altricem ab hepate: & vim vitalem,  
 ac spiritus (quibus nec excrementa ipsa destituuntur) è corde: aliter enim ipsorum sub-  
 stantia, temperaturæ, & functiones, conseruari nequiret. Vnde merito dixit Galenus,  
 lib. 5. de Locis affectibus, cap. 1. quod omnes corporis partes, peculiari cordis temperie,  
 actiones suas perficiunt. Et de iecore Auicenna, quod si os, nutrimentum aptum habe-  
 ret, puta medullam ex qua nutritur, & via clauderetur inter ipsum & hepar, eius  
 actio destrueretur. Et Galenus lib. 6. de Placitis, quod membra nostri corporis indi-  
 gent, iecoris facultate nutrice, quæ ab ipso oriatur, ex cuius læsione noxam in alimeto,

& colore contrahant, tardius tamen quàm ex corde aut cerebro, quoniam euidentiorum  
 motuum, & magis presentaneorum origo sunt. Iecoris autem functio, quoniam inuidē-  
 tior est, tardiora in membris corporis, imbecillitatis suæ signa exhibet. Nec obstat quo-  
 rundam responsio, quod ad iecur oblesum, prauus color, & mala corporis nutritio se-  
 quuntur, ob deprauatum sanguinem, qui nutritionis est materia: etiam si virtus nulla,  
 à iecore in corpus feratur. Nam quatum ad Galenum attinet, facultatem aperte mitti, fa-  
 tetur ipse. Multi insuper (vt experimento constat) prauum sanguinem habentes, bene ex  
 eo nutriuntur: quoniam firma est ipsorum iecoris facultas, quæ innatas membrorum  
 temperaturas, & facultates tuetur, & fouet. Et certe nisi os, principiorum vim, con-  
 tinuitatem, & influxum, pro sui tutela postularet: à corpore diuisum, viuere diutius  
 posset, & nutriri ex medulla quam in cauitate continet.

S E. D iam hic, multa obfata videntur: Nam 1. de locis pat. in fine, ita scribit Gal.  
 Atq; in hac re, plurimum differunt naturalia, ab animalibus instrumentis. Siquidem na-  
 turalibus, conata actionis vim esse: animalibus vero instrumentis, à principio veluti lu-  
 men à sole, ipsam defluere iam ostensum est. Ergo vt magneti lapidi, vis inest qua ferrum  
 attrahere potest, ita naturalia quoq; instrumenta omnia, facultatem habent qua actionem  
 suam perficiunt. Quibus verbis, omnem virtutis altricis influxum excludit, omniumq; par-  
 tium quæ nutriuntur gubernationem, ab innatis sibi facultatibus pendere affirmat. Et  
 paucis interpositis, ita scribit. Quam ob rem solis partibus, quæ & sentiendi & mouendi  
 vim habent, accidit vt ipsis interdum nequaquam affectis, nihilominus eorum actio pe-  
 reat, id quod naturalibus instrumentis accidere non solet, prius enim ea affici necesse est,  
 quam actio lædatur. Quæ verba satis declarant instrumenta naturalia, non posse pati per  
 consensum, ob affectam originem, sed propria tantum passione, ipsissima scilicet ipsorum  
 essentia læsa, quod tamē necessario eueniret, si facultas quæ influit, ad originem læde-  
 retur. Plantæ insuper, sine nutrice facultatis influxu aluntur: ergo nec animalia eo  
 indiguerunt: Quoniam quo ad nutritionem & alias naturales functiones attinet, simi-  
 liter habent, autore Gal. 1. de causis sympt. De vi vero sanguinis creatrice, extant Ga-  
 leni loca, quæ illam, non aliunde fluentem, sed insitam esse venis declarant. Nam quar-  
 to libro de Vsu partium, cap. 2. ita scribit. Intelligo in animalis corpore, omnia conue-  
 niēti constructione constare, diuinasq; quasdam ipsis virtutes, à conditore esse inditas, & ve-  
 nas quidem, non deducere solum nutrimentum ex ventriculo, sed attrahere simul, & hepa-  
 ti præparare, modo quo ipsum simillimo. Quippe quæ natura ipsi sint adsimiles, & pri-  
 mum germē ex illo ducant. Quibus verbis, facultatem sanguinis creatricem, insitam esse, non mo-  
 do iecori, sed etiā venis, ob substantiæ similitudinem, quæ cum iecore sortiuntur, declarat.  
 Et cap. 12. Venis (inquit) quæ ad ventriculum, & vniuersa intestina pertinet, inest fa-  
 cultas quæ eadem sanguinis effectrix, qua succum qui ex cibis distribuitur, venis in sangui-  
 nem mutare naturale est, prius quàm is ad hepar perueniat. Si autem à iecore pederet, hu-  
 iusce virtutis influxus, nec venis inesse diceret, nec sanguificationem ipsis naturale esse  
 statueret. Et cap. 17. scribit. Coquitur adhuc alimentum, & in ipso per intestina transitu;



ut in venis etiam omnibus sanguis: cū tamen neq̄ intestinorum quoduis, coquendi ali-  
 mēti, neque venæ, sanguinis gignendi gratia extiterint: sed ut antea dictū est, natura  
 aliās quidē organorū quoque in melius abutitur, aliās autē id, necessario sequitur om-  
 nia, quæ alicuius gratia extiterunt. Quæadmodum igitur venis (cum eas distributio-  
 nis instrumēta fecisset) facultatem sanguinis generatricem indidit, ne dum per eas fer-  
 tur, tempus ipsi alimento frustra periret: ad eundem modum & intestinis, distributio-  
 nis in venas gratia institutis, facultas quædā concoctrix ciborū inest. Quibus verbis  
 patet, quod sicut intestina, vi ppria chylicā, Ita venæ sanguificāt. Nec enim verū  
 est (quod quidā volunt) ventriculū vim chylicādi impertiri intestinis, Primo quoniā  
 inter præcipua membra deberet numerari, siquidem facultatem, pariter & materiam,  
 transmitteret ventriculus, suis exortis. Secundo, quoniā post dicta verba, hæc subdit  
 Galenus. Quod fieri omnino nō poterat (ut in cōmentarijs quos de facultatibus natu-  
 ralibus cōscripsimus demonstratū est) quin singulæ animalis particulæ, virtutē quandā  
 haberent alteratricem. Iam vero intestinorum substantia, haud multum à ventriculo  
 est diuersa. Quo fit, ut si facultatē alteratricē, ipsis quoq̄ inditā fuisse oportuit, ipsi vē-  
 triculo ad similem, in his quoq̄ cibū concoqui necessario consequatur. Quæ verba satis  
 declarant, vires chylicādi quas habent intestina, & sanguinis gignēdi quā habent ve-  
 næ, intestinis, & venis inesse, ob suæ substantiæ proprietatē, & peculiare qua donātur  
 cōmitionem. Quod etiā volens significare Gal. 1. de fac. nat. cap. 3. ita scribit. Tā ve-  
 nā, quā reliquarū singulæ, ob certā quādam tēperiem, quā ex qualitatibus sunt nactæ,  
 hoc vel illo modo agere videntur. Quæ verba non tantū quadrant, distributioni quæ  
 per venas fit, quantū sanguificationi. Distributio enim, magis pendet ex cōformatio-  
 ne, & figura venarū, quā ex earundem tēperamento. Quare si sanguificatio, pendet  
 ex certo tēperamēto venarum: non est cur à iecore, facultatē eiusmodi deriuemus. Fal-  
 so præterea principio, duci videtur Galenus, cum per coctionē, nō posse quicquā, diuer-  
 sum colorē accipere, à colore coquētis mēbri edocet: Nō enim solus sanguis, hepatis co-  
 ctione prouenit, sed bilis pallida, pituita alba, & succus melācholicus atter, pro cuiusq̄  
 materiæ præparatione gignitur: Sicut solis actione, homo fit nigrior, linteū vero cādī-  
 dius: & ignis, ligna denigrat in carbones, quos postea dealbat in cinerē vertēs. Sic ergo  
 venæ, quāuis albæ sint, rubeū colorē propria virtute indere possūt: in materia præfer-  
 tim, in sanguinem migrare quam aptissima. Adhæc si facultas aliqua naturalis, no-  
 stro corpori, aut utilis aut necessaria, fertur per venas: nunquam vtiliter reseca-  
 rentur venæ quædam: cuius contrarium experimur, in quibusdam crurium vlce-  
 ribus contumacibus, & in varicibus, & in difficili ophthalmia, resectis seneticis.  
 Estque hoc remediū mulomedicis, ad pluriū iumentorum morbos, sine damno aliquo,  
 tum vsitatissimū, tū valde probatū. Quantū autem ad facultatē concupiscibile, & fun-  
 ctiones eiusdem, & perturbationes in ea cōtingētēs, & vicia ex crebra perturbatione,  
 in ipsa proueniētia attinet: ridiculū & apprime falsum videtur, sedē & primariā ori-  
 ginem cū Galeno, iecur esse statuere. Nā omnis cōcupiscētia, ex appetitu sensiuo est,  
 non

non enim famescunt neque sitiunt plantæ, nec venerea aliqua libidine tanguntur,  
 nec intemperantes aut incontinentes dici possunt, quoniam sensu carent.

Hæc sunt quæ multis imponunt, ut iecur nullius facultatis extra se, originē esse cō-  
 tēdāt: Quibus tamē satisfaciendū nūc est: nā naturalia instrumēta (ut à primo incipia-  
 mus) licet habeāt innatas quasdam facultates, quibus regātur in natura: & ea re diffe-  
 rant ab animalibus instrumētis, quorū vis animalis nō est cōplātata, sed à suo fluēs prin-  
 cipio: indigēt tamē illa (quātūvis facultates habeāt innatas) pro sui tutela, & cōserua-  
 tione, influxu facultatum naturalium hepatis, in quo maxime vigēt: & influxu cor-  
 dis, sine cuius peculiari tēperie, actiones suas perficere nequeunt, ut scribit Gal. 5. de  
 locis; cap. 1. & influxu virtutis cerebri, cuius defectu, membra resoluta tabescunt: &  
 influxu testium, cuius defectu, eunuchi male nutriuntur. Nec similitudo magnetis, ad  
 naturalia membra, obstat quidquā: ut enim magnes, & succinum, indigēt calore exter-  
 no ut trahant, & magnetis tractio, impeditur alio peruncto (ut ferunt) ita instrumē-  
 ta naturalia, indigent facultatibus emanantibus a principijs, ut vegetemur, & earū  
 absentia leduntur. Animalia insuper instrumenta, citra aliquā sui lesionem, patiun-  
 tur per consensum, ad affectum principij: sana enim crystallois, cecitatem patitur, per  
 consensum nerui visory obstructi. Instrumenta autem naturalia, nanquā laborāt per  
 consensum, nisi propria eorum natura, & essentia ledatur: temperies scilicet, cōpositio,  
 aut vnitās partis. Deficiente enim influxu cordis, aut hepatis, vitiatur instrumēto-  
 rum naturalium temperamenta: quæ virtutum ipsorum sunt instrumenta. Sed quare  
 si ab hepate naturalis mādatur facultas, & a corde vitalis, pro cōseruatione faculta-  
 tum mēbris insitarum: in morbo instrumentorum naturalium, nō imponūtur remedia  
 cordi & hepati? Quin & in phrenitide, & in quouis morbo coquendo, iisdem mēbris  
 deberent apponi: Cerebrum enim, & quæuis alia corporis pars, quo ad coctionem atti-  
 net & nutritionem, instrumentum est naturale, & innatis regitur facultatibus, ut  
 notat Gal. lib. artis medicinalis, cap. 9. in hæc verba. Quæ autē à seipsis gubernātur,  
 sunt cartilago, os, copula, seu ligamentum, membrana, adenes, adeps, caro simplex. Re-  
 liquæ vero partes, cum vnā cum istis, habeant ex se ipsis regimen, arterijs, venis &  
 neruis insuper eguerunt. Galenus vero nō semel vituperat, phrenitidis remedia, cor-  
 di aut hepati imponi: ergo à corde & hepate, nullas virtutes recipiunt. Dicendum est,  
 quod in omni cuiusq̄ partis morbo, triū principium mēbrorum robur ac firmitatē desi-  
 deramus, non æque tamen, sed primo cordis, deinceps hepatis, & tertio cerebri. Pro  
 impari scilicet necessitate, atque cuiusque è dictis membris vsu: in quo vincit cor, quo-  
 niam sine ipsius influxu, nullum cæterorum, officio suo fungi valet, autore Galeno,  
 quinto libro de locis patientibus, capite primo. Deinceps iecur tum ob coctionem ma-  
 teriæ morbi, quæ à naturali facultate est superanda, tum ob communem nutritionem.  
 Minor est in morbis, cerebri necessitas, eo enim eatenus tantum indigemus (ut scri-  
 bit Gal. 7. lib. Therapeutices Methodi in fine) quatenus respiratione nobis est opus.



ut vero expedite respirent ægotantes, ingenti robore non indigemus, perinde atque ad luctam, cursum, aut exercitamentum, à quibus ægri omnes sunt arcendi. Cum ergo à suo robore, unumquodque è tribus dictis principijs deciscit, aut periculum ne labatur imminet, curandum est robur eius seruare, pro cuiusque eorum vsus portione, plus indulgēdo maiori vsui, & minus minori, autore Gal. septimo libro Methodi citato. Quoniam tamē per morbos vnius generis, raro imbecillantur reliqua duo principia, ob id raro ijs remedia adhibemus. Quæ tamen non inutiliter adhiberemus, etiam si semper ipsa roboraremus, siquidem non prohibet Galenus, roborantia cor, aut hepar, in phrenitide imponere: sed remedia curantia phrenitidem, nimirum repellentia, coquentia, & digerentia, alteri à cerebro applicare vetat. Falsum præterea est, quod in plantis, nulla habeatur pars, quæ altricis facultatis sit principium, ex qua, in vniuersam plantam vis emanet. Aristoteles enim, libello de iuuentute & senectute, capite primo, postquam trium partium quæ in plantis habentur meminit, ita scribit. Vegetabilis profecto animæ principium, in medio illarum trium partium haberi, tum visu, tum etiam ratione deprehenditur. Et paucis interpositis, generatio (inquit) quæ semine fit, omnibus è medio prouenit: cum enim biualua sint semina omnia, qua coherent, mediumque partis vtriusque habetur, hinc vna cum caule, radix etiam eorum quæ nascuntur erumpit, principiumque medium ipsorum est. Quibus verbis, partem mediam, tum in seminibus, tum in plantis reperiri, è qua radix infra, & caulis supra, & oriatur & dispensetur tradit. Quam sententiam, Dilucidius expressit Galenus, sexto libro de Placitis, non longe à principio, in hæc verba: Verū ante quā hæc agamus, de plantarum generatione & dispensatione, considerandū videtur. Par enim est, ut facultas hæc, de qua querimus, cum in his sola insit, partis eius, clara nobis inditia exhibeat, vnde emanet. Semen igitur, cum iactum in terram fuerit, si aridus sit ager & siccanens, nihil amplius ad plantæ procreationem inde concipit, sed cum terra ad se se, totum innatum ipsius humorem attrahat, fatiscit. Quod si moderate rigua gleba fuerit, tunc emollitur primum semen, & tegumentum & cortex (quo quasi cute circumdatur) intumescit, mox humore insito in aërem conuerso rumpitur. Inde ex illa ruptura, germinatio quædam, tenuis illa quidem, ac molli egrediens, in vtramque partem protenditur: in superiorem, aërem versus: & inferiorem, in terræ profunditatem: quam quidem, & continuum incrementum accipere, & ferri semper quo semel incepit conspicimus. Processu vero temporis, si arboris alicuius magnæ, semen id fuerit, pars ea quæ in aërem subijcitur, truncus: quæ deorsum in terram penetrat, radix efficitur. Atque vtraque, si multifida arbor est, in multas scinditur particulas: ut vnum & ortus & incrementi, omnibus plantæ partibus principium, locū illum esse appareat: vnde & supra trunci, & infra radicationis, origo effluxerit: videaturque inde, quasi è laribus quibusdam, ea quæ arborem regit virtus, & facultas proficisci. Quam quidem, contrario agitari motu satis

tu satis constat, deorsum in terram, dum primas radices, tum scindendo diffundit, tum augendo producit. Sursum, dum stirpes nouas, & ramos progerminat, atque eos subinde in alios, in summa vsque & minutissima, tenuissimaque flagella, atque virgulta diffundit. Atque hanc superiorem partem, quæ eadem arbor est, tum sua, tum fructuum causa, videtur ad hunc modum formare. Inferiorem, quo alimenti suppeditatio non desit, cum eodem scilicet munere, fungatur in plantis radicis extremitas, quo in animalibus os, ac plane fibræ quasi osculis multis, nutrimentum à natura fabricatum, ac præparatum, è terra illæ attrahant. Quæ Galeni verba, luce clarius monstrant, plantas è certo principio, tum generationem, tum facultatum dispensationem sortiri. Quoniam autem istiusmodi principio, iecur in animantibus respondere probauit: ideo concludit: quod talis cuiusdam facultatis origo, iecur est, qualem in plantis esse constat. Vim vero sanguinis creatricem (apud Galenum) duplicem statuere oportet: vnam quam iecur venis suppeditat, quoniam sphaera actiuitatis iecoris (ut diximus) venæ sunt, & ad ipsas, vis hæc sanguifica (quæ maxime in iecore viget) redundat: magis ad venas hepatis proximas, & minus ad remotiores: quoniam ad finem sphaera, minor semper fit vis agentis. Hinc statim ac venas meseraicas subintrat chylus, rubore inficitur: in venis vero ultra iecur remotioribus, sanguificatio iam fit exigua. Vnde Auicenna prima primi de Humoribus, pituitam vasorum corporis, non censuit in sanguinem verti, nisi famis tempore: quia in fame, totus naturæ conatus, vertitur ad pituitam, sicut in morbo ad materiam morbi, & adeo valide conatur vincere, ut venena interdum conficiat, & eis ipsis, tempore famis, alatur natura. Nec enim oportet, ut crudus humor, retrocedat à vasis ad iecur (frustra enim eius distributionem fecisset natura, à iecore in venas, si iterum esset ad iecur reuocandus) Nec membra, famis tempore permetterent, crudum humorem ad iecur trahi: tum temporis enim, maior est membrorum, quam iecoris indigentia, siquidem prius exinaniri cœperunt: validius ergo quam iecur attrahent & retinebūt. Alteram vero vim sanguificam, insitā sibi habent venæ, ob certā quandam temperiem, & elementorum commistionem qua constant, ut scribit Galenus, primo libro de Facultatibus naturalibus. Sunt enim venæ, sua natura iecori adsimiles, & ob id hepatis præparant, modo quo ipsum simillimo, ut scribit Galenus quarto libro de Vsu partium, capite secundo. Adest enim in vena, præter fibras multas quibus textitur, caro quædam adnata, quæ propria venæ substantia est, ut scribit Galenus decimo libro Methodi. Atque huius carnis ratione similitudinem aliquam substantiæ seruat vena, cum carne iocinoris: quoniam primum germen ex illo duxit, ut notauit Galenus, quarto libro de Vsu partium citato. Dictum autem à Galeno sepe est, quod substantiarum proprietates, facultatum etiam sibi conuenientium proprietates, secum habeant: Caro ergo venarum, vim aliquam, & facultatem sanguinis creatricem habebit. Quoniam autem

hæc similitudo venarum ad iecur, adeo est exigua, ut conspicuum aliquem ruborem, non possimus in venis advertere, ob id exigua inest ipsis, sanguificandi vis. Quæ quavis ob sui exiguitatem, se sola sanguificare non posset, venas tamen reddit aptas, ad suscipiendum ab hepate, sanguificæ virtutis influxum. Huius enim apparatus defectu, nec ventriculo, nec reliquis conterminis partibus, quæ circum circa iecur sunt, vis sanguificandi impertiri potest. Hinc recte Galenus ob substantiæ proprietatem, iecori quodammodo assimilem, vim sanguinis creatricem, insitam esse venis, declarat sepe, & ob exiguitatem, quam venæ cum iecore, & sanguine, similitudinem habent (albæ enim sunt & membranosæ) sanguinem nullatenus, vi propria gignere posse, arbitratur libro sexto de Placitis. Quare sequens est, ut iuuentur virtute à iocinore, per tunicæ raritatem defluxa: nisi ex accidenti, ob solam materiæ præparationem, ruborem sanguini conciliari arbitreris. Quod tamen falsum esse existimo, primo, quoniam sanguinis generatio, etiam ex crudo humore, & pituita, quæ ad venas transit, à natura intenditur: ergo à facultate nostri, & non per accidens proveniet. Secundo, nam huiusmodi pituita, pro ratione coquentis membri, colorem ascescit, aut rubicundiorum aut albiorem: adeo ut cum merum excrementum est, & non nutrit, ruborem accipiat in renibus, & candorem in vesica, quod monstrant calculi, utrobique geniti. Quare qui sanguinem in venis gigni, nec insita venis vi, nec à iecore defluente statuunt: sed calore membrorum adiacentium, & copia caloris sanguinis probe confecti, qui per venas ipsas, pituitæ attiguus fertur, merito sunt reprehendendi. Tum quoniam Galeno adversantur, tum etiam quoniam calor natiuus, siue sanguinis, siue spirituum, siue adiacentium membrorum, fit instrumentum partibus coquentibus, ut melius, & citius, functiones obeant suas. Sic enim chylus, ceu in lebete à ventriculo conficitur, calore circumstantium membrorum iuvante coctionem. Princeps ergo agens venæ sunt, quæ calido innato, tum suo, tum adiacentium, tum spirituum, iuvantur in sua actione. Iecur præterea quatuor humores gignens, rubrum gignit colorem, quoniam omnium cogeris, & massa rubra est, quavis in ea pituita sit alba, & utraque bilis pallida, & atra. Nec alij humores à sanguine, ex sola materiæ necessitate proveniunt: sed ex intentione naturæ, pro nutritione tum iecoris, tum etiam reliqui corporis: nam cum ex quatuor constemus humoribus, eorandem congerie, nutriri & reparari debemus. Quare si venæ, sua natura sola, sanguinem conficerent, candor & non rubedo, in huiusmodi sanguine præpolleret: non enim minus apta est pituita, & humor crudus, ad retinendum candorem, quam ad induendum ruborem. Ad aliud vero dicendum, quod venæ resectio interdum utilis est, quoniam licet per eam, utilis facultas ad partem influat, fit quandoque, ut plus obsit vena, pluris sanguinis quam oportet, affluentia: quam proferat facultate allata: quo tempore utiliter resectatur, quoniam plus prodest sanguinem intrecipere, ne in partem influat, quam noceat defectus facultatis, quæ tunc per alias venas, copiosius influere poterit.

Ad alterum vero de facultate concupisibili, dicendum est, duplicem eam haberi, unam

unam plantalem quæ naturalis est, & alteram ex appetitu sensivo ortam, quæ plantalem sequitur. Hæc evidentior est, quoniam cum sensu fit, & ob id proprius, concupiscentiæ vocabulum ei aptatur, quam alteri plantali quæ sine sensu fit. Hæc duæ facultates, licet circa eadem versentur, puta circa nutrimenta & generationem, diverso tamen modo (ut docte docuit Philoponus in proœmio ad libros de Anima Aristotelis) virtutum enim plantalium, illud est proprium, quod simpliciter nutrimentum, genituramque, sine sensu concupiscunt. Ut cum dormientes nullo neque sensu, neque imaginatione adducti, semen emittimus: pari modo operamur, ac plantales ipsæ virtutes faciunt. Alia quoque membra à ventriculo, quibus deest sensus indigentia, more plantarum cibum concupiscunt, & è ventriculo trahunt, eiusque substantiam diuellunt: adeo ut tristem in ipso sensationem faciant, quam famem appellamus, & plantis inesse nequit. Cupiditatis vero (ut dixit Galenus) proprium est, iucundarum rerum fruitio. Hæc non simpliciter nutrimentum, sed suavia ædilia, & gula placida vina: nec generationem, sed coitionem cum hac aut illa procurat, & concupiscit. Sic etiam animalia rationis expertia, cum feminas viderint, in appetitum moventur, quapropter cum cognitione quadam, cupiditas huiusmodi semper est. Cognitio autem & sensus, non est à iecore, sed à cerebro, quod sensum impertit ventriculo, ut famescat, & sitiatur: & pudendis, ut pruritus & voluptatem, ex semine & coitione percipiant. In quibus, cum motus fiunt immoderati, perturbationes fiunt, intemperantiæ & incontinentiæ: et cum ratione cohibentur, continentia & temperantiæ virtus consurgit. Quod & ipsa Galeni exempla monstrant: Tytiuum enim refert, pœnas luentem, quod impudice Latonam sollicitauerit: Et Menelaum affert, qui stricto ense, in Helenam, quasi eam occisurus fertur: deinde ubi vidit, stupore adeo ob pulchritudinem correptus est: ut ne tenere quidem gladium amplius potuerit, sed abiecerit. Unde obiurgatio in eum ita fertur.

Vbi papillas eius aspexisti, statim

Tibi coruscus gladius, e manu excidit,

Et proditricis osculum excepisti, canis.

Quæ sane cupiditates, plantales non sunt, sed sensuales. Quoniam tamen perpetuum inter se comitatum hæc duæ vires seruant (animalium enim fundamentum, naturales sunt, & sine operationibus naturalibus, fere non fiunt animales) ob id animalium nomine, naturales veniunt intelligendæ, quæ sine sensu fiunt. Sic enim libro de symptomatum differentijs, capite quarto, inappetentiam & immodicam cibi appetentiam, symptomata facultatum naturalium fecit, Galenus ob dictum comitatum, quæ habent animales functiones, cum naturalibus sensu carentibus. Forte autem Galenus plantas concupiscere, & peculiarem quendam sensum, conuenientis & disconuenientis, habere censuit: non visum, non auditum, nec eiusmodi alium, à virtute animali pendentem sensum: sed alium qui circa alimenta & excrementa, trahenda, aut expellenda versetur, qui animæ plantatiæ sit proprius, & in animantibus à ieco-

re, in vniuersum corpus deriuetur, sicut in plantis, à parte iecori proportionali. Per hunc enim sensum, plantæ & nostri corporis membra, trahunt sibi conuenientiora, & expellunt contraria: & tam in attractione conuenientis, quam in expulsionem nociui, voluptatem habent & fruitionem sibi propriam. Hoc enim personare videntur Galeni verba, in fine libri de substantia facultatum naturalium scripta, quæ sic habent. Cum vero quot, qualesq; naturales facultates sunt ostenderimus, quæstio quedam per consequentiam oboritur, quomodo proprium eas attrahere dicamus, alienum autem discernere. Siquidem impossibile esse videtur plane præoscant, quale proprium ac familiaris sit, quale externum: aut attractionem faciant germanorum, aut alienorum secretionem. At agnoscere sensoria facultatis, munus esse constat. Ob id igitur in hoc sermone, quedam obauditio est, tametsi Plato aperte dixerit genus sensationis, in plantis diuersum est. Nimirum audientibus, quandam in eis agnoscendorum priorum, atque alienorum vim inesse putantibus. Horum enim tantum ipsis dignotio est, quæ tum per voluptatem, tum per molestiam, aut aliquos similes vs, proportionem de conuenientes affectus progignitur: cum sensilium nequaquam discretionum aliarum, particeps sit naturalis anima, neque enim visilium, neque audibilium, neque olfactilium, neque gustatiliū, neque tactilium qualitatū dignoscendarum, iudicium obtinet: sed eorum tantum, quæ vel alere vel non alere possunt. Nam quæ alendo sunt, ad se ipsa trahit, detinet, concoquit, atque ad nutriendæ substantiæ geniale, ac comodum transfert: quæ inepta alimonie sunt, nequaquam admittit. Itaq; recte mihi dicere Plato videtur, styrces sensu esse præditas, cognatorum videlicet atq; externorum: eatenusq; animalia dici, non incongrue potuisse: cū id quoq; accedat, vt nec interno priuatæ sint motu. Sed cum huiusmodi cognitio, ad medicinalem phylosophiam necessaria non sit, contentus sum solius gratia sequellæ, ad verisimile vsq; progrediens, Platonem commendare: & plantas animalium vocabulo nuncupantem, & vnius participes domesticorum, atq; alienorum, discretiui sensus afferentem: qui si exacte consideres, iucundorum, & non iucundorum generis esse videbitur. Non enim alia vlla de causa, germanum eas attrahere, vel sibi ipsis assimilare, quam ob fruitionem, & ingenitam eis voluptatē dicere possumus. Hæc Galenus. Quæ multo minus nobis arrident, primo, quoniam quibus sensus aliquis est tributus, motus etiam aliquis, ex arbitrio cōceditur, quo carent plantæ. Secundo, nam attractio conuenientium, & expulsio eorum quæ incommodant, sine sensu fieri possunt, ob substantiæ similitudinem & contrarietatem, vt sæpe alibi voluit Galenus. Tertio, nam si plantæ sensum habent huiusmodi, & membra nostri corporis, eundem accipiunt à iecore, sentiremus delitiam in manu, aut pede, quotiens sanguis, affluit ipsis pro nutritione: sicut colores sentimus in oculo, & sapes in lingua. Quarto, nam siue hic sensus statuatur, siue non: fames, sitis, & libido, non pendunt ex hoc, sed ex altero à cerebro per nervos orto: quod fundamentum habet (vt diximus) in appetitu plantali, trahendi nutrimenti, aut expellendi superflui. Quin si accuratissime, quid Galenus, per facultatem concupiscibilem intellexit expendamus.

pendamus, intelligemus non semper plantalē virtutē intellexisse: sed interdū etiam sensualē, quæ nec ex plantali pendere, nec cū ea iungi potuit. Exēplū enim, quod ex Platone affert Gal. 5. lib. de Placitis, ad ostendendū pugnā facultatis concupiscibilis, cū irascibili, monstrat per facultatē concupiscibilem, sensualem appetitū, sine aliquo plantali, intelligendū esse. Refert enim Leontiū, cum ex Pyraeo sub boreali muro rediisset, sensissetq; intus apud carnificem, iacere prostrata cadauera, simul & spectare cupisse, & ægre affectū oculos auertisse, tantisperque secum pugnassee, faciemq; obtexisse, donec cupiditate superatus, oculos diduxit ac patefecit: atq; ad cadauera accurrens, sen (inquit) miseri, pulchro spectaculo saturemini. Vbi concupiscētia, nihil fuit aliud, quā appetitus sensiuus, qui videre cupiebat.

Principium vero, atque exortus neruorum, pariter & virtutis, tū sensiuæ tū motiuæ, è cerebro esse, non è corde, adeo est manifestū sensui, vt nihil fuisset in huius indagatione immorādū. A cerebro enim septē cōiugia oriuntur, in organa fere sensuū distributa: è quo etiā spinalis medulla, eiusdē cum ipso substantiæ, & eisdē meningibus obuoluta profunditur. Ab hac, viginti nouē neruorū mouētium coniugationes trahuntur: octo à ceruice, duodecim à dorso, quinque à lūbis, & quatuor ab osse sacro. Præter hos vero, Aui. 1. 1. doct. 5. cap. 12. ab extremo caudæ, neruū sine coniuge educit: qui tamen inter vincula, non inter neruos, deberet memorari. Cor vero, neruorū propagationes quasdam exiles, à sinistro sexti paris neruo, ne omnifariā planta sit accepit, autore Gal. 6. de Vsu par. cap. 18. Vt tamen ipso sensu, Aristotelici quidam, dicūt neruos è cerebro oriri, vim tamē sensiuam, à corde in ipsos & cerebrū promanare: vbi sensus explicant, & manifestat se se. Feruore enim cordis, à cerebri frigiditate sedato, sensus in capite primū apparēt. Nā pro sensuum actionibus, cor, & spiritus ab eo profecti, nimis calere statuūt: quod qualitatū extrema, sensus omnes refringāt, & tēperies acuat eosdem. Vnde 4. de gen. anim. cap. 10. de capite dixit Arist. quod est manifestatio sensuum. Hinc Aui. 1. 1. doct. 5. cap. 1. Phylosophi (inquit) sermo, cum subtiliter certificatur est veracior, sed medicorū sermo, in primis cum attēditur, est magis manifestus. Et rursus. Phylosophorū namq; magnus (Aristotelē intelligit) dixit quod membrum tribuēs & non suscipiens cor est. Ipsum namq; est omnium virtutū prima radix, & omnibus alijs mēbris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur & viuūt, & quibus cōprehenduntur & mouētur. Et. 1. 1. doct. 6. cap. 1. Sūmo (inquit) Phylosophorū Aristoteli videtur, omnium istarum functionū principium esse cor, sed primarum operationū facultatū manifestationē, in his prædictis existere principijs, nepe cerebro, hepate, testibus. Et exēplum subdit. Quēadmodum apud medicos, cerebrū est sentiendi principium, & post hoc, quisq; sensus mēbrum habet, in quo eius apparet operatio. At medico vt medici nomen subit, minime cōgruit, harū opinionum vtra sit verior indagare, cū illud sit phylosophi, non medici munus. Et libro de viribus cordis, cap. 1. Vt mēbra (inquit) vi naturæ genita, & si plura numero sunt, vnum tamē est cæteris generatione primū, quodcumq; illud sit, secundū opinionum varietatē, quo tandē genito, aliorū sequitur generationatio



neratio membrorum, sic itidē & spiritus, & si plurimi sunt, vnus tamen ipsorum generatione primus est, qui secundū potiorē phylosophorū sententiā in corde gignitur, & inde procedēs, in cætera principalia mēbra manat ac penetrat, in quibus cum sufficienter morā traxerit, adipiscitur tēperie peculiarē quādam, sibiq; propriā, vt in cerebro tēperiem eam, qua ad susceptionē sensus & motus disponitur, in hepate susceptiuā virtutum nutritionis & augmenti, in testibus eā qua ad generationē preparatur. Et Chrysippus referēte Gal. 2. de Placitis, licet nerui sint à capite orti, tamē à cordē operationē functionēq; adipiscuntur. Sed absurda est sententia, Primo, quoniā Aristoteles, instrumēta à parte in qua facultas viget, oriūda existimauit: vnde cor statūēs sanguinis autorē, venas ab eo traxit, per quas veberetur in mēbra. Et quoniā sensus & motus, principiū, in corde posuit, ob id neruos inde hauriēdos putauit. Si ergo nerui à cerebro oriuntur: vis motiua & sensiua, nō erunt à corde, ex sui ipsius principio cōcludimus. Secūdo, nam sensum relinquūt, qui est omnis demōstrationis principiū, & ignotas latebras quæruūt, vt mordicus Aristotelē defendant. Tertio, nā sensum in cerebro manifestari, nec dixit, nec voluit Arist. lib. enim 2. de par. anim. cap. 7. cerebrū nec sentire nec cū partibus sentiētibus cōtinuitatē habere, sed solius refrigerij gratia creatum fuisse scripsit. Et lib. de progressu animalū, putat spiritū à corde ad mēbra deferri, motionis arbitrariæ autorē, simul cū villis in corde contētis, nulla facta de cerebro mentione. Quarto, nā obstructo cerebro, animal amittit sensum & motū totius corporis in apoplexia: & medietatis corporis in paralyti. Et præsciso, aut obstructo, aut ligato neruo, perit sensus & motus, eius partis in quā fertur: ita vt infra præscisionē aut laqueū, nullo modo sensus fiat, & supra vsq; ad cerebrū sit incolumis. Et in tauris (quod quotidie videre licet) vbi dorsi medulla ad primā colli. vertebrā abscinditur, subito illi non modo currere, sed ne digitū quidē progredi, nec respirare, nec vocē edere amplius possūt. Et ab alimēti vaporibus, ac somno, cōpresso cerebro, vincuntur omnes sensus, & eo liberato excitātur & sentiunt. In quibus omnibus cor est illæsum, & eius virtus nullatenus impedita: quod mōstrant pulsus secundū naturā facti. Quinto, vbi cor patitur, & contabescit marasmo, sensus & motus nō modo est illæsus, verum fit interdum, vt sensus tā interni quā externi sint præoptiores: Et victime corde excēpto, visæ sunt respirare, intēte clamare, & fugere, donec præ sanguinis fluore intercident, autore Gal. 2. de Placitis. Nō ergo à corde, sed à cerebro, animalis facultas in omnia organa fertur. Accedit potissima Gal. demonstratio, 2. de Placitis lucidissime tradita. Ibi enim, quæ & quod sint, ea quæ cerebrum cordi coniungunt explorat, & ijs ipsis ad cololum vel præsectis, vel collis, vel laqueo interclusis, animaduertit affectus & symptomata, quæ animalibus inde contingunt. Cor cerebro necitur, per duas venas iugulares, per totidem arterias soporarias appellatas, & per duos neruos, ipsis arterijs substratos. Hæc omnia incisa cute adiacēte, in collo detegit, venasq; & arterias ante præscisionem, supra, infraq; laqueo cōstringit, & in medio præscindit, ne sanguinis aliquis fluor inde consequatur. Ad venarū præscisionē nulla euidenter functio interit.

Neruis

Neruis sectis, mutū animal redditur: nullaq; alia functio, aut tūc illico, aut post aliquāto, noxā aliquā cōtrahit. Si vero arteriæ, vel interceptæ laqueis, vel dicta ratione præsectæ fuerint: animal neq; mutū, neq; sopitum euadit: nisi neruos vna comprehendens, quod quidā fecerūt, dissectione male vtaris: cū enim ex male ad hunc modum, administrata dissectione, illico cōcidere animal viderēt: arterijs noxā adscribendam esse cēsuerunt, & soporem non recte appellarunt: cum obmutescentiā dicere debuissent. Cum sole vero arteriæ præciduntur, arteriæ quæ supra sectionem sunt, pulsum amittūt: inferiore earū parte vsq; ad cor, & omnibus per totū animalis corpus distributis arterijs pulsantibus. Ex his ita sensui expositis, ratiocinatur facile: neq; cor ad pulsum motū, cerebri opera aliqua indigere, neq; cerebrum cordis, vt sentire, & per voluntatē fungi officio suo, anima queat. His adde, quod si cor est omnium virtutum origo, poterunt omnes in sua origine vitari, antequā in proprijs organis, manifestationem accipiāt. Tūc autē remedia essent aptanda cordi, & nō cerebro, in obliuione & amentia: nec iecori in hydropa, & malo corporis habitu: quod tamē aperte falsum esse, nō est dubiū. Demum artificiosa, & varia cerebri formatio, & cōpositio, multū eius vsum demonstrat. Nec plurimum pro Aristotele faciūt, quæ ad initium obijciebamus. Præcipuū enim viscus est cor, etiā si plantalis, & animalis facultas, alibi sedeāt. Quo enim ad vitā attinet, (sine qua nullius momēti sunt cætera) omnium maxime princeps est: nam est primum quod viuūt, & vltimum quod moritur: & mors non sequitur, nisi ad vltimum, noxa sit communicata cordi, nec validam noxam, sine morte, cor tollerat. Quare si principatus membri, definiatur necessitate ad vitā (vt solet definiri) cor est omnium princeps. Si vero principatus æstimetur, facultatis, & functionis dignitate, cerebrū dignius est: quoniā in eo facultas animalis sedet, sēsationes, & intellectuiones perficiūtur. Nā principatu membri sic æstimato, testes etiā cordi, quadantenus præponere visus est Gal. 1. lib. de semine: ob vim gignendi, quæ vitæ perpetuitatem in specie pollicetur. Sicq; vtriq; hac ratione ministrat cor, materiā exhibens idoneā: suis muneribus obeūdis: nepe spiritus vitales, ex quibus cerebrū creat animales spiritus, & testes gignitiuos. Quāuis etiam nec cerebrū, neq; hepar, nec reliqua mēbra, operari possint, sine cordis influxu: ceu cōmuni quodam auxilio, omnibus membris necessario: propria tamen cuiusq; membri operatio, non est tribuenda cordi: sed membro quod formā indit, perfectionem, assimilationem & vim. Sic ventriculus chylū conficit, licet iuuetur calore membrorum circumstantiū, nā sibi assimilat alimentū, & formā inducit chyli, sicut & iecur sanguinis. Sic cerebrum licet iuuetur cordis influxu, & sine eo non possit operari, spiritus animales creat: illis enim impertitur formam, lucem, perfectionem, & vim motiuam, ac sensiuā: sic & testes gignitiuam, nō autem cor. Perinde enim ac sol, plantas creat, & animalia, (sine cuius influxu, & beneficio, semina non procrearent,) vis tamen procreans, est in seminibus, non in sole: ita cor, quod in nobis est veluti quidā sol (sine cuius influxu, membra non possent officijs fungi suis) iuuat omnium membrorum functiones: quæ sine corde, aut fieri nequirent, aut vix, & breuissimo quodam tempore, quod

quod videntur contigebat exempto corde, secundo libro de Placitis, autore Galeno. Sic in syncope, omnium membrorum vires concidunt, deficiente in ipsis cōmuni instrumento, & influxu cordis. In summa vñ esse cōmune instrumentum, spiritum scilicet, & innatum calidum, per cordis influxum trāsmissum, verum est. Huius absentia, infirmatur coctio, in vētriculo mediantiu: & meditatio, in ebrietate cōcoquenda. Præter hunc autem, cuiq; functioni, non præesse vim peculiarem, & peculiare instrumentum, nō est verum: motionibus enim arbitrarijs, & sensibus, præest in cerebro vis, & spiritus animalis: sanguificationi vero, vis altera in iecore, cuius peculiare instrumentum, est iecoris temperamentū, & spiritus cōplantatus, aut naturalis, si hunc spiritum dari admittamus. Male etiā arguunt ob defectū sensus in cerebro, vim sensiuā non inde manare, sed e corde: Nā nec cor ipsum punctum dolet, nisi leniter in membrana, ob neruulum quem a sinistro recurrente neruo accepit. Vnde dicendū, quod quauis cerebrum, sit sedes facultatis animalis, non oportet vt sit organum sensuum exteriorum: neq; enim videt, neq; audit cerebrū, sed oculus: & auris. Nec magis oportet vt tactu valeat, quam visu aut gustatu. Pro internis tamē sensationibus obeundis, dum ab externis sensibus pulsatur, maxime idoneum instrumentum est cerebrum, ibi enim omnes perficiuntur. Quo fit vt princeps animæ vis, ibi non alibi sedeat.

Cor ergo, si nec, est origo venarum, nec neruorum, nec facultatum naturalium, nec animaliu, a quo dicetur princeps? cuius nā facultatis & instrumenti est principiu? Tot respondendū puto facultates in ipso residēt, quot habet proprias actiones. Spiritū vitale generat, cui vim impertit, omnia mēbra viuificādi, tēperādi, & cuiusq; partis facultatē, naturā, & robur cōseruādi. Hos creat & perficit spiritus, in sinistro vētre, ex aere inspirato & elaborato in pulmonibus, & ex sanguine, in dextro sui vētriculo, ad id munus parato, & per solidā cordis substātiā ad sinistrum vētrē trāscolato. Cuius generationis efficiēs, est facultas & animæ virtus, quæ eū spiritū facere est potis: quā ab effectu viuificādi, vitale appellamus. Huiusmodi autem facultatis actio, qua spiritus proueniūt, nō est coctio pprie sumpta, quāuis generaliori coctionis vocabulo dicamus spiritū vitale coctione prouenire. Primo, quoniā coctio fit a facultate naturali, a qua vitalis lōge distat. Secundo, quoniā in coctione, id quod coquitur, redditur simile coquēti, in substātia, modo substātiæ, & accidētibus. Spiritus vero, nullā cū cordis substātia cognationē habet: Nec cor nutritur spiritibus, nec sanguine tenui & spirituo-  
so: Corpus enim ipsius cordis, crassum ac dēsum cū sit, cibū nō immerito exposcit cras-  
siorē: ob idq; sanguinē ducit a vena caua, quo nutriatur prius, quā ea ad cor immigret.  
Eo enim cū peruenisset, calidus, tenuis, ac vaporosus futurus erat. Qua in re quod nō  
nullis videtur absurdū, maxime omniū rationi cōgruere est putādū: vt cor scilicet pul-  
moni præparet alimētū, sibi autē ipsi minime, ille enim sanguinē postulabat tenuem, ac  
vaporosum, hoc autē nequaquā: vt 6. de Vsu partium, autor est Galenus. Tertio, nā  
huius generationis, nulla excrementa visuntur, duplicis autem excrementi, crassi atq;  
tenuioris prouētus, in omni coctione est necessarius, vt 3. lib. methodi, Gal. est autor.

Sed

Sed vt quid opus fuit hac virtute vitali, & spiritu? Nam plantæ sine ea viuunt, ex animæ vegetatis participatione sola, a qua diutissime conseruantur: Animatia etiā quæ natura (vt plantæ) simul & sensibus a facultate animali profectis tenentur: nō videntur hac indigere: Si enim sola anima plantalis, sufficit vitā, satis & fruticibus cōseruare: cur nō sufficiet animatibus ipsa, cum altera sensus atq; intellectus partici-  
pe copulata? Dicendum quod vt quidpiam perfectius est, eo pluri indiget præpara-  
mento, & apparatu materiae. Plantis ignobilibus sufficit vegetans anima, & pro ali-  
mento lutum, & crudus quidam succus, e terra haustus. Animantibus vero puriori  
alimento: & facultate alia quæ spiritus generaret, & vegetiora ipsa membra red-  
deret, fuit opus: sic perfectioris rei natura postulante. Facultas quoq; animalis in ce-  
rebro, huius virtutis & spiritus, apparatus poposcit, nec sine eo consistere posset.  
Spiritus enim animale, ex vitali vltius elaborato, & pro sui ratione subactio  
generat. Quare hæc virtus vitalis, animali præstat materiam, & vegetanti vigorem  
necessarium, & vitam: quæ in animantibus nihil est aliud, quam facultatum, & fun-  
ctionum omnium, aut saltem principū conseruatio: Sicut mors earundem extinctio.  
Vnde lib. 9. Methodi, Gal. has (inquit) facultates seruare, nihil est aliud, quā vitam  
seruare. Aristoteles vero libro de Respiratione, capite decimo, mortem & vitam  
aliter definiens (quod scilicet vita, est mora animæ vegetatricis cum calore: & mors,  
ipsius caloris extinctio aut marcor) de vita plantali intellexit, quæ omnibus, tum ani-  
mantibus, tum plantis est cōmunis, non de ea quam tribuit cor, spirituum generatione  
& influxu.

SEDET rursus in corde, facultas altera, εὐμοσ & animosa appel-  
lata, cuius opera sunt, Animæ tenor (quem Tonon dicunt) & in ijs quæ ratio ius-  
serit inuicta constantia. Hæc in bona fortuna magna ex parte anhelans, pro ipsorum  
varietate, varias perturbationes in corpore facit. Vtitur autem sanguine & spiritu,  
a facultate vitali creato, ceu instrumento sibi accommodato. Si bona sunt præsentia,  
quibus potitur homo, gaudio perturbamur, in quo vis animosa extra fertur vniuersa,  
& eo mouet sanguinē & spiritū, vt ipso bono externo fruatur. Si mala vero adsint,  
tristamur: & vis hæc animosa, præsens malum deuitare studens, & veluti refugiēs,  
intro fertur: eoq; agit sanguinē & spiritum. Cum vero bona, futura sunt, spe fruendi  
animus exultat: sicut futuri mali apprehensione, hæc vis nos exagitat, & metu per-  
turbat. Pro differētia autem bonorū in quæ fertur, aut malorū quæ auertere curat,  
particulares perturbationes mouet. Ambitio enim fit, cū honorū stimulis, hæc vis in-  
flāmata, cōcitatori motu fertur in ipsos: Auaritia, cum in diuitias effertur: & Ira,  
cū in vindictam acceptæ iniuriæ, aut in victoriā pugnae, & dimicationis excādescit.  
Est autē hæc facultas irrationalis, quæ nō apprehendit, nec iudicat bonū aut malum,  
nec de euentu cōsultat, sicut nec cōcupiscibilis. Primo quoniā brutā intellectu carētia,  
aperte irascitur. Leo enim in irā maxime est procliuis. Et tauri cū violentius in pla-  
teis tractantur, maxime excādescūt. Et non modo homines, sed & equi & belluæ,  
audito

audito tubarum sonitu, strepituq; armorum excandescunt, & animi quodam impetu rapiuntur. Plura quoq; animalia videmus pugnacissima, quæ sese mordent, dilaniant, & lacerant: nullo præter victoriam proposito præmio. Quod euidenter in coturnicibus, gallis, perdicibus, ichneumone, aspide, crocodilo, innumerisq; alijs bestijs, intueri licet. Secundo nam pueri, antequam rationis compotes fiant, irascuntur frequenter, calcitrant, mordent, & vincere prorsus, ac superiores euadere contendunt, donec auctiores facti, naturalem etiam quandam cum honestate conciliationem ostendunt. Erubescunt siquidem procedente ætate si peccauerint, honestisq; actionibus delectantur, in litiamq; & alias virtutes sibi asciscunt: multaq; ex harum virtutum notitia agunt, qui prius, quo tempore paruuli erant, perturbationes sequebantur, rationisq; præceptis non obediebant. Quir & ex nobis ipsis, ille qui ratione plurimū nititur, minimum ira, alijsq; perturbationibus affici videtur. Et qui perturbationibus succumbit, maxime à ratione deciscit: quoniam diuersa sunt principia rationis & perturbationis, illa enim ab intellectuali potentia, hæc à bruta proueniunt. Tertio nam rationalis facultas & irascibilis, certant, & pugnant sæpenumero inter se, & nunc ratio cohibet iracundiam, alias ab iracundia præcipitatur. Ratio vero sibi ipsi non pugnat, ita vt simul annuat & renuat, vellit & nollit, increpet & à se ipsa increpetur. Ira ergo & omnis perturbatio, à ratione & iudicio sunt separanda. Assumptū Vlyssis exēplo fit manifestum, qui cum flagitia ancillarū videret, & ab iracundia ad puniēdas eas violenter traheretur: ratio ipsum, rei importunitate demonstrata refrenat ac cohibet. Et quoniam à ratione iracundia, ad differendum in aliud comodius, opportuniusq; tempus vindictam, non poterat induci, vehementius corripitur, ac quasi equus excurrēs, à sesore (valido iniecto freno) violenter retrahitur, his verbis. Tollerat ò generosissimum cor, num etiam: vt prius Cyclopi miurias (cum socios interimi ac laniari conspicerēs) fortiter sustinuissti. Quod Homerus, referente Galeno, sequentibus cecinit carminibus.

Atq; ibi sollicitus, vigilansq; iacebat Vlysses,

Secum animo voluens pugnam, cædemq; procorum.

Cum videt ex aula letas prodire cateruas,

Femineas, risum inter se, blandumq; susurrū.

Miscentes, quæ nocte procis iunxisse cubile

Consuerant, pectusq; illi subito arsit in iras.

Multum agitat secum, mentemq; animūq; furentem.

In diuersa rapit, surgens ne accideret omnes,

An sineret tunc illa procis connubia iungi.

Vltima, valde intus cor ipsi in pectore latrat.

Vtq; canis paruos cætuos, sua pignora seruans.

Ignoto oblatrat quicumque accesserit, atque

Vim facit, & morfu cunctis pugnaciter obstat.

Sic indignanti cor oblatrabat, at ille

Pectora percutiens cordis sic increpat iram.

Cor tollera grauiora alias, peioraq; passum.

Illo scilicet horrendus quo tempore Cyclops

Mandebat miseris socios, in tanta pericla

Durasti, ex antri donec te limine prudens.

Consilium eripuit, cum iam interisse putares.

Sic ait his cor castigans sub pectore dictis.

Corq; illi paret tollerans, ac comprimit æstum.

Iracundia quoq; rationē interdum in pugna præcipitat. Quod contigit Medæ, cū animus ipsius, rationis atq; iracundiæ seditione agitaretur. Videbat quippe quam nephariū, quamq; detestabile facinus, erat perpetratura, cum eadem liberorum aggrediretur, ac propterea cūctabatur, & differebat. Neq; subito incitata id peregit. Sed ipsam iracundia, veluti equus effrenis, victo atq; excusso sesore, ad filios trucidandos iterum violenter traherat. Deinde rursus ratio retraherat, ac reuocabat: mox contra iracundia impellebat, rursus ratio renitebatur. Vbi vero sæpius hinc inde, ab vtriusq; his distracta, tandē iracundiæ acquieuit ac cessit. Ita enim loquentē eā inducit Euripides.

Cognosco quam nephanda nunc patro mala.

Sed ira consilio est potentior meo.

Nec valet solutio quorundam, dicentium quod huiusmodi perturbationes, non cōsurgunt, ex pugna diuersarum facultatū, rationalis nempe & irascibilis: sed ex pugna duorū iudiciorum contrariorū, in vna rationali potētia, quæ modo huc, modo illuc, ab illis impellitur. Cōtra enim apparet. Quoniā iudicia contraria, aut æquātur circa persuasionem, & sic nullus fiet assensus: aut alterū longe probabilius aparet, & sic assensu quidē & ex assensione illa agere aliquid, non inconsiderate tamen necesse est. Vt si quis voluptatem bonum esse opinatus, parum quid habeat à quo in contrarium retrahatur: vel si honestum quis, solum bonum existimans, à nescio qua tamen etiam ipse alia opinione reuocetur, vt non firmiter constāter que credat: aut si quemadmodum Pyrrho, vtraque in æquilibrio ponens, negationem & assensum inhibuerit: nullo ex his modo perturbatio existet. Opinioni enim infirmitas, & inconstātia, aut hæsitatione de re, aut error rationis, & intellectus: nihil habent cum perturbatione commune. Tunc enim solum fit perturbatio, cum rationi immorigera est appetitio. Secundo, nam eadem opinione, & iudicio rationis manente, sedantur perturbationes: ita enim lamentorum, & ploratuū remissio fit. Ab alia ergo facultate experte rationis, perturbationes pendent. Nec valet, quod quidam dicunt, non omnem opinionem, perturbationem facere, sed recentē: quoniā in initijs, res magis mouent ob nouitatem, cum vero inueterantur, minus exagitant ob assuetudinem. Cōtra tamen est, quod rationis cognitiones, & iudicia, & in vniuersum scientiæ omnes & artes, solo tēpore neq; tenaces firmæq; vt perturbationū assuetudines reddūtur. Neq; mutari, cessareq; sicut ægritudo, aliq; affectus



affectus, facile possunt. Quis enim cum bis duo, quatuor esse cognoscat, temporis processu satiatus, ab ea opinione unquam destitit? Quis ab ea quod omnes à centro ad ambitum sunt æquales, mutatus est, aliterque sensit? In singulis denique speculationibus, nemo reperietur, qui satiatus veterem opinionem deposuerit: perinde ut fletus, ut dolor, ut gemitus, ploratusque, & luctus deponi consuevere: licet eadem de rebus tanquam malis, permaneant opiniones. Tertio, in perturbatione quaero, quæ sit causa effusæ, & immoderate motionis contra rationem, causam enim cur fiat, constituere necesse est. At ea rationalis minime est, quoniam contra rationem esse aliquid, & à ratione fieri repugnat. Efficitur igitur, ut quæ perturbationem creat facultas, irrationalis sit. Sed huic rationi responderet forte quispiam, non ex irrationali facultate, perturbationem fieri, sed ex eo quod ulterius quam deceat, & iudicium & opinio efferatur: quasi ita dicat, ægrotationes in animo effici, non cum absolute aliqua de re, quod bona vel mala sit, falso opinamur, sed cum summopere, vel bonum vel malum, quid esse existimamus. Siquidem opinio de pecunijs quod bonæ sint, nondum ægrotatio est: sed ubi quis ipsas, summum bonum esse arbitratur, & si pecunijs priuetur, non amplius vitam vitalem sibi esse putat, tunc demum ea ægrotatio dicitur. In hoc enim auaritia, & nimium pecuniarum desiderium, quæ sunt ægrotationes consistunt. Sed contra est, quod sapientes qui honesta omnia, esse summa & insuperabilia bona existimant, & alij qui bona sua insuperabilia & summa esse opinantur, non mouentur cum perturbatione. Et Epicurus, qui voluptatem summum bonum, et supremam felicitatem esse fuit ratus, quauis falsa ratione, nehemiter fuerit delusus, non dicitur perturbatus, sed errans. Omnesque operationes, & singulares motus animæ, qui cum voluptate, tanquam finem prauè coniectant, prauos quidem necessario, & errantes habet: nondum tamen perturbationibus affectos. Proprium namque perturbationis est, ut sine ratione animus moueatur: est enim perturbatio, irrationalis quedam appetitio, & motio, ad rem prosequendam, aut declinandam. Quarto, nam ratio præter sua negotia, suosque terminos, reducere amplius non potest: alteram igitur esse facultatem rationis expertem necesse est, quæ in causa sit, ut ultra rationis terminos, appetitio redundet, ac superet. Vtilissimo hoc docet Galenus exemplo, currentium per accliuem, & item per decliuem: qui enim per accliuia loca decurrunt, ubi cursum volunt sistere, sistunt, quoniam is motus à sola est anima: qui vero per loca currunt decliuia, nequeunt statim, ubi voluerint consistere: quoniam corporis pondere grauari, deorsum eatenus præter voluntatem labuntur, quatenus grauitatis impetum, anima nequit sustinere. Sic ergo si appetitio, ultra rationis terminos redundat, nec ab ipsa gubernari ratione potest, causa atque facultas alia, est statuenda irrationalis, quæ corporis grauitati respondeat. Facultates præterea irrationales, in nostra esse substantia: quasdam quæ circa bona fortunæ, honores, dignitates, vindictam, & victoriam diximus versari: & alias circa cupiditates, & bona corporis, cibi scilicet, potus, & venereorum desideria, eò constat, quod si à dictis potentibus irrationalibus absolueremur, & sola rationalis nobis inesset potentia, quæ circa bona animi, & mentis, versatur: vitia nullatenus ingenerarentur nobis, neque quo modo peccet infantes possemus intelli-

intelligere. Nam prauitatem oporteret non intrinsecus, & ex ijs ipsis, sed extrinsecus tantum infantibus accidere. At quauis bonis moribus imbuantur, optimeque erudiantur, peccare tamen certe in aliquo conspiciuntur. Quin licet sub philosopho solo educentur, ut nullum neque audierint, neque viderint vitiorum exemplum, non necessario secundum virtutem vivere oportet. Cur ergo ubi viderint, audierint ve, aliquod vitiorum exemplum, non oderint illud, aut fugiant, si nullam cum eo affinitatem, nullamque naturalem conciliationem habent? Quæ necessitas tandem est, ut pueri à voluptate, perinde ac bono aliquo illiciantur, si nullam cum hac conciliationem habent? auersentur & fugiant laborem, si neque ab eo natura alienati sunt? Quid est cur laudibus & honoribus latentur, & gaudeant? Vituperia & ignominias moleste ferant, & fugiant? si neque adhuc naturalem quandam, aut conciliationem, aut depulsionem adepti sunt? Qui sit ut voluptas tanquam bonum, dolor tanquam malum probabilem visionem & speciem offert? Cur item victoriam Olympicam, statuarumque dedicationem, laudari, celebrarique à plerisque quasi bona, cladem contra & ignominiam vituperari, quasi mala audientes, propterea ita credimus & persuademur?

Hæc ergo irrationalis potentia, in corde sedens, quæ tenor, contentio, & animæ veluti neruus est, dictas perturbationes facit, & iram: à qua nomen irascibilis sortita est. Nam huius fere solius causa, homini est concessa, ut nimirum aduersus cupiditates rationi opituletur: tanquam canis quidam contra agrestem & multorum capitum feram. Rationi autem opitulanti tunc cernitur, cum aliquo vel intrinsecus à libidinibus, vel extrinsecus ab alijs, offendi ac se violari opinatur. Atque opinari se offendi rationis, opem afferre contra vim illatam, iracundiæ proprium est. Cum igitur immoderate ad aliquid labitur, cupiditas, secumque rationem violenter trahit: iracundia contra ipsam, rationi adiutrix accurret. Cum extrinsecus aliquis offedit, ulcisci illum conatur. Sed si ratio, à nullo se iniuria affici opinetur, quauis maximos cruciatus iuste patiatur corpus, frigore, fame, siti coercitum, nequaquam exardescit iracundia. Quæ quotidie in seruis contingere videmus: Nam qui vel furti, vel talis alicuius criminis conuicti fuerint, si cedatur, si inedia aut ignominia castigentur ab heris, non irascuntur. At illi qui vel pati, vel passos esse tale quidpiam iniuria se arbitrantur, semper seuientem iram in animo, ad summendas iniuriarum poenas habent. Quæ ex re patet irascibilem partem, quoad naturalem statum seruauerit, semper rationalis opiniones sequi. Fieri enim potest, ut aliquando deprauata, contumaciter contra rationem ipsa moueatur, ab ingenti aliqua cupiditate, præsertim si praua accesserit educatio, atque cum sensuum illecebris consuetudo. Nam & ægros videas, qui æstu placato, amicos & adstantes rogare solent, ut frigidam, & quæ ledere, & obesse solent, è conspectu auferant: postea vero sitis, aut alterius cupiditatis impatiëntia victi, ea per vim sibi porrigi faciunt. Vbi iracundia non modo tollit opem rationi, sed cupiditati facta auxiliaria, rationem expugnat. Nam cum ratio cognoscat futurum, sensus vero atque cupiditas tantum præsens, si rationem sequimur mouebimur ad finem futurum: si sensui adheremus, ad id quod præsens delectare



potest. Sensus enim, inuitat sitientem vt frigidam bibat. Ratio vero quæ euentum & mala quæ ex frigida potione, corpori accidere possunt prospicit: dissuadet, monetque vt abstineat. Tunc vero si corpus bene constitutum est, & nature legibus paret, facultas insurgit irascibilis, rationi aduersus sensum opem latura. Si vero mala educatione fuerit corrupta, & sensum insequi ratione posthabita didicerit, contra rationem ipsa mouebitur, & mentem ad sensuum delicias pertrahet.

Insidet præterea cordi, facultas altera, pulsifica appellata, quæ cor mouet, & arterias duplici motu, distentionis, scilicet & contractionis: vt nimirum distentione, aërem externum alliciat, & eius appulsu, natium calorem, & spiritum suoapte impetu flammescentem, refrigeret atque contemperet. Contractione vero, fumosum nutritionis recrementum, & fuliginem pellat, ne spirituum puritati incommodet, & natium calorem suffocet. Est autem vt operatio hæc, ita & facultas duplex: vnâ quidem contrahens, alterâ vero distendens, vt constat ex Gal, lib. 2. de Præfagatione ex pulsibus, cap. 8. Vbi enim est vna facultas animi, mouens ad vnâ partem, datur alia eiusdem generis ad oppositum mouens, vt libro de Vsu pulsuum, nõ longe à fine, scribit Galenus: nã in naturalibus, expultrix cohabitât cum tractrice: & in animalibus, musculo moueti ad vnâ differentia, contraponitur alter, mouens ad oppositâ: & in pulsifica ponit virtutem contrahentem, quia datur vis distendens arterias. Fallitur enim aperte Auicenna, dum vnâ facultatem, mouere motibus contrarijs statuit. Id namque facultatibus omnibus, quæ non ex arbitrio operantur repugnat. Nec satisfacit beatus Thomas, opusculo de motu cordis, quod hi duo motus pulsus, non sunt contrarij, quia habent vicem vnus circularis deficientis & intersecti. Vt enim (inquit) circularis motus continuus, conuenit celo, ob sui corporis perfectionem, ita in his inferioribus, motus circularis conuenit animali, ob animæ sensiuæ nobilitatem. Sicut autem deficit à nobilitate caliditas, ita & à continuitate motus deficere par est. Conueniet ergo ei, motus circularis intersectus. Contra vero est primo, quod pariter dicere possemus, ascensum & descensum lapidis, esse motum circulaem intersectum: per similes est enim ascensui & descensui arteriæ, in distentione & contractione. Secundo, nam si quietem intersectantem demamus ex pulsu (quod tripliciter contingere posse, scribit Galenus, secundo libro de Præfagatione ex pulsibus, capite octauo) quantumuis continua tunc sit distentio, contractioni: non fiet motus vllus circularis. Tertio, nam si anima sentiens, in omni animali, ob perfectionem, motum circulaem facit: deficientem tamen & intersectum, ob minorem perfectionem: fiet necessario, vt maior, aut minor, intersectio huius motus, ex maiori, aut minori nobilitate animalis pendeat: Sicque homine perfectiores essent, equus, leo, & omnia, animantia homine calidiora, quæ ob eximium calorem, creberrimos pulsus habent. Quare aperte falluntur, tum qui motus contrarios, ab vna facultate fieri posse tradunt: tum etiam qui quod contrarietatem è pulsus motibus adimant, motum vnum circulaem eos esse fingunt. Nec valet, quod licet arteriæ distentio, fiat à virtute distendente: contractio fieri potest,

potest, in distentionis cessatione & relaxatione motus: ab ipsa arteria subsidente & concidente ob grauitatem. Primo quoniam solet natura (vt diximus) contrarias inter se sibi insitas motrices facultates, in quibusque instrumentis habere. Secundo, nam cum contractio pulsus, ingentem minimeque aspernandum vsum, nobis exhibeat, absurdum maxime esset, vim ingenitam quæ eiusmodi motum efficeret, datam non esse, vt libello de Vsu pulsuum, autor est Galenus. Tertio nam oporteret contractionem, nec celeriolem, nec tardiolem fieri, per etates, naturas, anni tempora, atque etiam per morbos, siquidem per hæc, arteria grauior, aut leuior, non fit. Oporteret etiam, vt terminus, & finis motus, semper is esset, quem ex naturali compositione arteriæ possiderent: quæ omnia contra fieri experimur, mutantur enim in illis omnibus, pro vsu ratione, pulsuum rythmi atque moduli. Vltra quoque & citra terminum naturalem protenditur contractio, atque hæc mutationes in quibusdam affectibus, adeo subito fiunt, vt locum non possit habere, quorundam antiquorum responsio dicentium, quod per etates, & alia, subit varietatem contractio, ob varietatem arteriæ, in duritie atque mollitie. Pueris enim (inquiunt) celerior est, & maior, quoniam arteriam molliorem, & maxime sequacem habent: senibus contra, tardior & minor, quoniam ob duritiem est refractaria. Subiti autem affectus, in quibus subitanea est modulorum pulsus mutatio, locum negat, huic euasioni, cum nihil adeo in tantillo tempore, mutari in molliem & duritiem possit. Falsa etiam est tum in etatibus, tum etiam in quibusque paulatinis affectibus, horum de arteriarum mollitie atque duritie sententia. Quauis enim mollia, sequaciora sint attrahenti & distendenti, minus ad locum suum reuertuntur duris. Vt ex plantis viridibus & siccis constat. Virides enim facile contorquentur, & difficile ex se reuertuntur ad suum statum. Sicca vero quoniam valentiori habitu sunt firmatae, non nisi magna vi coguntur, & dimissa in priorem statum facile reddeunt. Quare non modo distentio pulsus, fit à virtute distendente arterias, verum etiam contractio ab altera virtute contrahente. Totoque aberrant celo, qui plures vna facultate pulsifica, statuere recusant. Falluntur etiam qui vnâ facultatem, esse pulsificam cum vitali censent. Primo, nam vitalis est vna, pulsifica duplex, vt diximus. Secundo, nam vitalis generat spiritus, pulsifica mouet cor & arterias, quæ operationes maxime dissident. Tertio, nam facultas vitalis, spiritum in omnem partem transmittit, & nulla reperitur, ab illius fauore destituta, nec os, nec cartilago, nec neruus, aut medulla, quin nec ipsa corporis recrementa: Pulsifica vero solis arterijs communicatur, & per ipsarum arteriarum substantiam, non per spiritum fertur, vt Galenus demonstrauit, libro cui titulus est, An sanguis natura in arterijs contineatur, sunt autem Galeni verba huiusmodi. Arteriam  
 “ vnâ è magnis & conspicuis quampiam nudabis, primoque pelle remota, ipsam  
 “ ab adiacenti, suppositoque corpore, tam diu separare non graueris, quo ad filum cir-  
 “ cum immittere valeas: deinde secundum longitudinem arteriam incide, calamumque

& concauum, & peruium, in foramen intrude, vel aneam aliquam fistulam, quò & vulnus obturetur, & sanguis exire non possit. Quoadusque sic se arteriam habere conspicias, ipsam totam pulsare videbis. Cum primum vero obductum filum in laqueum contrahens, arteriæ tunicas calamo obstrinxeris, non amplius arteriam, infra laqueum palpitare videbis: etiam si spiritus & sanguis, ad arteriam quæ est ultra filum, sicuti prius faciebat per concauitatem calami feratur. Quod si propterea pulsabant arteriæ, pulsarent etiam tum partes, quæ sunt infra laqueum, sed non pulsant. Igitur perspicuum est, quoniam moueri posse desinunt, non per spiritum in concauitatibus discurrentem, sed ob virtutem in tunicas transmissam, arterias à corde moueri. Ex quo Galeni loco, facultatem pulsificam, per arteriarum substantiam deriuari, non autem per spiritum: manifesta demonstratione constat. Neque enim nobis unquam arrisit isacijs, qui libro de Elementis, spiritum vitalem, inter ambas arteriæ tunicas ferri, & non cum sanguine, per internam cavitatem iurat. Nam præterquam quod Galeno repugnat: inartificiosum esset, spiritum tenuissimum, vna inclusisse membrana, sanguinem vero crassiolem duabus. Sanguis item dum arteria seccatur, saliens, & impetu quodam subsultans profluit, ob spiritus permistos: quod non faceret, si separata tunica continerentur. Ex vulnere præterea primæ tunicæ, non conglutinato, necessario interiret animans, quod non fit. Ne vero demonstrationi Galeni, quicquam deficere posse videatur, prima tantum arteriæ tunica est vulneranda, inter quam, & secundam integram, indatur calamus, & vinciat, partes enim quæ infra laqueum sunt, non pulsabunt, ceterioribus pulsantibus. Quauis vero huiusmodi facultates vitalis (inquam) & pulsans, duæ sint, tam coniunctæ semper habentur, & sibi mutuo necessariae: ut vna imbecilla facta, altera non possit esse valida, sed ad proportionem alterius languescat. Pulsans enim, dum calidi natui seruat mediocritatem, & puritatem, vitale robur seruat: cuius etiam defectu, male habet & extinguitur. Vitalis rursus, dum spiritum creat, cordis contentioni, & irradiationi, per quam pulsus fiunt, addit robur. Spirituum quoque defectus, in pulsu defectum facit: nam quauis pulsans facultas, non deferatur per spiritus, sine ipsorum affluentia, nunquam operatur. Hinc merito, facultatis vitalis robur, ex robore pulsum, certissimo venamur inditio: & ex pulsum intermissione, aut imbecillitate, vitalis languorem, & extinctionem, certo certius cognoscimus. Hinc etiã de vitali, atque pulsifica, ac de vna & eadem facultate, medicæ artis autores sunt loquuti. Et pulsum, à vi fieri vitali, dixit in finitione pulsus, quarto libro de differentys pulsum, capite secundo, Galenus. Quauis si res diligentius, & non transcursum tractetur, duas esse, non vnam demonstrauerimus.

Dictis videtur obstare, Aristotelis de causa pulsum sententia, is enim libro de vita & morte, capite vndecimo, pulsum fieri arbitratur, non à facultate aliqua, sed à sanguinis intumescencia, & detumescencia. Ob sanguinis enim feruorem (apud ipsum) intumescente sanguine, & in spumam verso, fit distentio, & ob

refri-

refrigeratione compresso, & detumescente, fit contractio. Aristotelem sequutus est monachus thurisanus, 2. Techni. Hanc tamen opinionem, abunde falsam esse, conuincit Galeni allata demonstratio: nam si à sanguine intumescente, fieret pulsus, arteria ultra laqueum pulsaret: sanguine & spiritu, per calami cavitatem delatis. Secundo, nam facultate sublata, nullus esset pulsus vehemens, præter magnum. At magnus & vehemens, distant plurimè: nam in lætitia, augentur pulsus secundum magnitudinem, nullam in vehemencia mutationem perpesi: & peripneumonicorum, & lethargicorum pulsus, magni & imbecilli redduntur, quarto libro de Causis pulsum, capitibus tertio, decimotertio, & decimo quarto, autore Galeno. Tertio, nam nunquam in febre valida, esset pulsus paruus: magna enim ebullitio, & efferuescentia, pulsus in magnitudine semper attolleret: Cuius contrarium experimur, in febribus pestilentibus, & in causo interimente. Quarto, nam cor & arteriæ calidiores, prius pulsarent, quàm arteria pedis, si ex feruore sanguinis pulsus penderet: cum tamen omnium sit pulsatio simultanea. Quinto, nam venæ etiam pulsarent, eius præsertim hominis, qui iecur habuerit præcalidum, aut ea saltem parte, qua cor ipsum, caua pertingit. Sexto, si ob id dilatatur arteria, quoniam sanguis intumescit, non magis dilatabitur, quam intumescat sanguis ipse, aer ergo non ingredietur pro refrigerio: quare nec sanguis detumescet, nec contrahi poterit arteria. Ridicula enim est, monachi solutio dicentis arteriam magis dilatari, ob impetum intumescencie sanguinis. Nam in pulsu paruo, tarado, & raro: & vbi cor, & arteriæ, laborant frigida intemperie, nullus erit impetus: Vbi præterea durior adest arteria, & ob duritiem, minus quam oporteret distenditur, & crebritate supplet, quod magnitudine defecit, quo modo subingredietur aer? Sunt autem quedam Galeni loca, huc attinentia, quæ quibusdam difficultia apparent. Quale est illud septimi libri de Vsupartium, quod cordis motus, est à natura, thoracis vero, ab anima. Et libro secundo de motu musculorum (inquit) quod actio quæ ex arteria, & vena procedit, est naturalis. Et libro primo de Causis symptomatium ad initium, dixit, duplicem esse facultatem, vnam naturalem, animalem alteram. Quibus locis, facultatem vitalem atq; pulsificam prætermittit, & pulsum à natura, aut facultate naturali fieri affirmat. Quod ita obaudiendum esse monemus, ut naturalis facultas, contradistincta animali. Aut natura, contradistincta animæ, significant nobis facultatem, quæ non paret, voluntatis imperio: Anima vero, aut animalis facultas, eam quæ arbitrio regitur, & libera est. Et sic tam naturalis, quàm vitalis, & pulsifica, nomine naturæ, & facultatis naturalis comprehenduntur. Quod primo vero libro, de Difficultate respirationis, vitalem facultatem liberam appellet Galenus: non intelligit arbitrariam esse, nam contra potius, ob id liberam appellat, quod non paret voluntatis imperio, ut ipsissima Galeni verba demonstrant, quæ sic habent. Vitalis autem facultas, nullum superiorem habet dominum, sed libera penitus existit. Quæ verba aperte declarant, vitalem facultatem, eo liberam appellari, quod superiori careat, non autem ob libertatem contradictionis, quam non habet.

¶ An in homine, Animas vna plures sta-

tuere, sit absurdum. CAP. III.



**F**ACULTATES cerebri, cordis, atq; iocinoris, esse diuersas; & cor, ad pulsum motu, cerebri opera non indigere neq; cerebri, cordis: vt sentire, & per voluntate fungi officio suo, anima queat: satis superq; diximus. An vero, vnius animæ sint dictæ potentie, an potius in vnoquoq; illorum membrorum, sua sit anima: quæ in corde de se promat vires irascendi, pulsandi, & spiritus generandi in iocinore sanguificandi: & in cerebro sentiendi, mouendi, & intelligendi, dubiu est. Nam Plato tres in homine animas posuit: duas maxime pugnautes, concupiscendi, & intelligendi, hanc in cerebro, illam vero in iecore: & tertiam in corde irascibilem, quæ media intercedit: quæ homini superius datæ esse, vt rationi, aduersus cupiditates optuletur diximus. Quare apud Platonem, anima humana, tribus constat partibus, vna quidem indivisibili, & immortalis: & duabus alijs corruptibilibus. Platonem sequitur Galenus, vt libris de Placitis Hippocratis & Platonis, apud ipsum non semel est videre. Sed hæc in vno homine animarum multitudo, per corporis partes distributa, in vnam animam totalem conspirantium, videtur impossibilis: Primo nam quomodo, ex indivisibili & diuisibili, quidpiam constabit? Secundo, quo nam glutino, cohererebunt tres dictæ animæ, vt vnum animal componat, non multiplex? Hoc enim percontatur Aristoteles, lib. 1. de Anima, capite vltimo. Tertio, dubitat Galenus, lib. 2. de Causis pulsum, cap. 12. si nec animarum, nec functionum, horu trium principioru, vlla societas est, quomodo fiet inter ipsa, affectu comunicationis & consensus? Ex conuulsione enim neruoru, pulsus fit conuulsiuus: Et ex opinione iniuriæ, motus fit iracundiæ, autore Galeno lib. 5. de Placitis in fine: Et ex operatione iracundiæ, reliquaru duarum animæ partiu, & totius corporis, cum ab ira, ad actiones violenter impellitur, affectio consequitur, lib. 6. de Placitis in principio. Et ex iugi formosæ puellæ conspectu, cupiditas insurgit. Quæ nisi ab vna anima, fiant, difficile admodum est intelligere, quo modo se mutuo exaudiant: sibiq; consentiant, & compatiantur animæ diuersæ. Sicut enim si ego video pulchrum, non ex eo tu cupis: sic si ab intellectu animæ, cogitatur pulchrum: altera anima quæ concupiscit, moueri non debuit. His addere oportet ex beato Thoma, parte 1. q. 76. art. 3. quod ex duobus entibus in actu, non fit vnum per se: cum duo actus, duæ res sint: homo autem per se est vnum, ergo non habet plures actus & formas: Ad hæc si homo, non est homo, per animam vegetantem, aut sentiëtem, sed per sequentem rationalem: non erit de essentia hominis animal: quare neque animal, erit genus hominis, neq; eius definitionem substantialem ingredietur. Insuper si diuersæ animæ essent in homine, non obstarent sibi in opere, vnaquæq; enim est sui iuris, & suum opus perficeret: At meditatio, coctionem & nutritionem infirmat, & contra contrarium: Ergo ab vna forma pendent, quæ

dum

dum huic operi plurimum vacat, ab alio diuertit: Adde, quod non magis pugnat, ab anima vegetante, tribus facultatibus, vt fieri nutritionem, actionem, & generationem: aut ab altera quæ in cerebro sedet, fieri visionem in oculis, in auribus auditionem, & in lingua gustatum, per diuersas facultates, ab ea animam manentes: quam si statuamus, omnia animæ opera, ab vna anima prodire, omnibus facultatibus insignita, quæ irascatur, & pulset in corde: imaginetur, cogitet, & secundum locum moueatur, in cerebro: sanguinem conficiat in iecore: & alitionem procuret in vniuerso corpore. Si autem penitius res consideretur, plures animas in homine statuere, & absurditate vacat, & medicis præceptis valde congruere arbitrari: Anima enim vegetans, quæ in nostro semine continetur, cū gignit, auget, & format nos, perficit sese, donec in eū apparatus & dispositione venit, vt animam humanam recipiat: Quo sane tempore absurdum fuerit, plantalem ipsam perijisse, nihil enim, sui interuentione procurat: Manet igitur plantalis anima, ceu dispositio necessaria vltiori formæ: Cor præterea, ante animæ rationalis aduentum, & ante integræ organizationem pulsat: & iecur sanguinem conficit: nec id ab alia forma facere, post rationalis introductionem, quam ante, est verisimile: eadem enim sunt membra, per similes ac ante sunt operationes, & edita opera: Quo ergo cohererebunt glutino (dum quærit Aristoteles) respondemus, non oportere quærere, quid sit vniens, in ijs, in quibus aliud quidem formæ, aliud vero materiæ rationem tenet: Namq; ea de se ipsis vniõnem habent: naturaliter enim materia, postquam ita disposita est, vt sponte formam suscipiat, ex nulla alia causa, quæ magis continua sit, ipsam suscipit. Animæ ergo irrationales, ad rationalem materiæ & præparamenti rationem habent: rationalis vero ad illas, formæ. Constat enim, vel medicocriter in physicis exercitatis, dispositiones tenere se ex parte materiæ, non formæ. Quare nullo extrinseco egent glutino, sed intrinsecus se ipsis vniuntur, & indivisibile, diuisibili potest hac ratione coherere: Consensus autem haru trium animarum, pendet prima, ex dicta vniõne, vt enim anima coniuncta corpori, corporis subit conditiones à corpore, & corpus, animæ exercet munia, ab anima: Ita animæ irrationales, rationali coniunctæ, ipsam sepe numero rationem exaudiunt, & ipsius rationis euadunt instrumenta, adeo vt si semel, rationi obedire consuescant, promptum sit vnicuiq; suos affectus moderari. Nam & ferarum multæ cicurantur, & ratione ipsa mansuetiores redduntur, vbi rationem exaudiunt. Contra vero ratio, ferocior redditur, & irrationalibus potentis mancipata ruit, ob dictam coniunctionem: vbi præsertim praua educatione, irrationales affectus moderari non didicerimus. Atq; hæc est lex, quæ in membris nostris spiritui repugnat, & qua proni ad malum sumus. Nec minus est, rationalem animam, sui natura à perturbationibus immunem, ob irrationalem societatem perturbari: quam irrationales, sine cognitione, rationi parere. Ob dictam enim coniunctionem, & subordinationem animarum, neutra sine socia, aut consentiente & victa: aut reluctante, & vincente operari potest. Præter hanc vero coniunctionem, de qua millies egerat Galenus, libris de Placitis Hippocratis



& Platonis, consensum aliud reperit, libro secundo de Causis pulsuum citato, per instrumentorum, è tribus principijs ortorum, nexum & alligationem. Arterias enim, cor cerebro, vinculum societatis transmittit: cerebrum nervos cordi: Qui quanquam non magni sunt, mandatū tamen rationis possunt perferre. Singulis quoque arterijs, si bræ à nervis deductæ, ad societate coherent, per quas se sinunt, mutuo in consensum venire, non modo actionum, sed affectionum etiam. Sic corpus omne, ob dictam venarum, arteriarum, atque nervorum alligationem, conspirabile est atque conflatile, ut voluit Hippocrates. Valesius autem, lib. 4. Controversiarum, capite ultimo, isthæc parum attente considerans, hanc alligationem, ad tantā conspirationem sufficere non posse tradit. Nam alligatio (inquit) venarum cum nervis, quæ ratione facere potest, ut irritatis nervis in vena, partes reliquæ incitentur ad motū? Isthæc alligatio facit, ut vena ambabus facultatibus sit prædita, sed secundum partes diversas, animales alias, alias naturales: quæ cum omni sensu careant, non video quæ ratione ad eas sensus irritationis transmeet. Hæc Valesius. Sed supina est hæc ignoratia, pars enim in quâ nervus inseritur, tota redditur sensiva, facultate à nervo, vniuersæ parti communicata: Vbi cumque enim cutem, aut quavis aliam corporis partem, acui pupugeris, sensum ibi esse deprehendes: non tamen est nervus: vbiq, sed ex nervo, vniuersa pars in quam inseritur, redditur sensiva. Hæc est demonstrationis vis, quam promiserat lib. 2. Controversiarum cap. 14. Nec obstant reliqua, nam si anima vna, omnibus ornata esset facultatibus, plantatijs, irrationalibus, & rationalibus, posset (ut voluit) ea sola, omnia munia exercere. Sed non habet nisi facultates, suæ naturæ conformes, vegetans, auctricem, nutricem, & procreantem: Anima cordis animosam, vitalem & pulsificam: Quæ in cerebro residet, sentientem, & secundum locum mouentem: Quibus ceu necessarijs præparamentis, & dispositionibus, anima in hominibus superuenit intellectualis, ceu verus actus & corporis endelechia, amnia vniens, cõponens, & moderans, & non tantum corpori assistens, ut voluit plato. De qua tamen admodum dubius fuit Galenus, est quæ medicis contemplationibus, parum utilis de ea tractatio. Hinc fit quod homo, non constet ex pluribus entibus in actu, priores enim animæ, tenent se ex parte materiæ, præparamenti, & potentiæ, ad animam intellectualem, quæ verus est actus, forma & hominis endelechia. Quod autem genus hominis sit animal, & eius ingrediatur essentialem finitionem, eo fit, quod physice finitiones, materia constant & forma, summiturque ipsarum genus à materia, & differentia è forma, ut lib. 8. Methaphysicorum, cap. 1. autor est Aristoteles. Cum ergo corpus anima sensiva, præditum, habeat vicem materiæ, ad animam rationalem sequentem, merito definitur per animal, ceu materiam, & per rationale ceu per formam. Quod meditatio vero coctionem, & coctio meditationem impediatur, non est ob animæ coquentis, & meditantis vnitatem, sed ob calidum innatum, cuius ope omnia perficiuntur, quod meditationi intendens, minus vacare potest coctioni: ut magno suo periculo experiuntur, quia cœna aut prædio, attento animo legunt aut scribunt: in quibus natiuus calor ad caput delatus, cruditatū ventriculi fit causa.

An

An nutritrix, & auctrix, & procreans facultas, sint virtutes animæ diuersæ inter se se.

CAP. V.



De cordis facultatibus, animosa, vitali, atque pulsifica, nuper dicta sufficiant. De facultatibus vero naturalibus, atque animalibus, pauca quedam nunc trademus: quæ doctrinæ quæ de ipsis habentur lucem addant. A naturalibus autem facultatibus, ordini conuenit, quod primæ, & omnium aliarum fundamenta sint. Naturales voco, quæ ab anima vegetante proficiuntur, hanc enim naturam antiqui, non animam appellabant. At qui inter ipsius naturæ facultates, quædam sunt principes, aliæ vero ministræ, ut 6. lib. Epidemiarum, parte quinta, commentario primo, Galenus est autor. Principes sunt, nutritrix, auctrix, & procreans: nam cum viuientia, dissolubili atque caduca constant substantia, solers natura, quæ ipsorum curam gerit: nutritione reparat ipsa, accretione perficit, & procreatione facit immortalia. Sunt vero quidam, quibus hæc, non apparent diuersæ actiones, nec a diuersis profectæ facultatibus: Quod generans enim à nutriente, & nutriens ab auigente, non differant, ita probant. Eisdem particularibus actionibus, completur generatio, quibus & nutritio: vtraque enim fit conuersione, alimenti in substantiam aliti. Dum generatio fit, in semen, & genituram, vertitur alimentum, quemadmodum cum nutritio fit, medulla in ossa, & sanguis in sanguinea membra commutatur. Si ergo actiones, non sunt differentes, nec facultates, à quibus fiunt distabunt. Eadem quoque ratio probat, nutriente & auigentem, non esse diuersas vires. Nam cum maior fit nutritio, quam exolutio, augetur animans: cum par, sine incremento nutritur: cum minor, imminuitur. Eadem ergo prorsus actio est, augmentationis & nutritionis, non diuersa, nec ex differente virtute profecta. Ex sola præterea nutritricis imbecillitate, & alitione imminuta, fit decrementum: & ex mediocri nutritione, seruiatur animans, nec crescens, nec decrescens: ergo ex sola nutritione vberiori, fiet crementum, citra alterius facultatis actionem. Nec vident, cur si vim augmentem necessariam ponimus, imminuentem, & par em etiam magnitudinem seruantem, ponere non cogamur: par enim est, in vtrisque ratio. Nutrix præterea, dat formam carnis & ossis. Ergo dat etiam omnia, quæ formam consequuntur, magnitudinem, figuram, & cætera: Impossibile enim est, carnis substantiam abundantem creare, sine abundanti quantitate. Hinc motū ad quantitatem, non dari asserunt, quoniam quantitas cum substantia, temporis momento prodit, & eam necessario consequitur: Sicut ergo nutritio non est motus, ita de augmentatione ferendum: eadem enim transmutatio substantiam & quantitatem affert. Quod paucioribus præterea potest expleri, vanum est, pluribus non necessarijs confici: cum ergo vis altrix, augmentum & instaurationem possit efficere, ut quid sunt gemminæ vires ponendæ? Accedit, quod post augmentum

augmentum, esset otiosa, aut solo instrumenti defectu interiret: quorum utrunque est Aristoteli dissonum. Nam si senex acciperet oculum iuuenis, videret ut iuuenis, quare vitio instrumenti, facultates non intercidunt. Nec tamen otiosam esse de-  
cui, id enim sine artificio fecisset natura. Post ortum quoque, membris iam con-  
formatis, otiosa esset virtus procreans, cum tamen, naturales facultates non otien-  
tur apud Galenum. Adde quod eodem instrumento, calore scilicet natiuo, vtuntur  
procreans, alens, & augens: & easdem quatuor subseruientes, & ministrantes fa-  
cultates habent: tractricem, retentricem, coëtricem & expultricem: Ergo vna est,  
non plures. Nutritione præterea, & augmentationem, vno complexu posuit Aristo-  
teles, 2. lib. de Anima dicens: Vegetalis animæ duo fuisse munera, generare scilicet &  
alimento vti. Vbi sub vna operatione, alitionem pariter & augmentationem complecti-  
tur. Hinc generantem, nutrientem, & augentem, vnam vim esse perhibent: quæ se-  
mini datur, in vltima elaboratione, quæ in testibus fit. Hæc format membra, ex ipsius  
seminis mole, & mēbra à se formata, seruat, nutrit, & in cōuenientē quātitatē auget.

Cæterum hæc sunt erroris plena, quoniam virtutem generantem, procreatricem,  
aut formatiuam (vtro enim nomine appelles, nihil refert) eandem cum altrice ponere,  
est ab omnium phylosophantium placitis, atque à veritate alienum. Primo, nam Ari-  
stoteles, 2. de Anima vegetalis duo fuisse munera percenset, generare & alimēto vti.  
Secundo, nam Galenus, 2. de naturalibus facultatibus, post principium, diuersam vim,  
à nutriente, & augente, procreantem statuit. Tertio, nam in foetibus dum vtero  
geruntur, nutriens, & augens facultas, ministrat generanti, apud Galenum secundo  
libro de naturalibus facultatibus. Nihil vero sibi ipsi ministrat. Quarto, nam gene-  
ratio, nutritio, & augmentatio, sunt functiones diuersæ: ergo a diuersis facultatibus  
pendent. Assumptum patet, nam in generatione, quod non erat fit, quare vere est  
progressus ad formam. In alitione vero, quauis alimentum mutet formam, nihil  
de nouo generatur, quod non præexisteret: fit enim in alitione, pars nerui aut ossis:  
quare motus potius ad materiam, quæ forma præexistente informetur, appellari de-  
bet. Augmentatio vero, motus est ad quantitatem, sicut generatio, & nutritio, ad  
substantiam. Quod augetur perfectam formam habet, quod generatur non habet.  
Vnde Galenus, secundo libro de naturalibus facultatibus, ita scribit. Augetur enim  
id, cuius iam perfecta forma est. Cuius autem quod fit, processus ille qui est ad formā,  
non vti que auctio, sed generatio nominatur. Quinto, nam in procreatione, non fit  
sola commutatio, vt in alitione: sed conueniens etiam conformatio, figura scilicet, so-  
cietas, & situs, tam admiranda ratione digesta, vt antiquis in mentem venerit, ab no-  
biliori, doctiori, & potentiori potentia, quam sit vegetans prodisse: a Deo scilicet,  
aut intelligentia, aut anima mundi, quæ corporibus generandis præsideret. Tantū-  
que Galenus admiratur de functionis huius præstantia, vt & ipse ancipitem quæstio-  
nem reliquerit, libro de Foetus formatione, a vegetante enim anima, tam præclara ope-  
ra, tantaque sapientia condita, non spectabat: contra vero, ab anima mundi, aut præ-  
stanti

stanti aliqua intelligentia, nunquam adduci potuit vt crederet, scorpiones, phalan-  
gia, muscas, culices, viperas, vermes, lumbricos, pytylas, affabre quoque, & mag-  
na arte hæc omnia facta, fingi atque formari: Prope enim ad impietatem, hanc opi-  
nionem accedere, fuit ratus. Quare inscius quo se vertat, tantum hoc habet, quod  
de causa animalium formatrice, asserere posse confidat: quod summa in ea ars, atque  
sapientia, inesse conspicitur. Consequens ergo est, quam maxime distare, forma-  
tricis operationes ab alitione. Nec tamen hic credat quisquam, causas quæ transna-  
turam sunt, magis probasse: nam quanquam hac parte Galenus fuerit anceps, ma-  
gis inclinat animum, vniuersam conformationē referre, ad animam vegetantem, quæ  
in semine est, & spiritu gignitiuo: quam ad externam aliquam intelligentiam præ-  
stantiorem. Tum quoniam impium censet, sordidioribus animantibus efformandis,  
Deum aliquem præesse. Tum etiam quoniam ex alijs Galeni locis, vbi mentionem  
habuit de semine, & nostri corporis conformatione, mentem ipsius facile est colligere.  
Semen enim, interdum naturam appellat, secundo libro de Naturalibus facultati-  
bus, non longe ab initio: Quod namque (inquit) semen prius erat, id cum primum, &  
gignit & format animal, natura quædam fit. Alias alterum ortus nostri princi-  
pium vocat: sæpe opificem: nonnunquam opificem fortissimum. Cum tamen exquisi-  
tius fuit loquutus, non id quidem artificem: sed in se artificem habere pronuntiat.  
Secundo enim libro de Semine, ad hunc modum scribit. Quod si alterato, atque im-  
mutato menstruo, vnamquamque ex his partibus effici dicamus, in semine artifex,  
qui has efficiat, statuendus est. Et alio eiusdem libri loco, Constat similitudinem for-  
me, cum vtroque parente, ei facultati quæ inest in semine, opifici, atque fingenti,  
acceptam referri. Nam vt alio eiusdem libri loco dixerat, semen non est tantum fa-  
cultas, sed materia etiam quædam. Cum enim ad foetus formationem, opus sit facul-  
tate formante, & materia formanda, semen vtrunque præstat. Habet enim vim  
formatricem, quæ animæ vegetantis est facultas: & materiam atque corpoream  
substantiam, ex qua foetus primum formatur. Nihilque obstare arbitratur, semen  
esse foetus materiam, & in eo vim formantem contineri. Quod tamen Aristoteles  
atque Athenæus, plurimum ob id formidarunt, quoniam nihil in se ipsum agere po-  
test, cum neque sibi met contrarium sit. Si igitur agens, & formans est semen, non  
in se ipsum aget, sed alteram materiam, menstruum scilicet sanguinem informabit: vt  
coagulum, caseum ex lacte facit, & faber, ex ligno theatrum. semper enim agens, à  
patiēte est diuersum. Nec enim coagulum se ipsum coagulat: nec faber, fabrum, sed  
lignum dolat. Accedit, quod ad sui interitum, ageret semen, dum foetum effingit, si  
formans in eo confisteret facultas. Hæc tamen Galenus, ceu sophismata contemne-  
ret, quæ tenebras potius, & caliginem oculis offundunt, quam naturæ leges, & ve-  
ram generationem declarent. Quæ tamen ita soluere oportet. Non est semen simila-  
re prorsus, sed ex crassa simul & tenui, spiritosa & ætherea substantia compo-  
situm: illa materia est, hæc efficiens. Neque hanc in semine difformitatem, ignorauit  
Aris-

Aristoteles, ut libro primo de Semine, dum in Aristotelem inuehitur, notat Galenus, ubi ita scribit. Neque enim o Aristoteles ignorasti, semen spiritus vitalis plenum esse, tu namque spuma, semen per belle assimilasti, dicens ab eo bullas quam plurimas, visum præ exiguitate fugientes, & omnes in unum coeuntēs, excitari. Tu quoque, fabulam non improbasti, quæ venerem, ex ea factam esse fingit. Omnia autem hæc, scripta sunt ab Aristotele, libro secundo de generatione animalium, capite secundo, quin eodem libro, capite tertio, ab hoc spiritu, quod fecunda sint semina pendere declarat, his verbis. Sed enim omnis anima, siue virtus siue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate, obscuritate ve, animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit ut fecunda sint semina: videlicet quod calor vocatur. Idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur. Et natura, quæ in eo spiritu est, proportionem respondens, elemento stellarum. Hunc autem spiritum, diuinum appellauit Aristoteles: non quoniam cælitus sit demissus, sed quoniam quæ perfectiora sunt diuina appellat, etiam si hic generentur & fiant, quoniam cæli vim magis senserunt. Sic loco nuper citato, in animatis ceu perfectioribus diuinitatem agnoscit: & quo perfectiora animantia sunt, eo diuina esse censet. Et de homine, qui perfectissimus est, dixit secundo physice auscultationis, quod sol & homo, generant hominem: quasi dicat vim cælestem, homini magis, quam alijs animantibus communicari: nec tamen apud eundem, inanimata corpora carent diuinitate. Tantum enim diuinitatis, quantum perfectionis unicuique tribuit. Sic enim primo libro Physicæ auscultationis, finem à natura, sibi in omnibus generationibus propositum, nominauit diuinum, cum ait. Existente diuino quodam optimo, & appetibili. Vbi omnem formam, dicere videtur, esse optimam, ac diuinam, quam materia expetit; ut assimilatur primæ, summæque diuinæ: quantumque ea habuit diuinitatis, tantum recedit ab imo, & ad summum atque diuinum accedit. Sic ergo spiritus, qui fecunda semina facit, & procreans quæ in eo vis residet, quasi pictor quidam, aut plastes, arte admirabili membra componens, diuina appellantur, non quoniam Deus aut intelligentia aliqua sit, aut quoniam cælitus demittantur, sed quoniam natura, id est forma substantialis eius corporis, proportionem respondet elemento stellarum: & a Deo omnis nature autore, eam perfectionem fuit consequuta. Hinc merito, ex præcepto sui creatoris, hanc facultatem, dixit operari Auicenna, prima primi, doctrina sexta, capite secundo. Non quod reliquæ facultates operentur aliter, quam ex creatoris præcepto, is enim est, omnis nature largitor, & qui legem, rerum naturis imposuit, ex qua vim agendi acceperunt: sed quoniam tanta, in nostri corporis fabrica ars est, ut ibi magis quam alibi creatoris ipsius sapientia innotescat. Hinc speciali priuilegio, hunc effectum Deo tribuunt scripturæ sacræ, David psalmo. 218. *Manus tuæ inquit fecerunt me, & plasmauerunt me. Et sanctissimus Iob, decimo.*

Tue

Tuæ manus elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus quantus sum. An non velut lac fudisti me, & velut caseum me coagulasti? Cute & carne vestiisti me? Ossibus etiam & neruis me contexisti? Quibus locis, miracula transnaturam non referunt sancti, nec naturalibus facultatibus, quidquam detrahere voluit. Sed nihil aliud satagunt esse naturam, quam domini legem, & præceptum, unicuique rei datum, cuius virtute, operantur ea quæ sui muneris esse censentur. Vt autem ad tantam perfectionem (ut vel Deus, aut intelligentia aliqua, existimetur) formans facultas non assurgit: ita magno interuallo, altricem facultatem, dignitate superat. Quæ cum alimentum, in nutriti vertat substantiam, nullo alio vitur artificio, quam reliqua naturalia agentia, dum subiecta corpora similia reddunt. Semen ergo spumoso corpore existens, simile non est (ut inde vnde orationem traximus redeamus) sed ex substantia quadam crassiori, & spiritu gignituo intercluso compositum. Spiritus ratione, in quo formædi sedet facultas, autor est formationis: ratione vero substantiæ crassioris, fit eiusdem formationis susceptor. Hinc nullo incommodo dato, conuincitur semen in se ipsum agere posse: quod Aristoteles atque Atheneus maxime formidabant. Ex eodem etiam principio putat Valesius, libro secundo Controuersiarum, capite octauo, quod nihil obstat, semen ad sui interitum agere: quoniam diuersa parte agit & patitur: Agit enim ob partem spirituosam, & patitur ob substantiam crassiorem, & magis elementarem. Sed pace ipsius, ratio hæc causam reddit actionis, non interitus: Quare scilicet semen, in seipsum agat, seipsum formet, & varia compositione tractet, ut diximus. Ob id enim agit, quoniam principium habet actiuum, spiritum scilicet gignituum: & principium etiam passiuum, ab actiuo diuersum, crassiorem videlicet seminis substantiam. Quod vero hæc actio, sit seminis interitus non probat: Nam cum actio seminis in seipsum, semini ex natura conueniat, atque ad eam properet: nihil vero suum interitum concupiscat, necessarium videtur, ut actio qua semen seipsum format, non modo non sit seminis interitus, verum & ea sit sui ipsius perfectio. Quare verior solutio est, quod vegetans forma non perit, dum foetum ex semine format, nutrit & auget: sed quæ antea, sub specie seminis delitescerat, & quandam velut semineam plantam informabat, nunc iam natura fit, foetum effingit, & in eo ipso foetu manet: non enim eum deserit unquam, sed postquam mira conformationis opera exercuit, ipsum per vniuersæ vitæ tempus multipliciter gubernat. Primo, particulas ad suum opus excitans, & sui vsus admonens. Sic auium omne genus, volatum molitur, etsi per infirmitatem nondum potest. Et catellus mordere conatur, cum adhuc infirmos habet dentes. Cornu petit vitulus, etiam ante nata cornua: & equinus pullus calce, nondum satis firmis ungulis. Puer etiam, & quicumque aliter dissectionis ignarus, digitum unumquemque porrigunt, vel inflectunt, ac linguam varie contorquent, & conuoluunt in conuenientem figuram, huius aut illius vocis exprimendæ, etiam si non nouerint, quibus musculis ad singulas

motio



las motiones sit opus, quoniam animâ quæ ab initio conformauit partes, eâ iam factis conuenienter vtitur, vnamquamque partem & facultatem, ad suum vsum incitans, vt libro de Fœtuum formatione eleganter tradit Galenus. Secundo, cauitates, figuras, & compositiones quas effinxerat conseruans, ne à nutriente & reponente alimentum disturbentur, nec enim otiosi decuerat: Et quasdam partes, post partu inutiles futuras perdens: quales sunt vena & arteria vmbilicalis, per quas puer nec alimentum, nec spiritum deinceps erat suscepturus. Quædam item venarum perforationes, per quas ex caua, sanguis fertur ad nutriendum pulmones, in iâ natis statim occæcantur. Et vas quoddam magnam arteriam in vtero, connectit venæ quæ fertur ad pulmonem; non modo sicut aliæ partes non augetur, verum etiam tenuius semper effici conspicitur, adeo vt tempore procedente, penitus tabescat atque excidatur, Galeno auctore, decimo quinto libro de Vsu partium. Tertio, de nouo quoad fieri potest conformans, & regenerans partes quasdam. Sic septimo mense dentes creat, & septimo anno regenerat. Sic vterum, genitalia, & vbera, non permittit augeri ante pubertatem: quoniam tunc primum erant ex vsum futura, auctore Galeno, decimo quarto libro de Vsu partium. Sic humeros, non finit ante adolescentiam dilatari, apud Alexandrum: quoniam tunc primum, ad ferenda onera erant idonei futuri. Sic maiori mensura, quam pro aliarum particularum ratione, hepar auxit, in fœtibus quæ vtero continentur, deinceps cor & cerebrum, quoniam maior tunc illius, quam horum vsum erat. Vt libro decimo quinto de Vsu partium auctor est Galenus. Quæ sane, ex auctrice vi non pendent, nam hæc omnes ad proportionem partes auget, sed à vi conformatrice: quæ auctricis, atque aliarum facultatum, ac membrorum corporis est regina, & moderatrix. Membra quoque, casu aliquo corrupta regenerat. Nam vlcera caua, implentur carne: vbi multæ venæ, & arteriæ regenerantur. Et Galenus primo libro de semine, in capite & alijs partibus, satis magnas & multas venas vidit regeneratas. Et sexto Methodi, capite quinto, mollia ossa puerorum, coalescere posse tradit. Sed cur, si vis quæ nos formauit olim, manet integra, non regenerat venas, arterias, nervos, & ossa, prorsus excisâ? Huic sanè difficultati, respondet Galenus, primo libro de Semine, quod vena raro regeneratur, quoniam materia, seminalis ex qua nutritur, minori copia prouenit, quam sit opus ad generationem solidorum: arteria quæ sexcuplo crassior est, & pluri materia indiguit, rarius reparatur: nervus & os, quæ solida existunt, nunquam, nisi forte partis iactura fuerit exigua, & corpus tenerrimum. Si enim ossa dura iuuenum frangantur, aut molliorum in pueris, maior fiat iactura, renasci amplius nequeunt: Quoniam nullibi, tantam seminis copiam, simul collectam inuenire est, quanta ad vniuscuiusque quod interijt, regenerationem sufficiat. Quod si multo tempore, congeri posse obijcias: Respondet, quod carnis generatio ex sanguine, qui copiosus abundat, anteuertet paulatinum illum seminis prouentum, & ossis ex ipso generationem. Accedit, quod licet formans facultas, maneat in fœtu

ædito

ædito non tãto robore præstat, ac in ipso vtero, tum ob seminis, cui facultas insidet collectionem & vniõnem: tum etiã, quoniam vterus facultatis formantis, ob testes, & vasa, quæ habet seminaria, expers non est. Ex quibus sane manifeste conuincitur, nunquam Galenum confudisse, vim generantem cum nutriente.

Nutrientem vero, cum augmẽtante non confundi, magis est manifestum. Nam plerumque cernimus, tum pueros, tum adolescentes, febribus, diuturnisque morbis laborantes, admodum gracilesce, & emaciari: qui tamẽ interea augentur. Cum ergo hinc minus alantur, accretionem non esse pleniorẽ nutritionem, nec cum ea necessario coniunctã in aperto est. Accedit, quod qui ad statam, sibi que statutam magnitudinem peruenit, quantumuis se saginet, & vbertim nutriatur, non augetur. Distat ergo vberime nutriri & augeri: nutriens quoque & augens facultas, à quibus illæ functiones emanant. Adde quod nutritrix, circa vniuersi corporis alimentum negociatur: augens vero, circa corporis partes solidas efferendas, ac dilatandas: Ea enim extensio solidorum, auctricis est proprium munus: sicut nutriens facultas, extẽsis partibus, curat alimentum apponere, affigere, & assimilare: non modo quantum effluxit, sed & largius ac fusius, quo laxiores factas capacitates impleat, & robur ac soliditatem pristina conciliet. Hinc detexitur error Auicennæ. i. i. doct. 6. cap. 2. vbi putat, accretionem esse se comitem vberioris nutrimenti, Ita enim eo loci scriptum reliquit. Nutritiua vero virtus crescitivæ seruit, eo quod nutritiua, quãdoq; affert nutriens, ei quod dissoluitur æquale, quãdoq; minus, quãdoque plus. Sed crescitiva nõ erit, nisi cũ quod ingreditur, plus fuerit eo quod dissoluitur. Ex eodem errato principio, in deteriore errorem incidit Valesius, augentẽ facultatẽ, cũ nutriente confundens: quoniã scilicet augmentũ, ex sola vberiori nutritione, necessario consurgit: non enim putat, reponi posse substantiam vberiorẽ, quin auctior quãtitas exultet inde: nec similiter quãtitas vnquã (apud ipsum) augetur, nisi vberior substantia fuerit reposita. Quorũ tamẽ vtrũq; falsum esse, monstrauius, hoc in adolescentibus, & pueris diutinis morbis emaciatis, in quibus, cum paucissimo nutrimento fit augmẽtum: illud vero in consistentibus, in quibus etiã si vberime nutriantur, corpus desijt augeri. Carnosiora quidem, pinguiora, & corporatiora, nutrimenti vbertate, reddi possunt corpora quæ consistunt, nõ autem maiora: quoniam radicalia membra, non parent extensioni. Hæc ergo extensio, vera est auctio, quæ ab augente facultate fit. Nec extensionem huiusmodi, sufficeret calor facere, sine virtute auctrice: in quo etiam errat Valesius. Nam calor, sui natura, vndique extenderet æqualiter, exemplo ceræ à calore rarefactæ, & omnium aliorum, quæ calore soluuntur: auctrix vero facultas, in longum corpora nostra, multo magis exporrigit. Nec ob id dicta membrorum extensio, augmentum desinet esse, quoniam motus localis sit, qui alter eiusdem Valesij est error: idẽ namq; motus, si per eum diuersa acquiruntur, multiplex genus habere potest. Quatenus quantitas, in mẽbrorũ extensione fit auctior, est augmentum: Quatenus variatur vbi, quod est forma loci, est motus localis: Quatenus noua conquiritur figura, est alteratio. Vnde rarefactionẽ

d in




in qua motus localis est apertus (nam partes quæ coniunctæ erant, remotiores redduntur) Auerrhoius alterationem esse meminit. Quominus vero nostri corporis extensio, quæ ab auëtrice fit, sit rarefactio, facit primo, nutriens facultas: quæ ubertim alimentum apponit, & laxiores factas capacitates affatim implet. Et secundo, quod rarefactio fit à calore, & in omnem partem æqualiter extendit, augmentatio vero à facultate, & in longum magis. Ex dictis alter quoque detegitur error Valesij, dum sentit augmentationem non esse motum. Quoniam motus (inquit) omnis fit in tempore, augmentatio vero in instanti, sicut & nutritio cum qua prouenit. At Aristoteles quinto libro Physicæ auscultationis, ad tria tantum prædicamenta, esse per se motum manifeste tradidit, ad quantitatem, ad qualitatem, & ad ubi: ad quantitatem quidem augmentatio, ad qualitatem alteratio, ad ubi latio. Loquitur autem de motu proprie dicto, pro ut mutationi contradistinguitur. Quare vera augmentatio, est motus extensionis solidorum: nutritio vero eius ministra, ut diximus. Auëtum præterea corpus, maiorem locum occupat, quam proxime ante incrementum occupabat, hoc vero sine latio fieri est impossibile, latio vero omnis successiua est, & in tempore facta. Ergo & augmentatio pariter in tempore fiat est necessum.

Ex dictis omnium obiectionum solutio est facilis. Ad primam enim dicendum, quod quauis in nutritione, & generatione, fiat transmutatio alimenti, in substantiam corporis: non tamen ob id, utraque actio est vna. Primo, quoniam in generatione, fit commutatio, in substantiam corporis, quod nunquam præexistat: in alitione vero in partem corporis iam geniti. Secundo, quoniam in generatione, præter alimenti commutationem, accedit conformatio, ex compage, figura, & situ admirando pensanda. Ad secundam, diximus augmentationem, non necessario esse comitem vberioris nutrimenti, quamquam cum eo sæpenumero conueniat. Ad tertium, diximus adolescentes, cum parum nutriuntur crescere: & consistentes, etiam si plurimum nutriantur non crescere. Ad quartum, vis auëtrix solida extendit, cum vero iam non parent extensioni, conseruat ne imminuantur: & cum imbecillior reddita, iam non potest conseruare, fit decrementum: fieretque tum temporis multo celerius, si dicta facultas prorsus deesset. Tantum enim abest, ut facultatem imminuentem ponamus, quod auëtricem ipsam, semper esse necessariam putamus, ut serius corpus, à sua perfectione declinet. Nec si materiae inobedientia otia retur auëtrix, in consentaneum esset: omnis enim facultas, si competens desit materia, otiosa est, secundo libro de Naturalibus facultatibus, autore Galeno. Ad quintum, nutriens virtus, sicut dat substantiam nerui, & ossis, ita etiam tribuit quantitatem, qua repleatur laxitas, & capacitas, nerui, & ossis, à facultate auëtrice extensi & auëti. Ad sextum, dictum est qualiter augmentatio sit verus motus, isque continuus: nam extensionis motus, non cessat, donec præ duritie, membra nequeunt extendi. Ad septimum dictum est, necessario distare, auëtricem, nutricem, & generantem facultates: simul & earum functiones, auëtionem, nutritionem, & procreationem: sicut & opera, per eas functiones facta, auëtum,

auëtum, nutritum, genitum. Nec fieri potuit, ut hæc omnia fuissent pauciora, nam vis altrix, instauracionem facere posset, augmentum non, nisi nervos & ossa extendens altera. Ad octauum, quod auëtrix facultas, nec interit, nec est otiosa post iuuentutem, sed quoad potest, quantitatem quam euexit conseruat. Formans quoque facultas, post fœtum æditum, superflua non est nec otiosa: particulas enim sui usus admonet, ut ex Galeno, libro de Fœtus formatione, dictum antea est: cavitates quoque, figuras, & compages, quas effinxerat, conseruat ne vitientur, & pereant: & quasdam alias, quæ nullum usum erant allaturæ, exsiccat & perimit: corrupta quoque, casu aliquo membra regenerat: dentes mense & anno septimo producit: membra quæ uis, tum temporis euehit, cum maximum usum sunt allatura, non ante. Ad nonum dicendum est, quod omnes facultates, quantumuis diuersæ, utuntur calido innato ut communi instrumento. Sicque Galeni verba, primo Aphorismorum, commentario decimo quinto, audienda sunt. Neque enim (inquit) aliud quicquam, animal ab initio afformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut usque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus, de quo nunc habetur sermo. Facultates etiam tractiua, expellens, retinens, & coquens, plurimum facultatum possunt, & debent, esse ministræ. Aristoteles vero, duas actiones memorans, generare, & alimento uti, non confundit alitionem, cum augmentatione: sed duas esse intelligens, vno capite comprehendit, quoniam utraque, circa alimentum negociatur: nutritio vero alimentum ex eo procurat, & auëtio quantitatem.

### De facultate discretiua, & quod a formatrice non sit diuersa.

C A P. VI.



**H**IVS formantis facultatis, in æditis animantibus officium est, omnia naturalia, continere in eximia doctrina: quorum enim ipsa fuit plastes, eorundem sit conseruatrice par est. Hinc autores, pro diuersa doctrina, quam in facultatibus naturalibus animaduertebant, diuersa etiam nomina imposuerunt eidem. Ab vniuersis enim quæ facit, facultatem regitiuam appellauit hali: quoniam scilicet omnes facultates regat, & omnibus (quauis suapte sponte cæcis) gubernandis præsto sit. A tractione vero commodi, & incommodi repulsionem, ac si commodum atque incommodum dignosceret sensum conuenientis, & discouenientis, appellauit Plato, & cum eo Galenus, libro de substantia facultatum naturalium. Hinc apud Auicennam, nono libro de Animalibus, capite septimo: & Galenum primo, de causis symptomatum, capite sexto. Non modo sensuum organa, sed membra etiam omnia naturalia, trahunt commodum, & repellunt ludentia: in sanitate enim similia trahunt, & in morbo contraria: quoniam horum naturalem quendam sensum habent. Sic cor & facultas pulsfifica

ab hac altera facultate gubernata, proprium vsum videtur agnoscere: aliter in febriente, non augetur pulsus, nec per febres ephemeris distentio esset maior, & in putridis contractio. Sic omnes muscoli, agnoscunt suam operationem, quam etiam artifices ignorant. Sic etiam multa animalia dum ægrotant, feruntur non modo in contraria: sed in certa etiam medicamenta nobis ignota. Hinc constat, non aliam ab hac, facultatem intelligere, qui instinctum quemdā naturalem, aut doctrinā insitā, singulis facultatibus inesse tradit. Quod enim aut instinctus, aut naturalis sensus appelletur, de nomine est disidium. Nec aliā ab hac, censemus esse, facultatem discretiuam, aut separatiuā autoribus appellatā: cuius videtur meminisse Gal. 1. libro Aphor. com. 22. & libro 4. Aphor. com. 22. & lib. de differentijs symph. cap. ultimo. Et Auic. 14. 3. trac. 1. cap. 29. & tract. 4. cap. 6. & 15. 3. tract. 1. cap. 3. Quæ tamen loca, quauis sine huiusmodi facultate, commodam possent interpretationem recipere: altero Auicennæ loco apertiori confirmata, nullam patientur expositionem. Libro enim secundo canonis, capite quarto, in fine ita scribit. Virtus autē quæ diuidit, & ponit vnamquamq; complexionem, ad partem quam meretur, ita vt non ponat virtutem resolutiuam, in parte materiæ quæ effunditur ad membrum, neque in frigidatiuam in latere materiæ effuse ab eo, est natura docta obedire creatori sublimi & glorioso. Hæc Auicenna. Quæ autē est hæc natura, nisi ea quæ corpora nostra præcepto sui creatoris fingere dixerat libro primo, doctrina de virtutibus, capite secundo? Ratio autem, quam dicta Auicennæ verba indicant, multi ponderis est, vt hanc virtutem in corpore statuamus. Nam cum humor, non habeat vim trahentem, vel pellentem, sequitur quod in inflammatione, medicamentum constans ex repellente & resolvente, citra hanc virtutem iuuare non possit. Hæc enim virtus est, quæ separat, & applicat repercusorium, humori fluenti, & discusorium, humori iam fluxo. Sic in medicinis cordialibus frigidis, præcipitur admistio calidi, ob robur spirituum. Et in resolutiuo hepatis, admistio styptici, ob conseruationem partis. Quæ distributio sine hac facultate non fiet. Gentilis vero tractatu de corde, capite ultimo, non credit, apposito medicamento composito, fieri eam separationem, sed quod vtrumque contrariorum, applicatur vtrique contrario. Si tamen ita esset, tam fluens, quam fluxus humor, reprecuteretur, & discuteretur indifferenter. Et vbi intemperantiæ contrariæ, essent abigendæ, composito medicamento ex contrarijs, nunquā possent abigi. Nam quantum intemperantia frigida, corrigitur ex castoreo, tantum lædetur ex opio, si vtrique intemperantiæ, vtrumque contrariorum applicaretur. Curatio quoque omnis, affectuum contrariorum, veniret curanda potius per temperata, quam per contraria æqualia, commistata: cuius oppositum docēt autores, in tertiana notha, in qua exhibet Galenus, pthysanā cum pipere, primo libro ad Glauconem. In colica, & alijs contumacibus affectibus, in quibus phylonia, & alias opiatas medicinas exhibent, capientes opium, hyosciamum, mandragorā: atque ex opposito piper, castoreum, euphorbium, & quedam etiam aromatica. Sic enim frigida dolorem leuant, & febrem tollunt. Calida, & aromatica,


pituitā

pituitam calefaciunt, & vires roborant: nostri corporis virtute, hæc ab illis discernente, & vnicuiq; vt conuenit applicante. An vero virtus hæc, discretionem huiusmodi faciat, speciali aliqua actione, quæ discretio appelletur: an sufficiant tractrix, & expultrix, huiusmodi separationem facere, dubium est. Cui dicendum, quod facultates huiusmodi, nisi ab altera gubernentur, quæ doctior est, & suos vsus nouit, non facient rectam separationem: Cæcæ enim sunt, & irrationales, & altera indigēt facultate, manucente, & regente ipsas. Vnde ex huiusmodi regentis facultatis imbecillitate, dictæ facultates, minus recte sua munera obeunt: & tractrix trahit incōmoda, sicut & expultrix commoda, & quæ ex vsu sunt pellit. Sic enim æstate generantur causi, cum venæ æstu exciccant, trahunt ad se biliosa recremēta, vice alimenti, lib. 4. Acutorū, sententia. 1. Hippocrate autore. Cuius rationē subdens Galenus, scribit, vim tractricem, vt pote irrationalem, non ferri in certū, sed in quoduis obuiū. Expultrix quoq;, interdum quæ cōmoda sunt pellit: quādo nec vacuatio confert, nec leuiter eam ferūt ægrotates. Errat etiā in expulsionem inutilis materiæ, interdum vacuās qua non oportet, alias intempestiue, & ante coctionem, alias immoderatus, quam natura ferat, sexto Epidemiarum, parte secunda, commentario 9. autore Galeno. Quos errores medicus, non debet imitari: non enim est imitator facultatū cæcarum, & aberrantium: sed alterius quæ docta est, & omnium vsus & actiones nouit: & omnia naturalia, dum recte valet, in nostro corpore gubernat. Hinc docte Auerrohus, 3. coll. cap. 16. necessario statuendam esse medicis hanc facultatem docet, & inquirendum esse monet illius instrumentum, sicut & aliarum, vt possimus illi deficienti subuenire. Sunt vero discretionēs aliæ, in quibus manifestius vires suas accommodat hæc virtus: Nam in iudicijs, ante expulsionem discernit, vt constat ex Galeno, primo Aphorismorū, commentario 22. & lib. 4. Aphorism. cōment. 22. vbi statum morbi, partitur in operationes tres, mutuo se succedentes, coctionem scilicet, separationem, & expulsionem: Ex quibus coctio prima est, & iudicium antecedit: separatio, & agitatio (quæ verū est iudiciū Galeno autore, lib. 3. de Crisib.) coctionem sequitur, & noctem quæ excretionem antecedit, reddit difficilem, vt libro primo Aphorismorum, sententia 13. scribit Hippocrates, & in commentario Galenus, ita scribit. Iudicatio est, subita in morbo, vel ad sanitatem, vel ad mortem mutatio. Fit autem natura separante, à bonis mala, & ad excernendum præparante. Quæ verba satis conuincūt, post coctionem, subitam quandam separationem, à facultate hac nos regente fieri. Vt nimirū expultrix facultas, id quod inutile est, ab hac facultate prius secretū pellat. Nec valet quod quidā dicūt, coctionem separationem ipsam afferre, sine eo quod opus sit, facultate aliqua secernente: Primo quoniā non adeo cōstat, de separationem quæ à coctione fit, ac putant: quin potius coctio, præsertim incipiēs, ob feruorē & agitationem, omnia permiscet. Vnde in quibusdam morbis, vbi humores sunt secreti, nō mittimus sanguinem ante coctionem: Et cum primū coctio aduenit, mittimus ob permissionem humoris cū sanguine: Sic in quartana, vt sanguinem mittamus, Auicenna quandoq; coctionem

d. 3. spectat.

spectat. Et in causa turbationem, & rubedinem in urinis, quoniam tunc materiam cum sanguine permixtam esse intelligit. Secundo, nam separatio quæ sequitur coctionem, paulatim & cum ipsa coctione fit, per totum morbi tempus, de qua hic non agit Galenus: sed de separatione, & agitatione subita, quæ nocte ante excretionem facta, ad excretionem statim futuram preparat. Quæ sane, non nisi à facultate aliqua, quæ magnam nostri curam gerat, potens & docta sit, fieri posse constat. Hæc namque in primo ortu nostro ex semine, partes unicuique membro efformando secrevit, & conuenienti loco disposuit. In prima quoque alimenti ab hepate distributione, suam exprimit semper actionem: nam sanguinem crassum, transmittit inferioribus membris, & tenuiorem atque puriorem ad superiora: non ab expultrice iocinoris, ea enim indifferenter pellit omne grauians: nec à tractricem membrorum, mirum enim esset, si virtus tractiua pedis, iecur attingeret: nec à coctricem in iecore peracta, quoniam coctrix, caret vi mouendi localiter. Ergo à separatrice, quæ docta est, & omnia in nostro corpore, sapienter administrat. Est autem hæc doctrina & sapientia, naturalis, non intellectualis, nec à doctore altero, quam à creatore indita: quam instinctum, aut naturalem sensum, si appellare velis non improbo.

### De facultatibus ministris, ac subseruientibus. CAP. VII.



**R**ES dictæ facultates, quatuor aliarum ministerio, opus habuerunt. Neque enim procreans, nec augens, nec nutriens facultas, sine alimento functiones obeunt suas. Nam alimentum, necessarium est, conseruationi fluidæ, & caducæ materiæ, qualis est, eorum quæ procreantur, nutriuntur, & augetur. Hoc autem, cum congenitum non sit, nec coniunctum animanti (nisi quibusdam imperfectioribus, quæ terræ affixa, more plantarum nutriuntur) appetentiã quædam animalis, fuit ipsi à natura tributa, quam famem appellamus: & est sensus quidam tristis, quo vellicatur ventriculus, ut in cibum externum quærendum, incitet animal. Hanc porro appetentiã (quam inter facultates naturales, numerare non est, sed inter animales) antecedit altera naturalis, ex inopia alimentum suscitata, tum in plantis, tum etiam in animantibus, quibus sensitium, sine vegetatiuo consistere nequit. Sed neque hanc virtutem appetendi, memorant auctores, inter naturales facultates, non quoniam virtus non sit, aut quoniam communis cum inanimatis habeatur: quorum utrumque, dicere videtur Valesius, libro secundo Controuersiarum, capite decimo septimo, his verbis. Appetitum naturalem, singulis naturalibus instrumentis inesse, eius quod sibi secundum naturam conueniens, non est dubium. Sed tamen cum propter finem operari, & illum appetere, insitum sit etiam inanimatis, in quibus facultates naturales non sunt, non magis indigent membra, facultate ad appetendum alimenta, quam terra

terra. ad appetendum descendere, sed natura appetunt. Vtrumque vero est falsum, nam appetitio (apud ipsum) actio est, actio autem omnis, à facultate seu à causa dirigente dependet: nam nec terra appeteret descensum, si appetendi facultate careret. Falsum quoque est, facultatem appetendi alimenta, communem esse cum inanimatis: non enim ab eadem natura, conuenit graui descendere, & animato nutriri: Quare neque appetitus descendendi, & appetitus alimenti, ab eadem facultate oriri poterunt. Nam homo, ex natura elementi dominantis, descensum (ut cætera grauia) appetit: ex natura vero vegetante, alimenti desiderio tenetur: neutrum autem, ex communi aliqua natura dependet. Appetitus ergo alimenti, non est communis cum appetitu inanimatorum, neque eandem naturam sequitur. At demus ipsi (ex abundantia si placet) appetitum alimenti, in planta, aut homine, communem esse cum appetitu descendendi in graui: an ob id conficiet, huiusmodi appetitum, non esse inter naturales facultates memorandum? Non hercle. Nam trahens quoque facultas, pariter eximenda foret, à facultatum naturalium numero, quoniam trahens facultas (apud Galenum, lib. 1. de Naturalibus facultatibus, cap. 14.) omnibus inest rebus. Vnde ergo est, quod huiusmodi appetitum, non addunt auctores facultatibus naturalibus, nec principibus, nec ministris? Dicendum, quod quæuis facultas naturalis, appetit suam operationem, tanquam finem & perfectionem, in quam est creata, & eiusmodi appetitus, non est actio ab operatione diuersa: sed ipsius operationis initium, aut in operationem propensio. Trahens facultas, appetit trahere alimentum, & continens continere, sicut & coquens alterare. Ab eo autem appetitu, aut propensione, aut carentia in subiecto apto, aut si maior præensione finis, unicuique facultati insita, incipit operatio, seu à termino à quo: & fertur in opus, seu in terminum ad quem, puta in alimentum, per tractionem conquistum, aut per detentionem contentum, aut coctionem alteratum. Eadem ergo est facultas, quæ trahit, & quæ appetit trahere, & eiusmodi appetitio, non est actio diuersa, à tractione, sed terminus unde tractio initium summit. Quod voluit aperte Galenus, lib. 5. de Locis patientibus, cap. 7. Vbi de naturalibus facultatibus agens, ita scribit. Primam voco attractricem, quæ peculiare parti succos, alendi ipsam gratia, & appetere, & attrahere potest. Quibus verbis, nemo non videt, facultati tractrici, appetitum, & attractionem alimenti tribuere: Ab vna autem facultate, duas operationes prodire non concederet: Vna ergo est operatio, quæ ab appetitu incipit, in alimentum parti appositum terminatur: totaque ea operatio tractio est. Similiter de actionibus reliquarum facultatum, est existimandum. Continens enim facultas, appetit alimentum continere: & ab eo appetitu, seu à termino à quo, contentioem suam orditur. Coquens quoque, coquere appetit: & expultrice, expellere auct: indeque suæ operationis initia summit. Quatuor ob id facultates ministras, easque solas, omnes medicæ artis auctores, quique naturam sunt speculati statuunt: tractricem nimirum, contentricem, coctricem, & expultricem. Appetens enim (ut diximus) ab istis non est diuersa. Separatrix autem aut segregatrix, quæ addendam esse, superiori capite censuimus, ex ministris non est.



Eandem enim cum formatiua, & totius corporis regitiua, esse diximus. Dilatans vero membra solida, non est facultas aliqua, quæ ministret augenti, sed ipsamet augens facultas, quæ corpora quoquo versus exporrigit, & in longum magis: ut aduersus *Valesium*, capite quinto, huius tractationis diximus.

Fuit autem tractrix facultas necessaria, & omnium naturalium facultatum prima: lib. 3, de Facultatibus naturalibus, cap. 12. autore Galeno: Quoniam alimentum suapte sponte, nequit ferri in membra, sicut cum nos forum imus. Cognitionis enim & intellectus, non est particeps: nec impelli potest ab alijs, sic enim unicuique parti, quod familiare est, non distribuatur: sequens ergo est, ut unaquæque pars, sibi simile vim habeat trahendi. Quod Galenus, plurimis exemplis confirmat, lib. 1. de Facultatibus naturalibus, aduersus *Asclepiadem*, & *Erasistratum*, qui facultatem trahentem aliquam, esse negabant. Trahentem facultatem, sequitur continens, cuius officium est, alimentum attractum continere fixum, & immotum: donec pars quæ ipsum traxit, id coquat & superet, ut possit eo frui: frustra enim traxisset, si elabi suisset. Sed si trahens facultas, quæ procul sunt, trahere est potis: quæ tracta iam sunt, & parti adherent, melius continere valebit: magnes enim, eadem facultate, qua ferrum trahit, continet ipsum violentius: Ut quid ergo opus est, facultate continente? Dicendum, quod facultas continens, non pari euidencia probatur, ac reliquæ, eam tamen statuere, preceptis medicis magis est consonum: ne scilicet alimentum vnius partis, altera rapiat. Pars enim quæ alimento fruitur, duplici facultate alimentum continet, tractrice & contentrice, ne ab una alterius partis tractrice, violentius forte operante, alimento necessario priuetur: quod fibræ obliquæ monstrant, à rectis plurimum distinctæ. Contentrix, coëtrix seruit, eatenus enim contetione est opus, quatenus coëtrix alimentum superat, & utile ab inutili secernit. Nullum namque adeo simile est alimentum, & nutriendo corpori tam affine, quin partes habeat inutiles, & quæ in ipsius substantiâ, migrare nequeant. Diuersa enim elementorum mensura, & mistione cum alimeta constent, tunc solum similia reddi possunt, cum parè ipsorum mensurâ, & persimilem mistionis rationem, fuerint consequuta. Quod fieri potest, aut additione elementorum deficientium, aut separatione exuperantium. Non sunt autem in nostro corpore, elementa quæ addi possint deficientibus: Oportet igitur ut redundantia separentur, & reliqua tali ordine & situ disponantur, qualis in parte nutrienda reperitur: quod interdum una, alias multis præparationibus fecit natura. Venter enim ex chylo nutrit, sola terrestri parte, & feculentiori alimenti seperata: Iecur ex sanguine, à quo utraq; bilis secessit: reliquum corpus ex sanguine, à seroso recremento, renum beneficio mundato. Qui interim dum in membris coquitur, duplex excrementum eructat: Tenuius vnum, forma vaporis, aut saporis: & crassius alterum, forma sordis. Coëtrix igitur, coëctione quod utile est alimenti, ab inutili secernit: inutile vero, ac recrementitium, ab altera facultate, quæ omnium est postrema, è corpore deturbatur. Sic feces, & bilis utraq;, per aluum expurgantur, vesica fellea, in ieiunum, & liene, in ventriculi fundum, se exonerante:

serosa

serosa recrementa, per vrinam: sudor & sordes, per cutem: mucus, per nares & palatum: biliosa cerebri recrementa, per aures pelluntur: ab hac quæ incommoda expellit facultate: cuius cum valida est, tanta est efficacia, ut per media ossa, pus interdum transmittat, & inuia sæpe loca penetret, ut lib. 7. Aphorismorum, commentario 54. autor est Galenus.

Quatuor ergo dictæ facultates, quæ tribus alijs ministrant, tam sunt necessariae, & euidentis usus, ut per eas, omnia naturam moliri ac perficere, statuatur Galenus, 6. Epidemiarum, parte 5, commentario. 1. Siue enim nos alat, aut augeat, aut generationi incumbat, nos regens natura: Istarum quatuor ministerio, atque beneficio, id peragat oportet. Nullaque nostri corporis pars, ab earum beneficio destituitur, ut tum alibi, tum libro de Sanguinis missione, cap. 8. autor est Galenus.

Nec obstat, quod. 1. de Locis affectis cap. 1. ita scribit. Namque in commentarijs de Naturalibus facultatibus, iam declaratum est, in omnibus fere corporis particulis, esse vim qua excrementa secernantur. His enim verbis, nolluit facultatem expultricem, ab aliqua nostri corporis parte adimere, sed quasdam esse partes notare, in quibus adeo sit expultrix infirma, ut ob exiguitatem sensum fere lateat, quales sunt adenes & pinguedo: & alias quæ quauis partes videantur, verè partes non sunt, quales sunt pili & unguis, in quibus ut deest vita, & vegetatio vera, ita etiam & facultas expultrix, quæ vegetantis animæ est facultas. Sed quo modo expultrix, non semper operatur, si naturalis facultas est, non subiaccens arbitrio? Naturales enim facultates non occiantur? Dicendum ex Galeno est, lib. 1. de Locis patientibus, citato, quod excrementum non est obiectum expultricis, nisi cum mordet aut urget, nulla autem facultas operatur, obiecto deficiente.

Sicut autem nulla nostri corporis pars, aliqua e dictis facultatibus destituitur, ita nulla est quæ habeat duplices, ut quibusdam perperam fuit visum: qui quidem in ventriculo & iocinore, quatuor facultates dictas ponunt communes, ut sunt instrumenta coëctionis, pro toto operantia: Et todidem particulares magis, quatenus propriae nutritioni incumbunt. Quod vel ex ipso Galeno, videntur elicere, qui libro de Differentijs symptomatum, postquam numeravit, symptomata facultatum naturalium ventriculi, ut est organum coëctionis, aut chylicationis: subdit cap. 5. Ac ventris quidem, ut instrumentum coëctionis est, dicta symptomata sunt. Ut autem nutriri potestulat, tum quod nutriat, non solum trahit, sed etiam eatenus retinet, quousque alterauerit, & superuacaneum excreuerit, alium parem symptomatum numerum, ceu simile corpus sortietur. Quibus verbis, Galenum existimant significare, quod ventriculus, alias habet facultates naturales, ut instrumentum chylicatorium, & alias ut singularis pars alenda. Contra vero est, quod sui tantum gratia operantur instrumenta naturalia, ergo ventriculus & iecur, non habent facultates quæ in gratiam tantius operentur. Intelligant ergo, quod sicut os, simplicibus facultatibus naturalibus præditum, operatur modo in alimentum, quod in cavitatem acceruat, modo in attractum ad osium meatum, quod per eorum substantiam sparsum iam est: & testes eadem facultate

d 5 tate

tate, operantur in alimentum contentū in vasis seminarijs, & in admissum ad testium substantiam: & vbera in sanguinem contentum in venulis, & in iam insertum, ipsorum meatibus pro nutritione: ita ventriculus modo chylificat in cauitate, modo ex chylo, partem puriorē trahit ad sui substantiā, continet, & coquit, ipsdem facultatibus naturalibus, in vtraq; operatione ministrantibus. In nullo enim membro, duas tractrices, duas coëtrices, contentrices aut expultrices statuere oportet: quauis duæ, cuiusque facultatis spectentur operationes, in quarum vnaquaque possit deficere, altera illæsa manente. Operationum enim multiplicitas, si eiusdem generis sunt, non facit facultatum diuersitates. Non enim perspicua, & obscura visio, vnius obiecti, modo procul, modo prope siti, duas facultates visivas constituit. Nec infirma chylificatio, totius chyli in cauitate contenti, & firma coëctio eius partis chyli, quam ventriculus ad tunicas attraxit, diuersam facultatem requirunt.

DE omnibus facultatibus naturalibus, indubitatum tradit Galenus Axioma, quod in suæ tantum nutritionis gratiam operantur: nam nec propter suum operari, nec propter alienam fruitionem agunt quicquam. Nihil enim est in rerum natura (inquit lib. 3. de Naturalibus facultatibus) quod propter ipsum trahere trahat, sed ut eo cuius per tractum fit compos fruatur: frui vero ipso, non possunt nostri corporis membra, nisi retineant, coquant, quod superfluum est exterant, & utile assumant quo fruatur. Sic ventriculus cibū trahit, non propter ipsam trahendi functionē, nec ut membris alijs præparet alimentum, sed in gratiam propriæ nutritionis, & eis solæ incumbens chylum conficit, ex cuius meliori parte, abunde nutritur: reliquum vero, veluti onerosum aliquid, rejicit in iecur & membra: non ut ipsa aliquid ea expulsionē lucrentur, sed ut onus & grauamen proprium deponat venter. Iecur quoque dum chylum trahit, nullam de ventriculo exonerando curam gerit, sed suæ nutritioni intendens, chylum allicit ad se, quem in sanguinem vertit, & pro ratione suæ inaniitionis assumit. Reliquum vero pellit, & corpori permittit. In qua ratione, membra priora trahunt, & præparant posterioribus, non tamen propter ipsum trahere, nec propter posteriorum fruitionem, quorum nulla tanguntur cura: quoniam quæ mere naturalia sunt, nulla cognitione, neque præuisione vti possunt, sed sibi tantum laborant & mouentur, & impendens sibi, ex motu aut actione damnū, nesciunt auertere. Alioqui aqua, in suppositum ignem non descenderet. Et tractrix venarum, tempore æstiuo, non traheret ad se ichores biliosos, ut scribitur quarto de Vicitu acutorum, sententia .i. Sic vbera lac gignunt, nihil de infante curantia, sed ut eo alantur; vberius tamen prouenit, ita prouidente creatore, ut puer alatur. Testes semen gignunt quo nutriuntur, nihil de posteritate cogitantes: vberius tamen ut gignendo sit satis. Cerebrum spiritus creat animales, quibus imaginatur, cogitat, & reminiscitur, nihil de neruis & musculis curans: vberius tamen, ut motionibus & sensationibus sufficiant, ex creatoris prouidentia proueniunt. Quod vero palpebræ nictent tuendorum oculorum gratia, & brachium eleuetur pro tuendo capite, & pectus tussiat

fiat in pulmonis vtilitatem, & respiret ob vsum cordis, & muscoli moueantur in totius vel aliarum partium vtilitates, ad vim animalem pertinet: quæ alienis vsibus, etiam cum sui damno seruire potest, secus ac facultatibus mere naturalibus cōtingat. Nec aliud sensit Galenus lib. 6. de Placitis cap. 7, dum ventrem hepatis præparare adstruxit. Dum enim sibi tantum studuit, quod superfluum est, præparatum accipit hepar. Ex eo enim quod cum ventriculo habuit cōmercio (ut scribitur tertio de Naturalibus facultatibus) ipsum quoque consequutum est salutare aliquid, quod hepatis postea seruit pro nutrimento. Talis enim fuit creatoris sapientia, ut dum membra sibi seruiunt, alienis etiam cōmoditatibus, quæ à membris ipsis, nec nosci, nec expeti possunt, per accidens valde conferant. Quod libro quinto Aphorismorum, commentario 39. euidenter expressit Galenus, in hæc verba. Hoc quidem cōmune est, omnis animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos vtilis generare, aut ad vsum aliarum partium, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum, quandam veluti superfluitatem, partis ipsum generantis. Non enim quia norit, ad quid vtilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem. Nisi debeat talem habere intellectum, qualem habere; ciuitatum gubernatores arbitrantur oportere. Sed animalis quidem opifex, illum habet intellectum, ipsa autem pars (ut ostensum est) potentis regitur naturalibus: cum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilatur alimentum sibi ipsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati, fuerit nutrito corpori exquisitè assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. Quin eodem. 6. de Placitis, idem docuit Galenus, in hæc verba. Constringitur enim venter ad cibos, accommodatum sibi alimentum ex illis eliciens, quoad saturatus ac perfecte repletus, quidquid superat excrementi in ieiunium expellat. Attrahit inde etiam iecur, cibum in ventre prius concoctum, qui non ea quidem causa à ventre immutatur, ut iecori suppeditetur: sed quia non datur, ut cum simul duo corpora, sub mutuum congressum venerint, non mutuo agant & patiantur, id quod etiam in eodem tractatu à nobis probatum fuit. Natura enim comparatum est, ut fortius & validius, alterum quod imbecillius est, vincat atque immutet. Sicut igitur ventris reliquæ, iecori accommodæ sunt, eodem modo, quod à iecoris alimento superuacaneum est, reliquis omnibus vtile efficitur. Neque tamen illorum causa, iecur nutrimentum immutauerit, sed eo quo dixi modo res cessit, dum immutatur & diuersificatur, habilis ad alia membra alenda euadit. Et paucis interpositis subdit. Atque ita fit, ut frequenti continua que illa successione, vnumquodque membrum, alteri sequenti, materiam præparare, ac præcoquere videatur. Id est illa cōtinua successio, phantasiā exhibet, præparationis priorum membrorum, in gratiam posteriorum & subsequentium, quauis aliter habeat res ipsa ut dixit. Nec obstat, quod sui gratia, non traheret ventriculus, tantum alimenti, sed exiguum pro se. Nam non cessat fames, nec alimenti ingestio, donec corporis venæ, à ventriculi substantia trahere desistant, ut auctor est Galenus lib. 1. de Symptomatum causis. Nec obstat etiam, quod ventriculus trahit alimenta

medicamentosa, non sui gratia, verum in gratiam membrorum, ut autor est Galenus, lib. 1. de Causis symptomatibus, cap. 6. in hæc verba. Venter visceribus venisque subseruit, & quales hæc succos requirunt, tales appetunt, nepe affectioni contrarios, crassis quidem qui attenuant, tenuibus qui crassant, glutinosis qui diffecant, exasperantibus qui leniunt. Ad eundem modum calidis, qui frigidi sunt, frigidis qui calidi, sicut siccis qui humidi, & humidis qui sicci. Quarto etiam libro Simplicium, cap. 10. ita scribit. Nam si præter id calidiores quam conueniat, aut frigidiores euaserint, seu toto corpore, seu pertinentibus ad linguam ac ventrem locis, non solum quæ nutriant, verum etiam quæ refrigerent aut excalfaciant postulabunt. Quæ loca, quanuis Vesalium libro de Chinæ radice coegerint, Galenum reprehendere, intelligenda sunt, quando succi & intemperies viscerum, & membrorum, communicantur ventriculo, quod magna ex parte fit. Os enim amaricat per febres biliosas, & dulcescit abundante sanguine in vasis: quare ea contraria tunc expetit ventriculus pro se, non pro alijs: Licet contingat etiã alijs prodesse, quoniã simili cacochimia tenentur. Nec obstat etiam, quod vesica vna, trahit urinam: & altera, quæ in hepatis cauo est, bilem: & uterus, semen: quibus non fruuntur dicta membra, siquidem huiusmodi attractis non nutriuntur, sed sanguine. Non obstat (inquam) quoniã non sola nutritio, est fruitio, sed etiam voluptas, aut conuenientia, aut temperamenti conseruatio, ex adherentia similis. Sic uterus, semen trahit, eoque fruitur ob voluptatẽ: vtraque vesica, urinam, & bilem, quibus sua natura maxime conseruatur, ob conuenientiam & similitudinem quæ ipsis intercedit. Magnes ferrum, succinum, paleam, & omnia natura constantia, simile trahunt, contrarium vero repellunt. Vnde Galenus, lib. 9. de Compositione medicamentorum secundum locos, cap. 2. ita scribit. Didicistis enim in naturalium facultatum cõmentarijs, quod cum omnes particule, suæ conseruationis gratia habeant facultates, tum familiarium attractoriam, tum alienorum expulsoriam, itemque assimilatricem sibi ipsis, eorum quæ attraxerint, aliquibus ipsarum, insuper inest per accidens, magnopere iuuare totum corpus. Ex horum genere est & lien, qui ex hepate in se ipsum, velut fecem sanguinis trahit, quemadmodum vesica in hepate bilem, & renes urinam. Sed dubium est, nam si urina, & bilis, trahuntur pro tutela & conseruatione vesicæ vtriusque, & non pro expurgatione totius corporis, eadem facultate qua trahuntur, deberent contineri non expurgata, sic enim trahitur, & continetur ferrum à magnete. Dicendum est, quod bilis, & urina retenta, acriora fiunt, & expultricem vesicæ stimulant. Ferrum vero, quale ab initio fuit perseuerat, & magnes, non sentit irritamentũ vllum, ut vesica. Nec obstat etiam, quod sicut aqua in decensu, & ignis in ascensu, & omnia ea quæ sui tantum gratia agunt, non nouerunt suos vsus, sed agunt tantum, ob vsum creatori cognitum, ita etiam ea, quæ propter aliorum profectus sunt creata, agere & operari possunt, in aliorum gratiam, quanuis eam vtilitatem non cognoscant. Non obstat (inquam) nam licet verum sit, naturalia non habere sensum, nec vim agitiuã suorum vsuum, habent tamen insin-

Etum,

Etum, insitam doctrinam & impetum innatum, quo feruntur in sibi cõmoda, & conuenientia quibus fruuntur, non autẽ in aliena, vbi deficit fruitio, cuiq; nature expetita, in que sine cognitione ferri nequibunt. Nec obstat similiter, quod graue suapte natura, ascendat ad implendum vacuum, cõmunis nature gratia, propriam violando: aut enim is motus est violentus, qui fit à trahente, aut vacuante ut quidam asserunt: aut si graue mouetur sursum, id facit pro se, non pro vniuersali natura, quin vniuersalis natura nulla est, præter naturas particulares. Graue ergo mouetur sursum, ad implendum vacuum, ne perdat continuitatem cum vniuerso, & celestes influxus, quibus seruat & fruitur, quosq; magis, quam inferum locum, & expetit & poscit.

Sed facit sermonis sequella, ut de nutritione vetriculi agamus, nutriatur ne ex chylo, an ex sanguine. Ratio enim Galeni adducta, qua tertio lib. de Nat. fac. probat, ex chylo nutriri (quoniã non trahit alimẽtum propter ipsum trahere, nec in gratiã membrorũ, ergo restat quod ipsum trahat, ob propriã fruitionẽ, & nutritionẽ suã substantiã) non conuincit: siquidem propter aliam fruitionẽ, quæ nutritio non sit trahere posset, ut vesica fellea, trahit bilem qua nõ nutritur, ob conuenientiã & similitudinẽ quæ est inter ipsa. Quod aduertens Barbarorũ secta, qualitatiuã quandã nutritionem excogitauit, nomine nutritionis, fruitioni dato. Dicuntq; ventriculũ frui, & delitari, cibo externo & chylo, quo presente, qualitate afficitur gratissima, & maxime conuenienti, qua fortior, robustiorq; redditur. Quod qualitatiue, seu refocilatorie, nutriri appellat. Eo vero chylo, nõ nutriri vera nutritione, sed sanguine in iecore confecto affirmat. Ob id enim venas habet à iecore tributas, quæ sanguinẽ continent, non chylũ, ut monstrat ventriculi vlcera, è quibus sanguis prodit & euomitur. Huiusmodi autẽ venæ, & sanguis, ventriculo nõ impartuntur frustra, ergo nutritur eo. In vtero præterea vbi cibũ infans ore nõ accipit: sanguine per huiusmodi venas delato, necessario nutritur: quid ergo obstat, quo minus extra vterum, eodem nutriatur. Quin consentaneũ est, ut vnius formæ vna sit materia, quare si sanguine cõpit nutriri, nunquã nutrietur chylo. Animantium etiam quæ terræ latebras diutissime habitant, & eorũ hominum, qui diutissime sine cibo externo persisterunt vetriculus, sanguine quod habet necessario nutritur, non chylo quo carent. Accedit iecoris cum ventriculo propinquitas, à quo promptissime potest ventriculus, sanguinem haurire. Omne præterea quod nutritur, aut semine, aut sanguine nutritur: vnumquodque enim, ea substantia qua primum genitum est, ali etiam perpetuo consuevit: quippe cum nutritio nihil aliud sit, quam continuo effluentis substantiæ redintegratio, ut conceptis verbis scribit Galenus, primo libro de Semine in fine: sed nec vetriculus, nec aliud vllum mēbrum, ad initium gignitur chylo, ergo nec nutritur ipso, sed illorũ duorũ altero. Plus insuper, distat sanguis ab osse, quã à ventriculo, ex sanguine autem os nutritur, igitur & vetriculus. Adhæc nihil nutrit ut autor est Galenus, 3. lib. de Temperamentis, cap. 2. ante quã in ventriculo, iocinore, & venis sit demutatũ: chylus ergo, cui duæ alterationes, posteriores deficiunt, nutrire nequibit. Nam per has cõctiones separatur multiformia

excre-



excrementa alitioni inepta, a quibus cum chylus qui in ventriculo est, non sit absolutus, minime nutrire valebit. Omnia præterea membra, quæ materias alijs præparât, totas eas, atque integras, illis ipsis quibus præparant solent reseruare, vt scribit Galenus, 6. lib. de placitis, ante medium. Vbi inter alia exempla, ventriculi & intestinorū meminit, quæ chylum parant & transmittunt iecori. Nullam ergo chyli partem, ventriculus assumit ad nutritionem, sed sola fruitione qualitatiua vtitur. Quam videtur significasse Galenus, 3. lib. de facultatibus naturalibus, capite sexto, vbi ventriculo dixit, inesse appetentiam conuenientis sibi qualitatis: & capite decimo tertio, vbi chylum ventriculo apponi, in halitus, aut vaporis modum scripsit, vt nimirum hanc à vera nutritione distingueret. Vapor enim quoniam cito dissipatur, & eius substantia nō permanet, magis qualitatiue, quam vere, nutrire dicitur, vt exponit, Gētilis. Et infra Galenus aperte fatetur, ventriculum famescentem, trahere ex iocinore sanguinem pro nutrimento, cum negatur ipsi cibus externus. Quin nec cibum externum quærere, nec esurire, cum sanguine abundat ventriculus, scribit. Quippe venter (inquit) si melius, paratiusque, in iocinore nutrimentum habet, externum non postulat. Quibus verbis, nō modo sanguine nutriri ventriculū voluit, sed melius nutrimentum sibi esse sanguinē, quam chylum. Accedit, quod si ventriculus, nutrireretur solo chylo, prius famesceret, quā reliqua corporis membra inanitionē paterētur: & sic nullatenus adessent quinque symptomata, ceu necessaria memorata à Gal. 1. libro de symptomatum causis. Si tria enim tēpora nutritionis spectēs, animaduersa à Gal. 3. lib. de fac. nat. in primo tempore, ventriculus apponit sibi, partem chyli sibi debitam: in secūdo apponunt intestina, & iecur, reliquam chyli quo ventriculus non indiguit, ventriculus autē affigit, quod primo fuit impositum: his tertium tempus succedit, in quo ventriculus nutritur, & prorsus assimilât quæ affixerat, iecur vero & intestina affigunt, quod sibi fuit impositum: quo tempore, mēbris distribuitur, sibi que apponitur alimentum. Quartum ergo nunc tempus, liceat nobis excogitare, in quo membra affigunt, iecur nutritur, & ventriculus caret chilo, quod sibi apponat. Quintum etiam, in quo mēbra nutriuntur, iecur caret alimento, & pluri adhuc chylo ventriculo est opus. Quibus temporibus, ex sanguine sibi alimentum parare nemo diffitebitur, aut prius famescet, & cibū externum attrahet, quam reliqua corporis membra inaniantur.

Galenus tamen longe aliud sensit, nempe ventriculum frui chylo, non modo fruitione qualitatiua, verum etiam vera ex ipso nutritione. Nam secūdo libro Aphorismorū, com. 18, ita scribit. In libris de facultatibus naturalibus ostendebatur, ventriculus prior proprium sibi ipsi ex cibus alimentum attrahere, & suis apponere tunicis, mox vbi hic fuerit saturatus, tunc ipsos emittere ad excretionem. Et sexto libro de placitis, capite decimo quarto, ita scribit. Constringitur enim venter ad cibos, ac commodatum sibi alimentum ex illis eliciens, quoad saturatus, & perfecte repletus, quidquid superat excrementi in ieiunum expellat. Et tertio libro, de Facultatibus naturalibus, ita scribit. At vero si & appetentia quedam est, & attractio: fuerit profecto

profecto & fruitio aliqua: cū nihil in rerum sit natura, quod propter ipsum vt sic dicā trahere, siue trahendi functionem trahat: immo vt eo, cuius per tractū fit cōpos fruatur: atqui frui eo non licet, nisi retineat. Iam hic rursus retentrix vis, necessario genita esse probatur. Quippe ventriculus, manifeste conuenientes qualitates expetit, alienas respuit. Sed si expetit & trahit, & retinēdo, ac vndiq; complectēdo fruitur, erit vtiq; & finis illi quispiam fruitionis, postquam iam expultricis facultatis agendi tēpus succedit. Verū si & retinet & fruitur, etiam ad eum finem, ad quē sic retinet & fruitur abutitur. Porro is finis est, vt eius quod in qualitate conueniens, consentiens que est, partem aliquam capiat. Itaq; quod in cibus optimum est, id halitus specie, & paulatim, sibi attrahit: atque in tunicis suis reponit, ysdemque adiungit. Vbi abunde saturatus est, quidquid reliquum nutrimenti est, veluti onerosum aliquid reijcit. Et infra eodem libro, in tria tempora corporis nutritionem partitur, in quorum primo ventriculus chylicat, & chylum sibi apponit ad saturitatem: in secūdo agglutinât: & in tertio nutritur & assimilât. Quibus verbis, non aliud quam veram nutritionem, intelligere possumus, quæ tribus actibus constat, appositione, adglutinatione, & assimilatione, vt mox dicemus. Ratio quoque, quam hic, & alibi sepe Galenus inuit, efficacissima est huiusmodi. Nihil quod trahit, propter ipsum trahere trahit, sed propter fruitionem attracti, & nihil quod commutat, propter ipsum commutare commutat, sed propter fruitionem commutati. Quare diuersa est fruitio, quæ facultati tractrici, & quæ commutatrici respondet. Tractrix facultas, sola fruitur adherentia, rei similis attractæ vt succinum contactu pallear, & magnes adherentia ferri, & fellea vesica præsentia bilis. Commutatrici vero respondet nutritio ex cōmutato. Quod enim commutat sibi commutat, iecur sanguinem, mammæ lac, testes semen, ossa medullam, pulmo spumeum humorem, vt quinto libro Aphorismorum, commentario tricesimo nono, autor est Galenus. Cum ergo ventriculus, cibum attrahat non solum, sed etiam conficiat, coquat, atque commutat, duplici fruitione gaudeat est necessum, videlicet voluptate ex conuenientia attracti, & nutritione cocti ac commutati. Illa quidem statim ab ingestione cibi, quando ventriculus voluptuatur, & famis iniuriam sedat: hac vero post coctionem, & chyli confectionem, quando ventriculus necessariam sibi partem chyli assumit, in tunicis suis reponit, & sibi assimilât. Nec enim ex attracto, & prorsus inconfecto cibo ventriculus nutritur, nec ex iam cōfecto delitiam aliquam sentit, vt cuius mentem adhibēti innotescit. Præterea cibum ore susceptum, desiderat ventriculus, & magna auiditate amplexatur, ita vt in eo melius coquendo, se ipsum vndique cogat, ac comprimatur, quod nisi ex eo nutrireretur, vix credi posset. Quorsum enim traheret ex ore cibum, in subsidium suæ indigentia, si sanguine & nō cibo esset reparanda? Frustra enim appeteret, traheret & coqueret cibum, cuius non est indigus. Adhæc cibo sumpto, statim cessat fames, quemadmodum sitis potu iam hausto, ergo sicuti in siti, humidum roridum reficitur potu, ita substantificum esca, ante sanguificationem vllam, alioqui fames (quæ erat substantifici humidi appetitio) non se

Sedaretur. Fames insuper non reddit, statim ac cibus descendit in intestina: ergo partem chyli, seruat sibi ventriculus, qua reficitur. Coctio præterea, est alteratio, in propriam eius quod nutritur qualitatem: ergo si per chylificationem, cibus ventriculi qualitatem & similitudinem sumpsit, eo nutrietur. Quod autem ingentem cum ventriculo, chylus similitudinem compararit, ex colore albo conijcimus, qui non potuit chylo impertiri, sine substantiæ & temperamenti similitudine acquisita: quoniam secunda qualitates, dantur pro mensura temperamenti consurgentis ex primis. Multa item dantur animalia sanguine expertia, quæ alimento non sanguificato nutriuntur: nihil ergo habet absoni, quod ventriculus, intestina, & mesenterium: prima, rudia, ignobiliora, minime sanguinea, & impuriore succo constantia viscera: nutriantur selectissima, & defecatisima totius chyli parte. Præterea si quævis corporis pars, vna cum sit, ali potest cibus diuersorum temperamentorum, & substantiarum, (fructu inquam, carne & olere) multo magis diuersæ corporis partes, nutriri poterunt eodem alimento, diuersimode apparato: Ventriculus nempe chylo, hepar sanguine, & molles corporis, rore eiusdem ædulij, nunc prima, nunc secunda, & alias tertia coctione elaborati. Accedit quod defectus vnius coctionis, innutritionis causa esse nequit: Vt enim lactuca cruda, pariter & alia multa alimenta cruda, nos alunt: quæ si elixentur, familiariora nobis redduntur, & nutriunt melius: ita etiam de interna coctione credere oportet. Sic chylo nutrientes nos alunt, vbi aut prima coctio deest, aut exiguam & pauci momenti commutationem experiuntur. Sic qui canina fame laborant, ob validum venarum suum, ex alimento fere incocto nutriuntur: statim enim ac ingestum est rapitur ad membra. Sic lac, & liquida, cum à ventriculo imbecillissimo non alterantur, possunt tum in sanguinem abire, tum etiã corpus nutrire, vt scribit Galenus, sexto libro de Placitis, in hæc verba. Licet ventriculus, cibos conterere non valeat, modo succos aliquos assumamus, vt multis in nationibus lac solet, viuere possumus. Extra quoque imposita nutrire possunt, licet parum & exigui momenti id sit, vt voluit Hippocrates, libro de alimento, in hæc verba. Forinsecus alimentum, ab extrema superficie, ad intima peruenit. Et sexto libro Epidemiarum, parte sexta, sententia prima, Carnes attractrices sunt, ex ventre, & extrinsecus. Quod in ijs qui gestantur vtero, carne assa, aut ouo, matris umbilico apposito experimur: Pariter & in hecicis, per balnea, ac perfusiones, ex lacte & unguentis resumptiuis: in quibus prima coctio prorsus deest: Secunda quoque, aut nulla est, aut exigua aliqua fit, à vi venarum sanguifica. Huiusmodi autem attractio nem, quæ extrinsecus, per cæcos meatus, ad interna fit, sensus testimonio explorat Galenus, in cõmentario, vbi ita scribit, Nonnullos profecto vulgares audiui, quod ipsis ex potabilium aquarum balneis acciderat admirantes. Prius enim per calentem solem confecto itinere, domum reuersi, squalidum corpus, osque aridissimum se habere dicebant, nec non & ardentissima siti cruciari: à lauatione autem sitim extinctam esse, os humectatum, pariterque totum corpus, molle atque humidum effectum, priorem deposuisse squalorem fatebantur. Alij vero, & in solijs corpus suum aquam attrahere, indu-

in dubitanter se percepisse affirmarunt. Quibus verbis constat, aquam per carnis meatus, attrahi in vniuersum corpus. Quanto igitur magis, attrahetur & conficietur succus alimentitius. Quod enim Galenus, 3. lib. de Temperam. cap. 2. nutritionem per extra posita negat, de vberiori & effatu digna nutritione intellexit. Arteriæ etiam multe, ad ventriculum & intestina terminatæ, dum distenduntur, rapiunt partem chyli tenuem, ad alitionem spirituum, & sanguinis arterialis, citra aliquam in iocore elaborationem, vt scribit Galenus, 3. lib. de Naturalib. facult. capite ultimo, in hæc verba. Non est ergo mirandum, si ex ventre prorsus exiguum, quantum scilicet exquisitissime est confectum, in arterias venit, ceu leuiore prius impletas. Si chylus ergo spirituum nutritioni valet, multo certius ventriculum nutriet. Et eodem libro infra, dum chylus conficitur, aliquid eius scilicet inconfecti ad iecur ascendere tradit: & cum ad intestina & iecur, chylus confectus transit, portiunculam etiam eius exiguam, in omnem corporis partem ferri scribit. Ex priore autem iecur nutritur sine prima coctione, & ex posteriore vniuersum corpus, sine iecoris elaboratione: quanto igitur magis ventriculus chylo poterit nutriri? Ex anatome etiã manifeste constat, nullam à caua, in ventriculum, intestina & omentum, venam ferri, sed ex porta omnes derivari: porta autem cum suis exortis, sanguinis distributioni, in iecore elaborati, non seruit, sed tractioni, & introductioni chyli, ex dictis membris ad iecur. Quod præter exortum, docet etiam implantatio venarum, in dictis membris, non enim expanduntur per ventriculi & intestinorum longitudinem, more earum quæ alimentum deferunt, sed recta feruntur, penetrantia intestina & ventriculum, vsque ad internam cavitatem, ex qua chylum hauriunt. Quod si membranam spectemus, cuique extremitati harum venarum adnatam, ei persimilem, quam natura in vesicæ cavitare, extremis vteris apposuit (vt notat Columbus, lib. 6. de Re anatomica) facile intelligemus, admisioni chyli, non autem reductioni sanguinis, huiusmodi venas fuisse creatas. Nec aliud colligemus ex succo, quem huiusmodi venæ continent, chylus enim est, nonnihil in rubeum mutatus à vi sanguifica, quam huiusmodi venis tribuit natura, ne in transitu otaretur: nam vera sanguinis forma, substantia, & color, in hepate dantur. Ventriculus ergo, fruitur qualitate, & conuenientia attracti cibi, quo deliciatur: fruitur etiam substantia chyli iam confecti, vera (inquam) ex ipso nutritione, non voluptuosa, aut refocilatoria, quam volunt. In ipsa enim nutritione, & chylo iam confecto, nulla afficimur voluptate, sed in ipso tractu, & ingestione cibi, ob conuenientiam & similitudinem cibi cum ventriculo. Sic enim ventriculus natura calidus, gaudet cibus calidioribus, frigidus frigidioribus, humidus humidioribus, & siccus siccioribus, vt libr. 2. Artis medicæ autor est Galenus. Sic etiam qui præter naturam calidus est, gaudet cõtrarijs: quoniam ea contraria, sunt conuenientia, & reducentia ventriculam ad naturam, vt autor est Galenus, lib. 1. de Causis symptom. cap. 6. & lib. 4. Simplicium medicament. cap. 10. Nisi aut intemperies præter naturam sit facta, ea enim ceu iam naturalis, similibus gaudet: aut prauus humor, vniuersam ventriculi substantiam vndique peruasit: quod

in pica morbo contingit, ubi extranea, & humori prauo similia, ob id appetuntur, non autem contraria, perinde ac in morbis factis & cōaturalibus redditis appeti solent. Quinimmo eiusmodi affectiones, quāuis ab humore dependentes sint, factas more hebetarū appellat Gal. 1. Prorrhethici. com. 33. ubi phrenitides factas esse scribit, cū bis vniuersum cerebri corpus peruadit, exemplo lanæ, quæ vndiq; tincturam accipit: vere tamē factæ huiusmodi dispositiones nō sunt, repente enim à primis prægnationis mensibus pica vtero gerētibus succedit, & post tertium mensem decedit magna ex parte: quorū neutrum morbo vere factō cōuenit, hic enim multo ante fieri, & vix deleri affolet. Adhæc mēbra quæ trahunt, & gaudēt qualitate aliqua, indigent ea, aut tanquā simili, qua conferuntur, aut tanquā contraria, qua curētur, & redeāt ad naturā: quorū vtrumq; deest ventriculo sano, & bene tēperato, vt voluptatem percipiat ex chylo, ab alimentis natura calidis, aut frigidis confectō. Et ex consequenti voluptuosa, & qualitatiua illa, ex chylo nutritio, quam excogitarunt, friuola est & inepta. Nec placet Auerrhoi interpretatio, qui secundo colliget, cap. nono, inquit, quod nutritio, qua vētriculus ex chylo reficitur, qualitati potius quā quantitati pertinet, quoniā adeo parua est, vt ex chylo, qualitate potius affici videatur, quā quantitate qua vel augetur, vel quod perdidit resumat. Vētriculū enim saturari, & plene, ac abunde refici, ex Gal. diximus. Nec etiā placet Zoar, lib. 2. trac. 5. cap. 1. qui addit, quod superior ventriculi pars mēbranosior, pluri chylo nutritur, & pauciori sanguine: imo vero carnosior, pluri sanguine quam chylo: media autē equaliter vtroq;. Nam totus ventriculus, omni sui parte chylicat, & ex chylo quē conficit abunde saturatur. Vētriculum quoq;, non esse in fundo magis carneum, quā in parte superiori (secus ac Galenus scripserit) nostri dissectores testantur. Nec etiā placet Auicenna, qui prima primi, doctrina quinta, summa quinta, capite secundo, externam tunicam ventriculi sanguine, internam vero chylo quem tangit, nutriri scribit: eiusdem enim nature sunt ambæ tunice, & ambæ chylicant in sui gratiam, eadem etiam vasa vtraque recipit, quare de vtriusque nutritione, similiter est pronuntiandum. Nec etiā placet Galenus, qui quarto libro de Vsu partium in fine, tres modos nutritionis ventriculi memorat: vnum ex vasis omenti, quæ à vena caua exorta, omento inferuntur, & ab omento in ventriculum, ad subsidium nutritionis eius deriuantur: alterum ex chylo quem propria actione conficit: & tertium indigentia tempore, ex venis mesentericis à porta ortis, per quæ sanguinem à iecore repetit ventriculus, sicut chylum ante permiserat. A quo etiam transcripsit Auicenna, decimatertia tertij, capite primo, in hæc verba. Et scias quod stomachus nutritur tribus modis, vnus eorum est, eius quo fouetur cibo adhuc in eo existente: & secundus est, eius quod ad ipsum venit, ex nutrimento in venis prædictis in anotomia venarū: & tertius est eius quod ad ipsum effunditur, in tempore famis vehementis, ab hepate ex sanguine rubeo puro, & nutrit ipsum. Locus autē ad quem se refert, scribitur eodē capite, in hæc verba. Et loco stomachi vehementioris gibbositatis, superponitur vena magna, procedens in longitudi-

ne

ne ipsius, & mandat ei ramos plurimos, qui cum eo ligantur, & diuiduntur in ramos subtiles, constituti in ordine vno. Et adhæret ei arteria similiter, & procedit ex arteria sicut illud: & innititur vnaquæque earum, super reflexionem siphac, & cōtextitur ex summa earum zibus. Quibus verbis constat, quod sicut ventriculus, recipit arterias ab aorta, ita recipit venas à caua, interuentu omenti. Ne vero Auicennā id finxisse existimes, locus Galeni, à quo transcripsit Auicenna, ita habet. Præterea summa ratione, ac solertia, modum instituit, quomodo omnia quæ ad vētriculum, atque intestina pertinent, non solum alijs partibus corporis nutriendis subseruiret: sed & ipsa nutrirētur. Primum namq;, toti mesenterio, venas effecit proprias, intestinis nutriendis, ipsi dicatas, haudquaquam ad hepar traicientes. Verum vt & Herophilus dicebat, in glandulosa quedam corpora desunt hæc venæ, dum ceteræ omnes, sursum ad portas referantur. Deinde eiusdem vsus potissimum gratia, in omento quoq; quamplurimum numero vasa construxit, quò omnia propinqua nutrirētur. Porro vtrūque hoc commentum nature ipsi subsidio est, ad perfectam intestinorū & vētriculi nutritionem. Erant sane & alia duo, nutritionis eorū auxilia: vnum quidem in ipsa cibi concoctione, de quo antea sumus loquuti: alterum cum per longiores in medias, infernæ partes, at trahunt quidam, etiam ex ipso hepate, iam distributione ad hepar, & distributorum ipsorū exacta elaboratione, ac separatione absolutis: eo enim casu, instrumenta esurientia, attrahere sanguinē benignum possunt. Quæ Galeni verba, si eis quæ ex Auicenna citauimus conferantur, eandem plane sententiā personant. In vtroq; autem, is modus nutritionis, qui ex venis proprijs, à caua ductis additur, ficticius est, siquidem nulla vena ad vētriculum, intestina, mesenterium, & omentū ducitur à caua: sed omnes ex porta trahunt originem, vt omnes docent Anatomici. Nec etiā placet Dinus, qui in questionibus quibusdam à se conscriptis, chylum in vētriculo confectum, prius quam ventriculum nutriat, virtute venarū ventriculi, in sanguinem cōmutari tradit. Contra vero est, quod chylum quem pro nutritione assumit ventriculus, tunicis suis reponit (vt dixit Galenus) reliquum permitens venis, vt deducant ad iecur. Venæ etiam illæ, chylum continent, nō nihil in rubeum mutatū, sanguinis enim forma, & substantia, non datur ante iecur.

Nec obstant, quæ in oppositū adduximus, ratio enim Galeni firma est, si intelligatur de trabente simul & cōmutante, & non de solo trabente, vt diximus. Vētriculus vero, venas habet à porta ortas, quæ non tribuuntur ipsi frustra: sed vt à ventriculo sugant, & ad iecur deferant, vtq; per magnas in medias, atq; indigentia, sanguinē à iecore repetere possint, pro alitione ventriculi. Sanguine enim vētriculum nutriri posse, non negamus: nam eo nutriebatur in vtero, sed familiarior eius nutritio, ex chylo est: quo deficiente, sanguinem repetit ex iecore benignum, vt libro quarto de Vsu partium in fine, scribit Galenus: aut rubeum purum, ex Auicenna decima tertia tertij, cap. 1. Quod tunc solum contingit, quando iecur, plurimo benignoque sanguine abundat: qui status raro iungitur, cum ventriculo famefcente, quoniam iecur prius

e 2 quam



quam ventriculus solet inaniri, inanimatum autem, non permittit ventriculo benignum sanguinem rapere, sed virulentum & excrementitium, ut autor est Galenus, lib. 3. de Natural. facult. cap. 13. in hæc verba. Estque nonnunquam, quominus animal esuriat causa, nutrimenti in iocinore abundantia, quippe si venter melius, paratiusque nutrimentum habet, externum non postulat, sin aliquando postulat, nec eius copia est, excrementis impletur. Ea sunt sanies quedam biliosæ, pituitosæ, atque serosæ, quas solas trabenti illi, tum scilicet, cum nutrimento indiget, iecur remittit. Vnde Auicenna 3. prim. doctri. 2. cap. 7. dixit, quod famem tollere, ventriculum replet humoribus putridis, aut virulentis, ex emendatione belunensis. Tripliciter igitur sanguis, fertur à iecore in ventriculum: aut cum iecur plurimo sanguine benigno abundat, à quo redundat in ventriculum, pariter & in omnes corporis venas: aut cum per longiores medias, ventriculus trahit ex iecore benignum sanguinem, quoniam caret prauo: aut cum trahit prauum, iecore retinente benignum. In utroque horum modorum sedatur fames: in primo, quoniam venter ut dixit Galenus, melius paratiusque alimentum habens (puta benignum sanguinem abundantem) externum cibum non procurat. Non quoniam is sanguis sit ventriculo melius alimentum, quam chylus: sed quoniam absolute is sanguis, melius alimentum est, in cuius abundantia, ventriculus non querit externum cibum, etiam si ipsi futurus sit familiarior. In secundo quoque fames sedatur, breuiori tamen tempore, nam iecur inanimatum, rursus à ventriculo repetit, ingensque inter hæc duo membra belulum committitur. In tertio fames sedatur, magis aut minus, pro ratione sanguinis, aut cacochimie confluentis. Si enim crudior sanguis, aut pituita confluat, fames maxime sedatur, ob familiaritatem quam hic succus habet cum chylo: minime vero si sanguis confluat biliosus, aut biliosi aliqui ichores, nam quauis huiusmodi succi, appetentiam dissoluant, indigentiam non reparant: quin potius ventriculum mordent, & cardiacam inferunt, ut is contigit, qui consuetam cibationis horam præterierunt. E quibus quidam (quibus scilicet crudior sanguis, aut pituita confluit) fame sedata bene habent: alij vero syncopezant: quoniam exiguum, aut nihil, eo succo nutriuntur, mordentur autem multum. Quauis autem sanguine benigno aut vituato nutriatur ventriculus, id non facit nisi dealbando, & in substantiam chylo similem conuertendo: Sicque vnius ventriculi, licet plures materie remotiores statuatur, vna tantum propinquior est, chylus nempe, qui vltiori alteratione, in alteram magis immediatam commigrat, nimirum in semen, quo nutriuntur omnia membra radicalia, nam eo vna quæuis pars nutritur, quo genita est succo, seminalia ex semine, & carnosæ ex sanguine, ut è libro primo de Semine, obijciebatur. Ventriculus autem ex semine, ad initium fuit formatus, ergo ex semine debet nutriri, & substantiam suam redintegrare: nam cum seminale membrum sit, & vim habeat assimilandi sibi alimentum, in substantiam seminale commutet necessarium est. Galenus vero, libro tertio de Temperamentis scribens, quod nihil nutrit, antequam in ventriculo, iocinore, & venis, sit demutatam, de nutritione molis corporis, est interpretandus, non autem de organis nutritionis. Idque ipsa

ipsa indicant Galeni verba, quæ ita habent. Porro id quoque in concoquendi instrumentis, ventriculo, iocinore, & venis, prorsus aliquandiu traxerit oportet, in quibus scilicet preparatum, nutrire corpus iam queat. Ante vero, quam in his sit demutatam, fieri non potest, ut animalis corpori sit nutrimentum, ne si per totum diem, ac noctem, extrinsecus super corpus, sit impositum. Multoque minus panis, vel beta, vel maza, foris imposita nutriat. Vbi si quis verba illa, Nutrire corpus: & illa rursus, Animalis corpori sit nutrimentum: & exemplum etiam eorum, quæ forinsecus imponuntur aduertat, manifeste intelliget, de nutritione carnis, & molis corporis eum loqui: non autem de nutritione organorum coctionis. Ea enim cum imperfectiora sint, & rudem materiam tractare, & conficere deberent, ex ipsa ante omnium excrementorum secretionem, nutrirî nihil vetuit. Cum vero Galenus 6. de Placitis dixit, quod membra preparata alijs, totas materias & integras illis tradunt, noluit nutritionem membrorum, ex materijs quas preparat, totiens ab ipso, tum alibi, tum eo etiam libro concessam adimere: sed id tantum voluit, quod quæ alijs preparat, non sunt instrumenta distributionis, illius materie in corpus, sed eam sic preparatam, tribuunt parti in quam prepararunt, à qua fit distributio in omnes. Sic ventriculus preparans iecori, non distribuit chylum, sed iecori transmittit: Iecur vero sanguificat ipsum, & vniuerso corpori distribuit. Quare non preparat cordi, nam si ei prepararet sanguinem, non fieret distributio ipsius è iecore, sed prius traderetur cordi, & à corde fieret distributio. Cum vero Galenus dixit, ventriculo inesse appetentiam, conuenientis sibi qualitatis, per conuenientem qualitatem, totam substantiam intellexit, ut sæpe alibi. Et cum dixit, in halitus aut vaporis modum, ventriculum nutrirî chylo, noluit significare diuersam nutritionem, à nutritione reliquorum membrorum, sed modum quem natura seruat semper, in appositione nutrimenti, ad partem alendam. Facit enim tantam comminutionem, sparsionem, & attenuationem alimenti attracti, per partem nutriendam, ut merito euaporationis vocabulo, ad id significandum utatur. Libro enim 3. de Symptom. causis, ante finem, ita scribit. Appositio fit, cum id quod nutrit, halitus speciem in se recipit. Et lib. 1. de Semine post medium, hæc habet. Deinde post proprii humoris in singula membra attractionem, id quod est attractum, in multas particulas dissolutum, paulatim quasi exhalationem, attrahentibus membris adiungitur, ac quadam temporis mora immutatur, assimilatur, & incorporatur. Quinto etiam lib. de Usu part. cap. 6. renum nutritionem, sequenti explicat oratione. Renum vero vterque, multum quidem bilis flauæ attrahit, ac propemodum omne id, quod venæ & arteriæ, quæ in ipsis sunt continuerint: multum vero & sanguinis, quod scilicet in eo est tenuius, ac humidius. At biliosi quidem excrementi, quid quid non admodum crassum fuerit, cum vrinis permeat: sanguis vero carni ipsi renum aspergitur, instar fecis cuiusdam: inde iam paulatim, vaporis modo in totam ipsam dispergitur, adhaerescit, vnitur, atque demum alimentum fit renibus. Quod vero sanguis, melius, paratiusque sit alimentum, quam externus cibus, ventriculo nutriendo, dixit Galenus: imparatius tamen est, quam chylus iam confectus, qui paratissimus est, ut in

Ventriculi substantiam cōmutetur. Ad aliud vero dicendum, quod ventriculus, licet prius refici occipiat, posterius famefcit, quoniā plurimū chyli, seruat sibi, in rugis & cavitare sua, quo alatur. Idque significauit Galenus, per verba illa, Saturatus, Abūde saturatus, Et perfecte repletus, quibus vtitur locis citatis. Et etiam quoniā externa, citius inaniuntur, ob externum aërem, in quem euaporatur, vt scribit Galenus lib. 1. de Causis symptomatum, cap. 7. in hæc verba. Nam quoniam cute tenus, vnumquodque animal, in ambientē aërem digeritur, accidit vt membra quæ sub ea sunt, prima vacuētur. Quare quod quidam existimāt, cum mēbra affigunt, iam indigere ventriculo, & magis indigere cum nutriuntur, eamque indigentia refarciri per sanguinem ab hepate ad ventriculum, non minus quam ad alia membra distributū, præter Galeni mentem est. Primo, quoniā vt diximus, externa citius inaniuntur. Secundo, quoniam cum membra affigunt, iecur nutritur, & cum nutriuntur indiget alimento, ergo iam præterijt distributio sanguinis ad membra, quare ad vetriculum tunc non ibit ex iecore, quod iam est alimenti indigum. Tercio, quoniam non quotidie, sed per longas tantum in medias, voluit Galenus, sanguinem à iecore in ventriculum remeare.

Pars vero utilis alimenti, per coctionē separata, in qua elementorū iusta mensura, situs, & ordo, parti nutriendæ similis iam habetur: altrici facultati subiacet, non coëtrici. Non enim confunduntur coquens, & alens facultas, neq̄ sola ope, quatuor facultatū ministratium, cōpletur omnis nutritio, vt magno errore, doctissimus sentit Fernelius, 5. Physiologiae, cap. 4. Primo, quoniā coquēs facultas, est ex ministris, alēs vero ex principibus, nihil vero sibi ipsi ministrat: nec in diuerso ordine facultatū constituitur. Secundo, quoniā coëtio est alteratio, vel mutatio nutrientis, in nutriti qualitate, 2. lib. de naturali. facult. autore Galeno. Vbi in qualitate dixit, non in substantiā: quoniā substantialis transmutatio, nō est coëtio, sed nutritio: Quæ definitur à Galeno. 1. de Naturalib. facultat. ad id quod nutritur, eius quod nutrit assimilatio: vel eius quod euacuatur repletio, vt lib. 1. Aphorismorum, comment. 15. idem testatur. Coëtio ergo qualitatem affert, & elementorū commistionem, ac dispositionē similem ei, quæ in parte nutrienda reperitur: Alitio vero, elaboratū atq̄ confectum à coëtrice alimentum, in vsum & substantiā corporis vertit. Exemplum est, nam chyli confectio, coëtio est ventriculi, per quam cibus qualitatē, & commistionem nutriendo ventriculo opportunā accipit. Ex parte autē chyli confecti, ventriculus nutritur, actione altera, quæ substantiā affert, & partē ventriculi exhaustam reponit: hæc autē alitio est, non coëtio. Sic sanguinis in iocinore confectio, coëtio est, qua sanguis prouenit, ex quo iecur alitur, altera actione & cōmutatione substantiali. Sic etiam existimare oportet, quod in tertia coëctione, quæ in membris agitur, membra cōmutant sanguinē, in alimentū sibi opportunū: & alens facultas vertit ipsum, in substantiā membri, actione quadam, quæ non est coëtio, sed alitio, & substantiæ reparatio nūcupata: Ita vt semper coëtio, dicat viam quandā, & perfectionē in membrū, non tamen ipsam postremā mutationem. Hinc apud Gal. 3. lib. de Natur. facult. & 4. lib. de Sanitate tuenda,

da, capite ultimo. Alimenti coëctiones tres sunt, chyli confectio, in ventriculo: sanguificatio in iecore, & venis: & tertia quæ in vnaquaq̄ agitur particula, ex qua nutrimentum prouenit, simile parti nutriendæ: diuersum pro partium nutriendarū varietate. Ex quo genere est medulla, in ossibus: spumeus humor, in pulmone: in compagibus articularū, humor quidam glutinosus: in testibus & parastatis, semen: in lingua, salua: in mammis, lac. vt lib. 5. Aphorismor. comment. 39. Galenus est autor. Hæc enim in vnoquoq̄ membro, pro suæ substantiæ ratione, proueniunt alimenta per tertiam coëctionē: quæ sequitur postea eiusdem membri nutritio, ex tali alimento genito. Hanc vero nutritionem, Galenus non appellat coëctionē, nam quatuor, non tres, statuisset: cum Auicenna prima primi, doctrina 4. cap. 2. qui non modo venia, sed & laude dignus est, quod solo nomine à Galeno discesserit: rem autē exacte & vt decet enarrauerit. Nam & Galenus, solo nomine coëctionis, in alterationē mutato, lib. 3. de Causis symptomatum, ante medium, quatuor agnoscit alterationes, nomine alterationis, dato etiam nutritioni. Sunt autem hæc Galeni verba. Naturalium actionum prima, ac propemodum omnium maxime necessaria, nutritio est: quæ alteratricis actionis, quædam est species. Est enim & coëtio, quæ in ventre agitur alteratio: non secus autem & quæ in venis: quibus accedit ea, quæ in quaq̄ est particula: post quā quarta est, quam assimilationē vocant: nomine quidem à nutritione dissidens, re autem non dissidens. Ex quibus Galeni verbis, plane constat, quod quauis coëtio, quæ via est in membrum, sit triplex: alteratio tamen est quadruplex, vt nomine alterationis (præter coëctionem triplicem) includatur etiam nutritio, quæ vera est membri repositio: cui tres dictæ coëctiones ministrant.


Nomine autem nutritionis, tres actus intelligit Galenus, appositionem scilicet alimenti utilis, quod in roris formam, è vasis excidere apud Galenum, diximus libro nostro de humoribus, cap. 2. Excidit autem non suo pondere (nam vndiq̄ fertur, vbi nutritione est opus, sursum, deorsum, & in latera) sed à facultate tractrice, partis nutriendæ. Sicut enim tractionē, ab appetitu (ceu à termino à quo) incipere diximus: ita in appositionē (ceu in terminum ad quem) tendere arbitramur. Quod voluit Galenus lib. 3. de Naturalib. facultat. in principio, vbi ita scribit. Indicatū præterea est, & quod ante assimilationē ag glutinatio sit, hanc vero præcedere quæ græcè προσκομιση latine appositio, vel adiunctio dicatur. Hæc (vt sic dixerim) finis est actionis, quæ ab attrahente vi perficitur, siquidem ipsa nutrimenti, ex venis in singulas particulas adductio, agentis adhuc, attrahentisq̄ virtutis, est opus. Adductū vero iam esse, ac particule apponi, ipse est finis, cuius scilicet causa, eiusmodi actio est desiderata. Quippe idcirco est attractio, vt sit appositio. Quibus verbis, luce clarius constat, ab appetitu, aut desiderio alimēti, in alimentū appositū, tractricis operationē perductā fuisse. Vtq̄ tractio terminatur, in appositionē, sic ex appositione incipit nutritio, ita vt inter nutritionis actus, ceu ipsorum primus cōnumeretur. Hūc sequitur ag glutinatio, quæ cōmutatio quædam est, appositi alimenti in nostrā substantiā, loco eius quæ effluerat,

non enim aliter, vni possunt alimenta apposita, nisi forma substantialis, ipsius partis quæ nutritur, informet ipsa. Huiusmodi vero commutatio, facultatis altricis est operatio, cui continens facultas ministrat. Hæc enim alimenta apposita firmiter tenet, donec eam commutationem perpetuantur, vt autor est Galenus, lib. 3. de Naturalibus facultatibus citato. Hinc detegitur error Valesij, lib. 2. Controuersiarum, cap. 17. Vbi ag glutinationem (inquit) non facit facultas aliqua vitæ, sed vt in reliquis etiam inanimatis, quæ suo modo substantiæ, facile affiguntur, cum coniuncta aliquo tēpore morantur, affiguntur sua sponte: vt cera ceræ; pix pici, breui tēpore, si simul sint, & nihil impediatur vniuntur: potissimum in ipsa agente igne, vt in alimenta agit noster calor. Quod vero omnia affigantur in nostro corpore, ex dispositione ipsius materiæ probat, quoniam Galenus scripserit, 6. Methodi, cap. 5. dura ossa non posse coalescere, mollia vero posse. Sed contra est primo, quod alimentum appositum formæ roris, commutatur in nostri corporis substantiam, & formam nostri induit, sic enim adglutinatur & vnum fit nobis, non vt cera, quæ ceræ iuncta, maiorem ceram, coagulatione quadam efficit: sed vt corpus viuens, quod ex non viuente reparatur, & nutritur, ac in sui substantiam, appositum alimentum commutat. Materia autem, quantumuis sit mollis, ac cerea, se ipsam commutare non valebit: quantumuis facilius à facultate commutetur, quam dura: Sic enim mollia ossa coalescunt, quoniam facultati formatrici, minus reluctantur, mollia quam dura. In demortuo autem animante, quantumuis molli, ac recenti, nunquā ex sola materiæ dispositione coalescent, quoniam vitæ facultates defunt. Secundo, quoniam diutius coherere vult, vt adglutinentur, quod sine facultate aliqua vitæ, puta contentrice non fit, autore Galeno, lib. 3. de Naturalibus facultatibus in principio. Contentrix vero, non sibi seruit, sed commutatrici: ergo ad ag glutinationem, nō modo est opus simplici, sed etiam duplici facultate. Tertio nam eum, qui solius materiæ dispositione, ag glutinationem fieri tradit, sine facultate aliqua vitæ, ridiculum appellat Galenus, 2. lib. de Facultatibus naturalibus, non longe ab initio. Qui sane locus, hominem ne à Galeno irrideret, à sua sententia nescio cur non reuocauit: nisi forte ita furtim, & cursim eius vorat libros, in facili quadam scribendi auuiditate, vt fructum ex tanta vbertate, capere nequeat. Sunt autem Galeni verba huiusmodi. Nisi enim à natura, facultas quædam naturalis, vnicuique instrumento, statim ab initio sit tributa, durare animalia non poterunt, non modo tantum annorum, sed nec paucissimorum dierum numerum. Quippe si nullius ea curæ mandemus, arteque & prouidentia destituamus, ac solius materiæ momentis gubernari velimus: nulla vsquam potētia, vel trabente quod sibi est commodum, vel amoliente quod est alienum, vel alterante, ag glutinanteque quod se est nutriturum: nescio quo pacto non ridiculi futuri simus, si de naturalibus actionibus disputemus: multoque magis, si de actionibus animalibus, totaque vita. Quarto, quoniam palinodiam videtur recitare, cum subdit, potissimum in ipsa agente igne, vt in alimentum agit calor noster. His enim verbis ex sola materiæ dispositione, coalitum fieri, veretur sine agente aliquo

aliquo statuere: & in corpore nostro, innatum calidum, agēs id, esse decernit. Quod tamen est omnium facultatum instrumentum, non modo nutritoria, sed omnium etiam quæ in nostro corpore continentur: quare velit, nolit, incidit in id, quod vetare studet. Primus ergo nutritionis actus, appositio est alimenti, qui forma roris apponitur membrum. Secundus adglutinatio, in qua ipsum alimentum, commutatur in nostram substantiam, appellaturque cambium arabibus, exemplo eius in quo vnum pro alio redditur. Quantumuis autem hoc alimentum, recens commutatum, membrum iam sit, & non simpliciter alimentum, sed alimentum vnitum appellari debeat, nondum exactam firmitudinem, soliditatem, & similitudinem cum parte cui adhæsit, adipiscitur: donec vltiori facultatis nutritoriæ actione prouebatur, vt exemplo vitiliginis (hispanis aluaraz appellatæ) monstrat Galenus. Ibi enim adglutinatum alimentum, vltiorem mutationem desiderat, qua simile prorsus reddatur, parti quæ nutritur, non autem albidius aut nigrius. Vnde hunc tertium actum, assimilationem appellat Galenus, quoniam exactam per ipsum, similitudinem cum membro, alimentum fuit adeptum. Dicti autem tres actus nutritionis percensiti: in vna actionem, & operationem vnam, incidunt & conspirant: Vnius enim facultatis vna est operatio, quare facultatis nutriticis actio, vna erit, ab alimenti appositione, in exactam assimilationem, per ipsius alimenti adglutinationem progressa. Hæc appellatur nutritio, aut alitio, à facultate nomine dato functioni: appellatur etiam assimilatio, ab actionis fine, sicut dealbatio, ab albedine, quæ conquiritur. Atque ea significatione summitur, lib. 1. de Naturalibus facultatibus, vbi dixit, quod nutritio est eius quod nutrit, ad id quod nutritur assimilatio. Quibus verbis, nolluit appositioni, nec ag glutinationi, nutritionis nomen adimere: sed actionem quæ tria illa comprehendit, finis nomine insigniuit. Hic etiam monendus lector est, assimilationis vocabulo nonnunquam abusum fuisse Galenum, pro tertia coctione, quæ in membrum agit, & appositionem antecedit: quoniam per eam alimentum redditur simile, & idoneum nutritioni partis. Sic enim 5. libro Aphorismorum, comment. 39. ad hunc modum scribit. Quantum igitur alimenti, ab ipsa alterati, fuerit nutrito corpori exquisite assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. Vbi alimenti assimilationem, antecedere appositionem voluit, nomine assimilationis dato tertiæ coctioni, non actui postremo nutritionis, nec ipsi etiam nutritioni. Quod volui monere, ne vocabuli significatione varia, quispian sibi imponat.

## De instrumentis facultatum.

## CAP. VIII.



OMO ex anima & corpore constans, suarum actionum, est causa princeps, atque prima. Licet enim ab anima, vires habeat, & potestas agendi: Ipsa anima non net, nec flet, nec intelligit, sed homo per animam, vt libro primo tractationis de Anima autor est Aristoteles. Anima vero per facultates, quas diuersas, diuersis actionibus



nibus accomodat, operatur. Facultates vero huiusmodi, diuersis vtütur instrumentis, nervis, arterijs, venis & fibris istorum, complexionem, innato calido, & spiritu. Quæ cum agentia sint immediata, & proxime ad effectum accedant, medicis qui sensum sequuntur, magis sunt causæ, & per se, ac primæ appellantur. Nam licet sint postremæ in causando, sunt primæ quæ effectui iunguntur. Hinc libro de Differentijs symptomaticum, cap. 1. idem est inquit Galenus primo & per se, tametsi aliqui atticizantium seccus loquatur. Vbi Aristotelem insinuat. Sed de nomine hoc videtur dissidium & tatis viris indignum. Quod tamen vulgus medicorum, magis barbare quam inepte componit inquit, quod per se summitur dupliciter, contra mediate & sic summitur à Galeno, & contra per accidens & sic ab Aristotele.

Facultas procreans (quæ in gignentem & conformantem est diuisa) vtitur spiritu gignituo, in quo habitat, & omnium aliarum facultatum & partium instrumentis. Omnium enim usus nonit, & omnia naturalia, in eximia continet doctrina. Si vero aliud præter hæc, peculiare instrumentum habet, in discernendo & separando: abditum id est, & medicis ignotum. Quod tamen inquirendum esse, monet Auerrhous lib. 3. Collectionum, cap. 16. vt capite sexto huius tractationis diximus, vbi hanc facultatem à separatiua non esse diuersam monuimus.

Alens vero facultas, in commutando & assimilando alimentum, vtitur complexionem innata, non influenti. Alioqui enim, pars reposita ab osse, & à cerebro, non esset frigida, si ab influente à corde calore commutaretur. Nam cum innata complexio, quorundam membrorum sit calida, & aliorum frigida: oportet vt in nutritione & reparatione ipsorum, alimentum partium calidarum incalcescat, & frigidarum infrigidetur, à natua frigidityte. Et profecto si pars cerebri reponenda, eadem debet constare temperatura, & essentia, qua reliquum cerebrum: non video cur eius partis ag generatio, à temperatura cerebri, talem alteram, qualis ipsa est producente, non consurgat. A temperatura (inquam) id est calidi ac frigidi, humidi ac sicci complexionem, omnibus his qualitibus, simul ad actionem concurreribus. Primo quonia rationi magis est consonum, simile à simili produci quam à dissimili. Temperies ergo cerebri quæ reponitur, à temperie cerebri producit, & non à solo calore, aut calore simul cum humiditate, partibus temperie constitutiuus. Quomodo enim calor cerebri, nihil agente frigidityte eiusdem, sanguinem ad talem frigiditytem, qualis in cerebro reperitur alterabit? Secundo quoniam etiam si daremus, à solo calore cerebri, vniuersam cerebri temperiem posse induci, quis ibit obuiam eiusdem frigidityti, quominus infrigidet sanguinem appositum? Agens enim passo proximum, necessariam infert passionem. Aut ergo ea infrigidatio, est conformis nutritioni, aut ipsi contraria. Si conformis, cur naturam dicunt, non vti frigidityte? Si contraria, naturæ absurditatem accusent, que cerebrum enutrire volens, actionem alteram ipsi innexuit, nutritionis eiusdem corruptiuam. Tertio nam ex contrarijs in vnum coeuntibus, commissa semper procedit actio, quauis non ex natura conueniant. Sic enim fit suppuratio à calore natuo & extraneo, lib. 1. Prognostici

nosticorum, commentar. vlt. & 2. lib. Aphorismorum. comment. 47. autore Galeno. Multo ergo melius fiet, cum contraria ex naturæ ordine conuenerunt, in vnam temperiem, vt actio vna resultet, quæ ad certum gradum, caloris & frigiditytis terminetur. Quarto quam habet rationem, morbus ad ledendum operationes primo & per se, eandem habet sanitas ad perficiendum easdem: omnium vero quatuor qualitatum mediocritas sanitas est, non modo caloris, sed etiam frigiditytis. Ergo omnium mediocritas actiones perficit, & non vna earum sola. Dum febriens præterea, vacuato humore, ad pristinam reddit temperiem, à quo alio reducitur quam ab innata frigidityte? Dicunt à calore innato hæc omnia fieri. Sed si per calidum innatum, intelligant substantiam æream & aqueam, ex calido & frigido, humido & sicco natam, vt Galenus. 1. lib. Aphorismorum commentario 14. vere id enunciant: Nam calidum innatum hæc facit, ob innatam frigiditytem quam habet vt diximus. Si vero solum calorem intelligant, interpretentur nobis, quomodo huiusmodi calor quātuncumque sit temperatus, infrigidet, nihil agente frigidityte comite, qua temperatur. Libro insuper de Rigore & tremore, ad medium, innatum calidum, duplicem motum, ex natura, suæ conseruationi necessarium, habere dixit: vnum ad extima, ob calorem, & alium intro, ob frigiditytem qua constat: Ea ergo vtitur natura, ad vitam, & innati calidi conseruationem.

“ Sunt autem Galeni verba huiusmodi. Qua enim semper mobilis est innatus calor, non  
 “ intra tantum, extra ve mouetur, sed alius, alium motum semper excipit. Et infra. Quod  
 “ autem extrorsum exeat & efferatur, & (vt sic dicat aliquis) explicetur à principio  
 “ proprio, quia calidum natura est obtinuit: interiore autem, & infernum statum pos  
 “ sidet, quod frigiditytis alicuius sit particeps: quandoquidem, mistum ex calido & frigi  
 “ do existit. Accedit, quod frigiditytas, naturalem appetentiam iuuat. Vnde ventriculus  
 “ frigidus, libro Artis medicinalis, apud Galenum, bonus est ad appetendum, Aqua item  
 “ edax est, ob refrigerationem, 6. lib. Epidemiarum. Nam inepta est Valesij responsio,  
 “ lib. 5. cap. 11. quod frigida causa, non iuuat appetentiam per se, refrigeratione in  
 “ quam sola: nam hac ratione (inquit) cum stupefaciat, & tollat sensum, potius exting  
 “ guet famem: sed corrugatione & adstrictione: qua ratione, sentimus acerba omnia  
 “ famem inferre. Sed multipliciter errat Primo, nam stupefactio non est effectus fri  
 “ goris per se: sed consequitur naturam partis sensiuæ, quæ cum vehementi frigidityte  
 “ nequit operari Secundo, nam pari ratione argumentaberis, nullam actionem calore  
 “ iuuari per se, calfactione (inquam) sola: nam hac ratione cum comburat omni actioni  
 “ erit impedimento. Forte enim non minus calor, sui ratione comburet, quam frigus stu  
 “ pefaciat. Tertio, nam corrugatio, & adstrictio, sunt effectus frigiditytis per se, quatenus  
 “ ei conuenit ex natura, omnia congregare, ergo famem per se sequuta, ad hos effectus  
 “ per se, non erit accidua. Quarto nam diuersa est actio frigiditytis, & acerbatis in  
 “ ventriculo: illa enim est qualitas prima, hæc secunda: illa congregando, quod habet  
 “ ex natura, agit: acerbitas vero rodendo, & per simile quid suctioni venarum ventri  
 “ culo inferendo: nam aliter profecto, aqua est edax ac sorba. Adde quod frigiditytas  
 con

contentrici opitulatur, hunc enim usum, præbet melancholicus succus ventriculo, apud Galenum. Nec valet solutio Auicennæ, prima primi, doctrina. 6. cap. 3. Vbi dixit, quod frigiditas, accidentaliter iuuat, quoniam tenet villos, secundum figuram bonæ comprehensionis. Hoc autem (inquit) est instrumentum præparare: & non est, in ipsa operatione, auxilium ferre. Sed contra est, quod contentio quæ villis fit, nihil aliud esse videtur, quam ea villorum contractio, & instrumenti applicatio, ad rem quæ retinetur: similiter enim continet villi, ac manus, & digiti, contractione quadam. Autor ergo contractionis, erit contentio causa per se. Et ex consequenti, contentio quæ villis fit, iuuatur per se à frigiditate: sicut quæ manu fit, à virtute animali motrice. Sic etiam expultrix, maiori vititur frigiditate, quoniam maiori villorum contractione opus habuit: & per vehementer refrigerantia exercetur, vbi materia violentius irruens, est repellenda. Sicut vbi plus trahere conuenit, calorem augere curat: quantum enim sunt contraria, tractrix & expultrix, tantum contrariis instrumentis, opus habuerunt. Nec tamen mihi plurimum arridet, quod Christophorus à Vega medicus insignis, noster olim præceptor, censuit frigiditatem natiuam, agere quidem, sed naturam non uti ea, ut instrumento facultatum naturalium. Nam si actio eius, est naturæ conformis, cur non utatur ea, non videmus. Altrix præterea facultas, ex sanguine calido, cerebrum facit, atque os frigidum: quod tamen sine frigiditate natiuam, facere nequit: ea ergo vititur, ceu idoneo instrumento, ad id munus obeundum. Quid ergo, sibi voluit Galenus, lib. 3. de Causis symptom. prope finem, qui omnium facultatum naturalium, instrumenta declarans, ita scripsit? Calor adauctus valentius alterat, modo tamen non eo incrementi perueniat, ut iam colliquet. Tum enim primum, omnino inutilis est. Frigus vero, nulli functioni est ex usu. Ego sane dixerim, in impetum orationis hæc esse referenda, quo utimur, dum quidpiam euehere, & contrarium deprimere est animus. Quare tantum significat nobis, huiusmodi Galeni verba: quod multo magis vititur natura calore, ad functiones, quam frigiditate. Quodque ea qualitas, naturæ magis est conformis, & intima, quam frigiditas. Id enim cap. 1. eiusdem libri, mihi dixisse, est visus, dum ita scribit. Quum enim huiusmodi quandam temperiem, quæ ex quatuor constat elementis, & quæ proprietatem corporis ventriculi constituit, causam alterationis ciborum esse sciuerimus: & quod ad hanc rem, plurimum confert calidum elementum, ad inuentionem causarum cruditatis, quasi manu deti sumus. Quibus verbis, nemo non videt Galenum, vniuersæ temperiei, ex calido & frigido, humido & sicco constitutæ, primariam actionem chylificandi tribuere. Et quod calor, est ex omnibus constituentibus, qui plurimum confert, & valet, ad eam actionem obeundam. Ex quo principio, causas cruditatis, inuenire docet. Quæcumque enim, hanc temperiem turbant, cruditatem pariunt: & quod calorem ventriculi adimit, maioris cruditatis est causa: quoniam plus alijs ad coctionem conferebat. Ipsa præterea Galeni verba, impetum ipsum præ se ferant: quoniam nec calor, tum primum est inutilis, cum colliquat: siquidem ante colliquationem, in febrientibus utcumque, lacun-

tur

tur eius actiones: nec cum eo peruenit, ut iam colliquet, prorsus est inutilis: per eum enim tunc fiunt omnes nostri corporis functiones, quamuis læsæ & parum firmes. Sic ergo frigiditatem, nulli functioni fore ex usu, apud Galenum audire oportet: quasi velit, parum utilem esse, comparatione caloris, qui plurimum ad omnes functiones confert: præsertim ad eas, quæ sunt toti corpori communes, de quibus ibi agit Galenus: hæc enim calore magis, quam quæ vnicuique parti sunt propriæ obeuntur. Nam in coctione ventriculi, duplex alteratio est, vna per quam nutritur, & fit à temperatura ipsius ventriculi innata: & altera, per quam toti corpori seruit, nempe conuersio alimenti in chylum, quæ fit, ab innata temperatura dicta, & à cordis calore influente, & à calore membrorum circumiacentium, iecoris, lienis, & omenti. Fuit enim opus, omnium horum membrorum calore, ad comminutionem alimenti, fusionem, efferuescentiam, & ad separationem partis excrementosæ, quæ pluri calore obeuntur. Sic vinum ebibitum, & calida medicamenta, atque indumenta, admota ventriculo: & exiguis recessus per calidum, coctionem hanc iuuant. Sic ventriculus calidus, plus coquit. Sic ex quouis frigore addito, aut vestium detractione, aut pedum refrigeratione offenditur. Sicque Galenum audire oportet, libro cui titulus est, Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, ante medium, vbi frigiditatem dixit, omnibus animæ officijs incommodare. Quæ sententia, de frigiditate excedente, & de animæ officijs communibus, intelligenda est. Hinc lapsus ad frigidum, est deterior, quam lapsus ad calorem: quoniam per eum, calor qui qualitas est, magis familiaris, & amica naturæ, destruitur: præsertim cum lapsus est extremus, & calor ac virtus extinguitur. Ratione cuius, dixit verissime Auicenna, 4. prim. cap. 3. quod extremus lapsus frigoris, difficilius in calorem adducitur, quam extremus lapsus ad calidum, refrigeretur: Quamuis lapsus (ut inquit) exiguus ad frigidum, facilius incalascit, & sanetur: quam per similes alter, ad calidum refrigeretur: ob caloris maiorem efficaciam in agendo. Nec obstat, quod eodem capite dixerat, tempus refrigerandi, & calfaciendi esse vnum. Id enim, comparatione ad qualitates passiuas, in quibus, magna est temporis differentia, intelligendum est. Vnde Galenus, libro septimo Methodi, non vnum esse dixit, nec æquale, sed quodammodo æquale, ac si modica interesset differentia, & qualitatibus passiuis non respondens.

Auētricis facultatis instrumentum, abundans calor est, & impetu quodam actus spiritus. Caloris enim, proprium est, materiam extendere, ac dilatare: Vnde quæ augentur corpora plurimum habent calidi innati: Spiritus vero commotio, & impetus, partes cauat, & extendit vndique. Auētrici autem, nutrix facultas, ministrat alimentum, quo cavitates replentur, & membri substantia, per eius conuersionem reparatur. Id autem alimentum iam commutatū, rursus à facultate auētrice, cum reliqua membri substantia, cum qua coiuuit, extenditur: & à nutrice, tandiu repletur, quandiu mollis materia, patet extensioni. Habet enim ex naturæ ordine augmentum, nutritionem semper comitem, adeo ut dicta extensio, nunquam esset verum augmentum, sine

sine coniuncta sibi nutritione, quamvis sine superiori nutritione, quam pro ratione deperditi, consistere posse dixerimus: exemplo puerorum, qui diutinis morbis emaciati, augentur interim: in quibus, rugosæ, foraminulentiæ, & semiplenæ, defectu alimenti, redduntur partes: & talem statum seruant, qualem vigentia corpora, quæ euidenter augeri deserunt, dum emaciantur consequuntur. Nam cum minora non reddantur, nec ubere nutriantur, graciliora & magis foraminulenta euadant, necessum est. Et sicut hi, in pristinum reddere habitum, nunquam possunt, nisi multo plus sit quod apponitur, quam quod vacuatur, autore Galeno lib. 2. de Naturalib. facultatib. ante medium: ita etiam pueri emaciati, habitum naturalem nunquam consequuntur, nisi dicta foramina, pluri alimēto postea repleuerint. Quo tempore, non dicetur augeri, sed nutriri, & refici, pro ratione auctioris, tum temporis factæ, cum solida membra extendebantur. Ob hanc autem nutritionem comitem, sine qua auctio consistere nequit, dixit Galenus, lib. 1. de Naturalib. facultatib. in principio, quod augmentatio, est motus compositus, ex latione & alteratione. Nam extensio motus localis est, nutritio vero alteratio, apud Galenum, ut diximus.

Tria autem secundum communem conceptum, necessario inesse ei quod augetur, voluit Aristoteles, libro .1. de Ortu & interitu: quamlibet scilicet partem, eius quod augetur, augeri: Et aliquo extra adueniente, intus suscepto, fieri augmentationem: Et manere, ac seruari, quod augetur, secundum priorem formam. Quod enim augetur, vndeque extenditur, & fit maius: hæc autem extensio, augmentatio non esset, nisi comes ipsi inesset nutritio, quæ ab externo cibo intus attracto fit. Nisi enim quæ extenduntur corpora, id à nutritione nanciscantur (vndeque ab alimento probe refecta) non augeri, sed extendi potius iure dicuntur: tum enim, speciē quandam augmenti præbent, verum autem incrementum adopta minime sunt. Quinimmo, distendi in omnem partem, ea tantum possunt, quæ per naturam sunt adaucta: quæ enim à nobis distenduntur, sicut vna dimensione id patiuntur, ita reliquis minuuntur, ut experientia docet, & confirmat Galenus, lib. 1. de Naturalib. facult. cap. 7. Fit autem semper, hæc extensio, & clementum, pro ratione partis, aut corporis quod augetur. Si enim longiora sunt, quàm latiora, & latiora, quam profundiora, magis augetur longitudine, minus latitudine, & minime profunditate: ita ut cuiusque ratione, & proportionem seruata, pristina semper seruetur forma, & figura, in parte aut corpore maiori, quæ erat prius in minori. O quot sophismata, quot deliria, quot dissidia expositorum Aristotelis, hæc nostra expositione redduntur irrita: cum enim eius quod augetur, omnem partem augeri dixit, non aliud voluit, quam secundum omnem dimensionem augeri, id quod augetur. Quare non obstat, quasdam in corpore partes, interdum non augeri, interdum vero plus, quam pro ratione aliarum, ut de utero & mammis voluit Galenus: quædam quoque, non modo non augentur, verum à natura exsiccantur, & tabida redduntur, ut vena umbilicalis, & quædam cordis anastomoses. Ut autem id quod augetur, in omnem dimensionem diffunditur, nulla eius quod augetur parte, dilatationem fugiente:

ita alimentum, in omnem partem transumitur, & nulla nec minima, nec minor ipsa pars reperitur, quæ alimentio humore non alluatur: sicque natura, tam vacuum, quam corporum penetrationem, summa arte vitauit. Si enim natura dilatante partes corporis, neque alimentum, neque quidpiam aliud succederet, vacuum daretur: si vero in omnem partem, traheretur alimentum, nulla dilatatione facta, corpora penetrarentur: quorum vtrumque ceu impossibile, natura vitauit, omnem partem extendens, & in omniem, alimentum ea ratione alliciens, ut omnem augeat dimensionem, priori proportionem seruata. Vnde fit, ut omni parte crescente, consimilis semper seruetur figura, quam speciem, aut formam, appellauit loco citato Aristoteles: cum manere, & seruari, quod augetur, secundum priorem formam adstruxit. Et eam sententiam, ab Aristotele mutuatus est Galenus, primo libro de facultatibus naturalibus, in principio, ubi auctioris definitionem, & diminutionem, dixit: quod illa est, cum ex minore maius fit, hæc cum ex maiore minus, propria scilicet vtrobiusque seruata forma. Nam non aliter quam si omnes partes, iuxta proportionem augeantur, forma eadem potest seruari. Vnde omnium expositorum Aristotelis error detegitur, interpretantur enim, formam substantialem eius quod augetur, seruari eandem, materiam non itidem. Quod tamen falsum esse constat, Primo, quoniam quod attinet, ad actiones naturales, nihil differt homo, aut aliud animal, à planta: dum autem planta augetur, forma planta, quæ antea erat in minori planta, non extenditur ad alimentum quo augetur (ut existimant) sed pars formæ, aggeneratur in materia præparata: ut cum ignis ex ligno producit ignem, non extenditur forma ignis generantis, ad ignem genitum, sed denuo producit in ligno, & fit ignis: quoniam non minus diuisibilis est, forma vegetans, quam forma ignis. Secundo, nam non omnis materia fluit, pars enim terrea, prorsus digeri, & abire non potest (aliter facile esset, vni cuique reuiuere, & perenne fieri) quantum autem manet materiæ, tantum maneat formæ opus est: & quantum carnis & ossis difflatur, tantum de forma carnis & ossis adimatur par est. Tertio, nam vere & ad sensum, compositum est quod augetur, non forma, aut materia seorsum. Quod vero per formam, partes quasdam, quas appellant formales, alijs materialibus contradistinctas intelligant alijs, delirium est: siue enim per partes formales, intelligant minima naturalia, quæ vim formæ habent, & per materiales, horum minimorum partes, quæ præ sui paruitate nequeunt agere: siue ut volunt alijs, formales appellentur organicae, materiales vero ipsæ similes: siue ut alijs placuit, per formales intelligant porositas, & per materiales solidas, quæ inter porum & porum interiacent: nunquam conficiunt, augmentum fieri, penes partes formales, & non penes materiales: nam omne quod augetur, secundum omnem sui partem augetur, naturali partium proportionem seruata, ut diximus. Secundo, nam organicae partes, non aliter nutriuntur, quam similibus ipsis probe nutritis. Tertio, nam quamvis, pars quæ minor minima est, seorsum sumpta, nec haberet formam, nec vim formæ: à corpore tamen indi-



uifa, & cum alijs comparibus sumpta, formam habet, & vim eius, non minus quam alia. Quarto, nam si nutritio, fieret solum in poro, alimento ibi attracto & adglutinato, & pars quæ poros interiaret, non caperet alimentum, vt existimant: non omnis pars, eius quod augetur, augetur, sed per similes esset auctio, cremæto quadrati, ex additione gnomonis: quod summopere cauit Aristoteles. Tantum ergo pars omnis crescit, & in omnem tantum affluit alimenti, quantum ipsa actione caloris, vndiq; valet extendi. Quod tamen ante nos aliquem intellexisse non lego.

Facultates ministrantes, tractrix, continens, coquens, & expellens, quedam sunt priuatæ, in gratiam solius membri, cui insident tributæ: aliæ communes, in gratiam totius corporis, aut pluriam partium eius. Venter, iecur, & venæ, trahunt, continent, & coquunt alimentum, toti corpori: intestina vero, vterus, & vesica, totius corporis recrementa depellant: Os autem, neruus, aut cartilago, sibi tantum trahunt, continent, coquunt alimentum, & nutritionis recrementum deponunt. Istis quoniam sibi tantum seruire erat opus, suffecit comodum temperamentum: illis vero præter temperamentum, accesserunt corporea quedam instrumenta, quas fibras, aut villos appellamus: tractrix longis, expultrix transuersis, continens obliquis vtitur, sibi & coëctrici opportunis, per eos enim continet alimentum, donec coëctrix suam obeat functionem. Vtitur quoque continens facultas, ad contentionem, omnibus simul fibris, vt autor est Galenus, lib. 14. de Vsu partium in fine. Vtraque tamen facultas, tam quæ generales sunt, quæ quæ vni membro destinantur, diuerso vtuntur temperamento. Tractrix pluri vtitur calore, nam calor ipse, etiam sine facultate, habet vim trahendi: eo ergo comode vtetur facultas, ad tractum familiarium. Eius tamen potest certam mensuram, quam vbi excedit, magis obest tractioni, vim tractricem deiciens ob excessum, quam prodest, eo quod calor sit vna ex causis trahentibus. Calor enim, sui ratione non trahit familiare, sed quoduis obuium: à facultate vero gubernatum, tantum quod familiare est allicit. Si ergo calor præ nimietate, facultatem infirmam reddat, ad inutile diuertet, & loco alimenti, bilem & alia recrementa attrahet. Quo sane modo, erysipelata fiunt, in parte plurimum calfacta: & causus generatur, venis tempore æstiuo, attrahentibus biliosam superfluitatem, lib. 4. Acutor. sententia. 1. Hippocrate autore. Siccitate præterea tractio iuuatur, tum quoniam calorem acuit, tum quoniam instrumentum firmat. Continens facultas, vtitur calore, pariter atque siccitate: quæ enim alimentum ad partem alliciunt, ea ipsum ibi continere est credendum. Vt autem tractrix, pluri indiget calore, ad tractum: ita continens, pluri siccitate opus habuit, ad contentionem attracti: semper enim siccitas, confert ad firmitatem, nisi reddat præ nimietate corpora rigida, lib. 3. de Causis Symptomatum, cap. 3. autore Galeno. Expultrix vero, licet maiori contractione obeatur, minus indiget siccitate, quam trahens, & continens: quoniam nec opus habuit, simultanea partium quiete, vt continens: nec magna fixatione alicuius partis, sicut tractrix. Pars enim prior, quæ alimentum quod trahitur apprehendit, fixatione & quiete opus habet, donec pars altera attrahat ab ea: fixio autem & quies siccitate potest.

expultrix vero, solo motu, & compressione instrumenti opus habuit, quare quadantenus molle, & minime rigidum sit oportet. Vnde Auic. 13. 3. tract. 2. cap. 4. expultricem humiditate iuuari dixit: Quæ sententia, noluit aduersari Gal. 2. Aphor. com. 20. vbi expulsiuam, fortiorē fieri propter siccitatem scripsit: nec sibi, cum fen. 1. 1. dixit, expulsiuam iuuari pauca siccitate: vtraque enim qualitas, expulsionem est necessaria, siccitas, vt firmitatem aliquam habeat, in expellendo necessaria, & humiditas, vt facile comprimatur instrumentum, & facile labatur excrementum per lubricum. Accedit, quod per medicamenta humida, continens facultas redditur imbecillior: quare expultrix, opus suum promptius perficiet. Hinc detegitur error cardani, qui libro de malo medendi vsu, cap. 82. Olea, pinguedines, & humectantia, ac emollientia exterius apposita, dānat in colica, quoniam vim (inquit) expultricem, imbecillam reddunt. Fallitur tamen: Primo, quoniam minori siccitate, opus habet expultrix, quam retentrix, quare tardius & minus imbecillabitur, ex aduersu emollientium. Secundo, nam in omnibus ætatibus, facultas expultrix, est validior retentrice, autore Galeno, 3. libro de causis Symptomatum, cap. 10. ergo maius semper impendit periculum, contentrici, quam expultrici. Tertio, nam non solum siccitatem, sed humiditatem etiam potest expultrix, tum in suo instrumento, tum etiam in excremento, vt diximus.

Alteras, aut coquens facultas, in cuius gratiam, tractrix attraxit, & continens retinet, abundantibus vtitur calore, & humore, ad coctionem peragenda. Est enim quæ in nostro corpore agitur coctio, elixationi similis, apud Galenum. Minor tamen tunc calor, tum etiam humor, coëctrici, quam auctrici sufficit: nam quoad viuimus nutrimur, augetur vero solum ad certum tempus, donec scilicet calor, humorem ex quo consistamus, extendere potest. Auctrix præterea calore vtitur, magis qua calor est, eius enim proprium est fundere, & extendere, subiectam materiam: coëctrix vero vtitur calore, magis vt naturalis est, & vt proprietatem quandam substantiæ habet, quæ vt calor. Sic enim vniuscuiusque membri calor, in substantiam ipsius membri, vertit alimentum. Sic strutionis calor, ferrum, & colubæ lapillos exurit: quod tamen calor leonis, qui acrior est, & vehementior non potest. Sic febricitans, deterius, & minus coquit, vt refert Gal. 9. lib. Meth. in historia iuuenis, febre continente præhesi, qui tarde & ægre, ob febrē solitos cibos cocoxit, vnde sanguinis missio, ei fuit procrastinata. Nam quod Gal. scribit. 5. Aphor. com. 70. quod calor febrilis coquit, causam conuulsionis, aliter audire oportet, coctionis scilicet vocabulo sumpto, pro reductione humoris intemperati, ad temperamentum, vt docet Gal. 6. Epid. parte. 5. com. 6. qua etiam significatione, dixit ibi, ætatē senectæ, concoquere morbos calidos. Et Auic. 3. 4. de cura phlegmonis dixit, quod psiliū maturat phlegmonem calidum. Et Tralian. 7. lib. cap. 14. & ætuarus. 5. Meth. cap. 2. potionibus refrigerantibus, calidos succos coquunt, id est, contemperant. Ad eumque vsu, nobis sunt frequentissimi atque vtilissimi refrigerantes syrapi, in febribus ante expurgationem: quantumuis reuelletur Manardus, libro. 13. epistola prima: non quoniam aliud aliquid, ab innato calido, vim habeat coquendi, nomine coctionis

dato alterationi, quæ via est in nutritionem. Sed quoniam calor febrilis, crassos, viscidos, & frigidos humores, calfacit, fundit, extenuat, & dissipat: & frigida potiones, feruentissimos succos refrigerant, ut naturæ coquenti, sua immodica qualitate, minus reluctantur. Crassos præterea humores, salso, & topheos, qui calore concreuerunt, bilem etiam vitelinam, & æruginosam, quæ adustione crassiores sunt redditæ, liquant atque dissoluant: nam quæ calido concreuerunt & sicco, frigido atque humido liquari, autor est Aristoteles, quarto libro Meteororum. Ob idq; refrigerantes atque humectantes syrupos, frequenter præmittimus purgationibus: quoniam huiusmodi humores, nisi dissoluantur, nequeunt expurgari. Vera autem coctione, quæ via est in nutritionem, solus calor innatus, vim habet coquendi. Nam quod scribitur. 5. Aphor. com. 22. calorem externum concoquere, & primo Epidemiarum, parte. 2. com. 44. maturaciones efficere, mediocriter calfacientia, tum cibos, tum fomenta, & cathaplasmata, frictio modica, & balneum: intelligendum est quatenus fouent, augent, & conseruant, quantitatem calidi innati, non qualitatem, ut autor est Galenus. 5. libro simplicium, cap. 5. Et ob id suppurantia, ibi requirit Galenus prorsus similia, in temperato temperata, in calido calida, & in frigido frigida. Vnde nihil est, quod æque ventriculi coctionem promoueat, ac corpus humanum illi impositum, ob familiaritatem & similitudinem caloris: Coctioni enim debili, valde confert puellus accubans, addita Galeni limitatione, è libro. 7. Methodi post medium, ne scilicet puellus humecta sit cute, qui enim noctu sudore perfunditur, refrigerant potius quam calefaciant: Ob eandem causam, prodest plumaceolus, nam in pluma, seruat in innatus calor auium, sicut & in lana pecorum: Tanto autem magis in pluma, quanto aues sunt calidiores pecoribus. Sic pueri, coctione præstant iuuenibus. 2. Prognost. com. 33. autore Gal. ubi aquosam urinam, esse pueris omnium deterrimam, ut nigrâ iuuenibus adstruxit. Et. 1. lib. de Sanit. tuenda, cap. 5. naturales operationes, in pueris robustiores esse ait. Et libro sexto, capite secundo, actiones corporales, pueros præcipuas obtinere scribit. Vbi per σωματικὰ hoc est corporales, non alias, quâ naturales intellexit, quæ quoniâ corpori sunt insitæ, & non aliunde fluentes, merito nomē corporaliū meruerunt. Primo præterea Aph. com. 14. pueri (inquit) qui calorem innatum plurimum habent, promptiores sunt ad cibos assumendos, & ipsos magis possunt coquere, & si non assumpserint plus offenduntur. Nam ut ex eodem Galeno constat, libro aduersus lycum, calidum innatum puerorum, vincit calidum innatum iuuenum, quantitate, & efficacia ad operationes. Quantitate quidem, quoniâ in mistis, plus vel minus de vno simplicium, semper intelligitur, in comparatione ad alia simplicia, quæ mistum componunt. Pueri autem, plus habent calidi innati, quam iuuenes in comparatione ad ea, quæ non sunt calida innata, sed post genita. Nam caro puerorū, recēs cōcretus sanguis videtur, & ossa ipsorū, colore & mollicie sanguinis visuntur: ipsorū quoq; mēbra solida, tenera, & seminali materia, vix dū cōcreta apparēt. Plus ergo est in pueris de calido innato, sanguine scilicet & semine, in comparatione ad

ad post genita quam in iuuenibus. Efficacia vero, ad eas operationes naturales, quæ motu corporeo, & instrumenti fixatione, non indigent, vincit calidum innatum puerorum, qualia sunt coctio, appositio, agglutinatio & nutritio: de quibus loca Galeni nuper recensita, intelligere oportet: non autem de Practicis actionibus: quæ motu corporeo, & firmitate instrumenti obeuntur, Ad quas durum, & calidum instrumentū, magis idoneum est, ut 3. lib. de causis sympt. cap. 10. autor est Galenus. Sic tractio, retentio, & expulsio, melius fiunt iuuenibus, ut nutritio & coctio pueris. Sed cōtra est, quod in vetriculi concoctione, quæcumq; humida & mollia sunt, perinde ac ætate florētes, concoquunt pueri: quæ autē dura, deterius conficiunt, ut autor est Gal. 3. de causis sympt. cap. 10. absolute ergo melius concoquunt iuuenes. Dicendū, quod coctio iocinoris, & mēbrorū, atq; vniuersa nutritio, melius perficitur in pueris: in vetriculo vero, alimēta dura, ac plurimum solida, deterius iuuenibus conficiunt pueri. Nā siccus calor, ob acutiem, alimēta dura liquare est potis: quod minime potest facere, calor puerorum, humidus ac vaporosus. Siccus præterea, ac solidus, iuuenum venter, ob similitudinē, auuiditate magna apprehendit, & coquit, solida alimēta: quæ puerorū venter, laxus & mollis respuit, & reformidat. Vnde merito Azarabius, tract. 26. suæ practicæ, cap. 2. infantes etiâ ab lactatos, ab omni carne arcet, nō enim eas coquunt, ob duritiem. Humida vero, & mollia alimēta (dixit Galenus) perinde coquunt pueri, ac ætate florētes. Nos vero, nō id modo, sed melius ea cōficere arbitramur: Calidus enim ac siccus venter (qualis inueniuntur) humida, mollia, & quæ facile alterantur, adurit atq; corrūpit, ut libro artis medicinalis, cap. 62. idem Gal. scriptum reliquit: Pueri vero, ea ipsa alimēta, proptē cōficiunt, tum propter similitudinē substantiæ, tum etiam propter temperati caloris abundantia: quo ut opportunissimo instrumento, alteratrix nostri corporis facultas, semper ad suam functionē, proptē obeundam vititur. Nulla enim effectricium qualitātū, ita celeriter, quod a propinquat alterare videtur, atq; calor, ut scribit Gal. 3. de causis sympt. cap. 10. Si calidi ergo innati, substantia abundans, tantum valet coctioni obeundæ: ea quæ innatum calidum fouent, atque augent (cibi inquam fomenta, cathaplasmata, frictiones modicæ, & balneum, externaq; omnia mediocriter calfacientia) merito maturare dicentur, ut è 5. Aphor. & 1. Epidemiarum retulimus.

### 30 An sentiens facultas sit a meningibus, an a cerebro. CAP. IX.



Q UOD animalis facultas, cerebro non autem cordi, sit tribuenda: quodque ab eo orientur nerui: & diffundatur. Vis omnis sentiendi, & secundū arbitriū mouēdi, capite 3. huius tractationis demonstrauimus. An vero ab ipsius cerebri corpore, an à membranis ipsum obtegentibus, dicta viriū distributio fiat, dubiū facit, quod Fernelius, lib 5. Physiologiæ, cap. 10. vim mouendi à cerebro

in neruos, & vim sentiendi à meningibus, oriri tradit. Primo, quoniã cerebri corpus, motu agitur assiduo, nullo tangendi sensu præditum. Nam in sopore, & lethargo, & phrenitide, quæ cerebri inflàmatio est, caput non dolet: meningibus vero, per se immobiles cū sint, exactū sensum habent: quod ostendit, grauis dolor excitatus, vbi aut humor, aut acris vapor, ipsas meningibus ferit: Ergo facultas motiua, in cerebro est, & ab eo deriuatur: sensiuæ vero, in meningibus. Secundo, nã nerui sensus, à meningibus plurimū suæ substantiæ receperūt, à cerebro minimū, adeo vt nonnulli, à solis meningibus prodijisse cõsuerint. Nerui autē motus contra, plurimū cerebri habent: ergo à cerebro motus, in nerui substantiam, & à meningibus sensus, in ipsius nerui tegumenta deriuatur. Addunt quidam, quod ex inflammatione meningum, fit delirium, & sensus aberratio, ergo in meningibus est vis sentiendi.

Contra vero est sentiendū, nam Gal. 7. lib. de Placitis, aperte vtramq̃ virtutem cerebro tribuit, nō meningibus: & ab eo in nerui substantiã, nō in integumenta deriuari tradit. Idq̃ non leui aliqua ratione, sed firma demonstratiõne suadet. Quod enim vtraq̃ vis cerebro, nō autem meningibus insideat, his verbis demonstrat. Si extracto capitis osse, in viuēti adhuc animali, crassum inuolucrum denudaueris, idq̃ hinc inde, à media illa recta cõpage, qua duplicatū in cerebrū penetrat, eiq̃ connectitur, hamato ferramēto sustuleris, & vel solū secueris, vel totū etiam exēptum detraxeris, sensu & motu, orbari animal minime videbis. Idē contingit, si pars ea, qua totū cerebrū posterius integitur, vel præcidatur sola, vel tota excidatur. Quin etiã, si cerebrū ipsū, quomodocunq̃ incidas, nō prius sensum & motū amittet animal, quam ad aliquē ventriculorū, vulnus penetrauerit. Quod vero per nerui substantiã, & non per tegumenta, animalis vis feratur demonstrat huiusmodi verbis. Cū igitur nerui à cerebro, cerebrumq̃ operientibus mēbris oriantur, per interiorē partem quæ à cerebro exit, sensus & motus, omnibus animalis mēbris suppeditatur. Reliquæ duæ exteriores à mēbris progerminãtes, idē officii neruis exhibēt, quod ipse membrana, cerebro præstat. Vnde quãuis vtrasq̃ neruo detraxeris, nullã noxã contrahet membrū, in quod neruus pertingit. Idem etiã fiet cerebro, vtriusq̃ mēbris denudato. Nullū enim inde animal, quod quidē statim accidat, patietur nocuentū. Nam quod per cõtagionem, tēporis processu, postea sequatur periculū, nihil ad rem. Sed iam hic hæsitat Valesius, qui lib. 2. Controuers. cap. 13. ita scribit. Certe hæc Galeni ratio, monstratio erit, si semel quod in propositione accipitur, experimento exploratum sit. Est tamen quantū iudico, exploratu difficillimū, quis enim meningē tenuem, à neruo separet, fibris nihil læsis? Id itaq̃ ego, nondū explorauī, neq̃ an verum sit satis scio. Hæc Valesius, sed certe caligat in luce, Primo, quoniã non minus demonstrat, ratio prima Galeni, vbi meningibus à cerebro eximit intacto cerebro, quam hæc altera, quæ neruū delibrare docet. Secūdo, nã in neruo, dextera dissectoris manus, cur votum, in vno aut altero, nō consequetur? Tertio, nã ex aliquali nerui læsione, nō adimitur sensus, & motus, sed ex præcisione: Neq̃ ex cerebri qualicunq̃ incisione, nisi ad aliquem ventri-

ventriculorum cerebri, vulnus penetrauerit. Ego sane, quãuis neruorum fibre, omni læsione non careant, dum modo à meningibus denudatus neruus, sensum & motū habeat, non video minorem vim demonstratiõnis, in contextu Galeni: nã is sensus & motus, qui seruatur in neruo, quãtunuis læso, nō potest esse, ex meningibus quæ perierunt, sed per ipsius nerui substantiam necessario deriuatur. Præter Galeni vero demonstratiõnes, quæ certissimæ sunt, licet nobis rationes alias addere, quæ vim sentiendi, cerebro insidere, & non membranis suadeant. Id enim vel ex ipso constat Ferneliio, qui sensus internos, fingendi, cogitandi, & memorandi ponit in cerebro: in eo ergo vim sensiuam, vel inuitus agnoscit. Secundo, nam quãuis nerui motiui, plus habeant cerebri, non habent minus de membranis obtegentibus, quam nerui sensus: quare æque sentire deberent ac illi, si sensus pendet, ex maiori aut minori portione, è meningibus deriuata. Tertio, nam quãuis meningibus, sensum tactus efficacem habeant, vincuntur tamen acumine sentiendi, ab innumeris corporis partibus: quare ratio sumpta à sensu meningum, inefficax est, vt credat quispiam, ob id sensum à meningibus deriuari, quod doleant plus cerebro. Quarto, nam cerebrum esse sensus expers, male assumit Fernelius, quãuis hebetem sensum habeat: libro enim de Plenitudine, capite quinto Galenus, cerebrum (inquit) & spinalis medulla, inter ea censentur, quæ sensum obtinent. Et libro de instrumento odoratus, ventres cerebri anteriores, sentiunt odores. Quod autem sensum tactus hebetem, habeat cerebrum, ex pluri ipsius humiditate pendet: ex ea enim supra modum crescente, fieri solet paralysis. Nec tamen oportuit, commune sensorium, actione sensuum particularium pollere: sed vim, organis proprijs, tantū transmittere. Virtutes enim in organis proprijs, non alibi suas edunt functiones. Inepte enim, in cerebro visionem fieri requiras, sed in crystalloide, virtute à cerebro delata. Imaginatio vero, cogitatio, memoria, & intelligentia, in cerebro obeuntur, quod opportunum ad ea obeūda organū sit: & sentiens facultas, atque præter eam intelligens, in ipso habitat. Nec obstat similiter, quod nerui motus, plus cerebri acceperint, quam nerui sensus: id enim eo factum fuisse constat, quod pluri facultate, opus est ad motum, quam ad sensum. Vnde fit, vt nerui qui è secunda coniugatione feruntur ad oculos, quãuis molles admodum sint, ob cerebri abundantiam motum præstent oculis, nam & cerebrum ipsum mollius, motum habet respirationis, quo trahit aërem, & expellit fulligines: & intentiori quandoque motu, sternutamentum. Nerui vero tangentes, qui in crura, in cutem, & in corporis extrema, è sexta coniugatione protenduntur, duriores cum sint, motum præstare nequeunt, ob cerebri inopiam: sensui tamen sufficientiunt, quoniam passione fere sola perficitur. Nec tamen hic decipiatur quispiam, cum Fernelio credens: hos neruos qui è secunda coniugatione ducti, oculorum motui destinantur: molles admodum esse, quoniam à cerebro molli nascantur: duri enim sunt, & ex superficialijs cerebri partibus, quæ profundioribus sunt duriores, oriuntur: vt autor est Galenus, octauo libro de Vsu partium, ante medium.



Tertium vero non obstat, nam ex meningum inflammatione, compatiēte cerebro, delirium fit: nec enim aut fernelius, aut vllus vssiam, internos sensus, à cerebri substantia exemit.

**An virtus sentiens, & mouens, sint vires distinctæ: & quomodo concedatur motus, in membro quiescente: & an possit sensus amitti, motione superstiti. CAP. X.**



Cerebro vim tum sentiendi, tum mouendi, in nervos deriuari, ex dictis apertum euadit. Quod vero diuersæ sint, huiusmodi vires, sicut & earum actiones, & opera edita, secundo capite, huius tractationis, diximus. Neq̄ huic veritati obstat, quod primo de causis sympt. capt. 5. Gal. nonnunquã lædi motũ, illæso sensu, quod minus virtutis influat, quam vt sufficiat admouedũ, tantũ autem vt valeat ad sentiendum affirmauerit: quoniã duarũ virium diuersarum, facta exigua & equali in nervos distributione, lædetur motus, illæso sensu; quoniam plus roboris, requiritur ad motum, quam ad sensum, vt ibi diximus. Nec sequitur, quod si omnis neruus motiuus, sit etiam sensiuus, vis mouendi & sentiendi sit vna. Primo, quoniam nerui motiui, parum sentiunt. Secundo, quoniam sufficit ad harum virium diuersitatem, quod nerui sensus non mouent. Nam id non pendere, ex sola mollitie instrumenti, est manifestum: quoniam cerebrum mollius, mouetur atque respirat, auctore Galeno, libro de instrumento odoratus. Epiphysis præterea vermiformis, cerebri mollitie constans, motum habet, quo extenditur, vt totum meatum glutiorum obstruat: motum etiam habet, quo retro in orbes reflexa, eundem meatum aperiat, per quem transeant animales spiritus, ad cerebri ventriculum posteriorem, vt autor est Galenus, octauo libro de Vsu partium in fine. Molles ergo nerui, cerebro ipso, & epiphysi vermiformi duriores, si vim haberent motiuam, motum melius ipsis præstarent. Accedit quod in somno (vbi sentiens facultas, aut otiosa est, aut non nisi à magnis obiectis excitatur) facultas motoria, sua munera exerceat, facit enim naturalem respirationem, sine vitio, aut intermissione vlla. Transferunt præterea dormientes membra, & varie se conuoluunt, loquuntur etiam, clamant, surgunt, & alios vigilantium motus excercunt alij: qui omnes tonicam quandam actionem custodiunt: quam maxime ostendunt, qui manibus aliquid seruant, manent enim eorum digiti, exacte flexi, circa aurum, aut lapidem, aut numum. Non obscurum præterea tonum seruant, qui dormiunt sedentes, aut iter agentes, vt & Galenus de se retulit, secundo libro de motu musculorum, dum stadium fere integrum, dormiendo peregrisse memorat: nec enim prius fuit excitatus, quam in lapidem impegit. Ipsorum quoque discumbentium, pauci omnino, mediam figuram, quæ paucissimo labore

bore obitur, in vnaquaque particula habent. Quod præterea inferiori maxilla accidit, nonne & id manifestum est? Non enim discedit à superiore, nisi si ebrius aliquis, aut valde ignauus, aut summe defessus dormiat. Ob idq̄ Hippocrates. i. lib. Prognosticorum, damnat supinum iacere, & hiare dormientem, tanquam signũ resolutionis facultatis animalis, quæ impotens est, tonum aliquem seruare. Musculi præterea, qui ne effluant recremẽta, præsumt podici atq̄ vesicæ, nonne in somno, orificia illa claudunt, donec ratio aperiri iubeat per vigiliã? Quomodo autẽ, motus sit, concedendus, in corpore discubente, & mēbro quiescẽte, quod tonũ aliquẽ seruat, respondet Vgo. i. i. de mēbris & alij, quod æquiuocatio est in nomine motus, qui frequentissime & apud Aristotelem, significat acquisitionẽ successiuã termini motus: sed alio modo, dicitur etiã moueri, quod limitatur passiuẽ, ab aliquo mouẽte, ita quod secluso impedimẽto, ab illo moueretur. Quomodo dicitur moueri, qui pari impetu, cõtra graditur nauim, & qui cõtra natat vnda, & formica, æqualiter descẽdēs, per baculũ ascẽdentẽ. Auis etiã & manus in aere quiescēs, dicitur moueri à musculis, quoniã ab ipsis limitatur passiuẽ, ita vt, nisi mutuo se impedirent, à quolibet ipsorũ moueretur. Sed inepta est interpretatio, Primo, quoniã Galenus, tractaret quæstionẽ de nomine, lib. de rigore & tremore, & i. lib. de motu musculorũ. Secũdo, nã male interpretatur, fixationẽ mēbri (apud Galenũ) esse motũ, id est passiuam quandã limitationẽ in mēbro: quia aperte lib. de tremore & rigore, iacere actio est, in pedes vero decidere passio. Vnde Hippocrates, iacentẽ in pedes ruere, deterrimũ inditiũ esse censuit. Tertio, nam corpus discubens, & manus verbi gratia extẽta, nõ mouentur vt putant: nã 2. lib. de causis sympt. cap. 2. inter differẽtias mēbri quiescẽtis, memorat tẽsionẽ Gal. & i. lib. de motu musculorũ, aperte manũ extẽtã, dixit quiescere, musculũ vero moueri. Corpus ergo discubens, cum tonũ aliquẽ seruat quiescit, musculi vero operantur, atq̄ mouentur, tonica quadã tũ actione, tũ motionẽ, quã cognoscere oportet, ne otiosos esse musculos existimemus. Nã vt autor est Gal. 2. de causis sympt. cap. 2. re vera, ex genere tũ actionũ, tũ motionũ huiusmodi est vna. Quod si motũ cõcedere his nolis (inquit Gal. lib. de rigore & tremore, non lōge ab initio) actionẽ saltem vtiq̄, cõcedas, & simplicis actionis, duplicatũ esse robur. In simplici enim actione, vnum lacertorũ genus agit, flectentiũ scilicet mēbrum, aut extendentiũ: cũ vero corpus cõtinetur tentũ, lacertorũ genera ambo pariter laborãt. Quare hic status, apud Gal. 2. de causis sympt. citato, alio modo motus (quoniã scilicet musculi mouentur & laborãt,) alio vero immobilitas (quoniã membrũ scilicet quiescit) dici pōtest. Si ergo facultas mouēs, tot ac talia operatur per somnum, sensitiua virtute ligata, quis iam dixerit vires non esse diuersas? præsertim quod cũ minor virtus, requiratur ad sensum, quã ad motum: & dormientes, tot motibus mouentur, sentirent vtiq̄, multo melius, si vires non essent diuersæ. Sed dubiũ est, si dormiẽtibz saluatur motus, ligato sensu, cur nõ continget per morbos quosdã, sensum perdi motu manẽte? Dicendũ, quod cũ sensus sit de ratione animalis, natura de sēsũ, magis quã de motu sollicita, dispositionẽ nerui necessariã

ad sensum, fecit amplam, ita ut omnis dispositio, quæ sufficit ad motum, sit in latitudine dispositionis, quam poscit sensus. Motus vero, angustiore[m] poposcit apparatus. Si namq[ue] siccitate, & firmitate non exigua, neruum priuaberis, motu quoque eum destitues, non sensu. Certa quoque laxitate, in neruo opus est, ad motum voluntarium, quam si neruum tendens ademeris, motum & non sensum sustuleris. Nerus enim conuulsus, motu voluntario moueri nequit, huius laxitatis defectu, dolet tamē atrocissime. Pluri præterea facultate motiua, opus est ad motum, quā sensiuā ad sensum: quoniam sensus passione, & motus actione magis obitur. Vnde siue facultatem, siue nerui dispositionem spectes, nunquam per morbum potest amitti sensus, seruato motu in eodem neruo. Nam si dispositio qua sensus obitur, est amplior: & minori facultatis influxu sentimus, quam moueamur: impossibile est manente motu, sensum eiusdem nerui adimi. Eiusdem (inquam) nerui, nam quod de pansania, syro sophista, refert Galenus, primo libro de locis patientibus ante finem, & tertio eiusdem operis in fine, & 3. lib. de Anatomicis administrationibus in principio, triginta diebus, sensificam facultatem, trium digitorum manus amisisse, illa seruata motione: de diuersorum neruorum lesione, & integritate, audire oportet: nerui enim qui ab initio spinæ, in catem veniunt pro sensu, ipsi fuerunt affecti: qui vero in musculos, mouentes digitos deriuantur, perstiterunt incolumes: qui si vulnerarentur, proculdubio dolerent. Cur ergo per somnum ligatur sensus, seruato motu? Dic primo, quod in somno, magis ligatur cerebrū, à quo nerui sensus oriuntur, quā spina a qua nerui motus deriuantur. Habet enim spina medulla, vim motricē, aut sibi insitā, aut quæ exiguo influxu cerebri suscitatur, & praualeat in ipsa. Quare ex neruorum sensus, & motus, differentia, huiusmodi effectum pendere, non est absolum. Dicendum secundo, quod ut fuit opus, maiori vi ad motum, quam ad sensum: ita natura machinata est, maiore vim & conatum, ad influxum virtutis motiue, quam ad influxum sensitiue. Vnde vis motiua, ex vehemētiore influxu permeat ad neruos, per somnū, nō penetrāte sensitiua, ob remissionē conatus. Nec necessarium esse puto, idē per morbos neruorū cōtingere posse, ob nerui indispositionem, quæ deest in somno. Adde, quod in somno ligatur facultas, tām motiua, quam sensiuā, ad exigua obiecta, quæ imbecilliter mouent, non ad fortia, & vehementia, quæ valide irritant. Vtque auditus dormientis, excitatur ex sonitu bombardæ, & tactus ex punitione, ita vis motrix ex phantasia, quæ licet torpida, validius mouetur per somnum, quam per vigiliam: tum quia somnus, caret alijs obiectis, diuertentibus phantasia: tum etiam quia phantasia, per somnum, non habet rationem repugnantem sibi, quare potenter homines, agere potest, brutorum more. Hinc qui lumbricis infestatur, dentibus frendet per somnum, non per vigiliam. Hinc etiam fiunt terrores, & tremores infantium, in somno, ex lacte corrupto, aut stomachi repletione, aut vermibus: quoniam virtus sensiuā, ventriculi & intestinorum, mouet phantasia sensu tristi: ex quo somnia terrore infrentia contingunt, & ex terrore tremor, ut autor est Auicenna, prima tertij, docti


prima

prima, capite tertio. Hinc venerea pollutiones, per somnum frequentes, per vigiliam vero, etiam si intente venerea quis cogitet, non contingunt: quoniam validius, & nullo cohibita freno rationis, imaginatio nos turbat in somno. Sic plurimi dormientes opera edunt vigilantium, si somnio, & intenta imaginatione ducantur. Et per somnū omnes respiramus, & artus quoquo modo mouemus, vsu respirationis vrgēte, mouēte phantasia, quæ iubet respirare, & artus quomodolibet mouere. Hæc si cuiquam nō placeant, meliora inueniat & tradat ipse, nobis enim etiā diligentissime querētib[us], non succurrunt probabiliora. Id vero vnum (ut cumque res habeat) nos probasse credimus, vim motiuā, atque sensitiuā, vires esse diuersas: Quod ex abundantia monstrat etiam altera ratio. Nā virtus sensiuā, necessario operatur, & ut in omnium dialecticorum ore est, ex obiecto & potentia, necessaria paritur notitia: virtus vero motiua, subiacet arbitrio, ita ut nunquam operetur, nisi voluntas iubeat, & ea solū parte operetur, qua volūtas præcipit, etiā in remotissimo pede, & nobis ignoratibus quibus musculis ad singulas motiones sit opus. Sed si nos præterit, quomodo nostra volūtas id præcipit? Et si præcipit, eiusque præceptū audimus, & seruamus, quomodo nos præterit præcepisse, ita ut neq[ue] iussisse sciamus? nec cui imperauerimus recordemur? Dicēdū quod celeritas interdū, motionū alias vero inaduertētia causa est, ut nec imperare nos dū fiūt sentiamus, nec imperasse recordemur. Oculorū enim subitus nictus, & non præmeditata respiratio, facillime ex ipsarum motionū natura obeuntur, ob idq[ue] ne te imperasse dices. Citharædus etiā, non aduertens, digitorū internodia cōposite mouet, ob consuetudinē, quæ ne tūc mouere voluisse dicit. Homo præterea, qui locum quo tendebat prætergreditur, voluntarie mouetur, etiam si alijs rebus detentus, non percipiat se prætergredi. Ex quibus manifesto patet, quanto in errore versetur Auerrhois, secundo colliget, capite decimo octauo, & decimo nono, respirationem, & superciliorum subitam nictationem, & quosdam alios motus, qui per musculum obeuntur, non esse voluntarios contendens. Non minus quoque errat (ut id obiter admoneamus) cum motus quosdam voluntarios, sine musculo fieri tradit, qualis motus linguæ est, cū extra dētes & labia exeritur. Cum enim musculus, vni tantum habeat motum, contractionis ad suam originem: lingua contrahi, non autem extendi posse videtur, musculi ope. Penis quoque extenditur, & sine musculis voluntarie mouetur. Sic præterea multa animalia, quæ nec sanguinea, nec musculoſa sunt, voluntarie mouentur, citra musculorum opem, lumbrici nempe, atque vermes, quibus musculi non adsunt. Errat vero, nam in animantibus perfectis (quod & ipse attigisse est visus) non fit motus voluntarius sine musculo, ob maiorem arbitrarj motus perfectionem, & quoniam ita natura sanxit. Non sunt autem omnes motus manifesti & euidenter à musculis facti, sed quidam sunt obscuri, adeo ut libro de motibus obscuris, capite quinto, miratus fuerit Galenus, quomodo lingua, extra dētes & labia exeratur, cum nullum ad id musculum repererit. Duos tamē postea musculos, diligēs dissectionum obseruatio reperit, à medio mento ortos, qui recta ad linguæ ra-

f 5 dicem

dicē proficiscuntur, ipsique implantantur, & linguæ radicem ad mentum adducunt, cum linguâ ipsam exerere est animus. Penis vero motus, non est prorsus voluntarius, citra voluntatem enim inflatur, & tenditur, ob multas arterias quas habet, libidini seruietes: Iuuatur tamen in suis motibus à musculis quos habet. Duo enim musculi a sphinctere ortum ducunt, qui longiusculi sunt, & subtus incedunt, ac media ipsius parte, plus minus, in meatum urinarium implantantur, ut meatum illum dilatent, cum lotium aut semen emittendum est. Duo alij musculi à coxendicis oriuntur appendice, sub ipsius penis exortu, qui ab inferiori parte ossis pubis, initium sumunt. Sunt hi quidem breues, at prædictis crassiores, in ipsumque penis corpus desinunt, qui præterquam, quod mictum iuuant, maiorem in coeundo opem afferunt, nã penem eleuant cum volumus, sustinēt, erectum que detinent, donec opus absoluat. Sicque inuolatum manet Galeni axioma, quod omnis motus, qui per musculum obitur, est voluntarius. Et quod nunquam motus aliquis voluntarius, fit nisi per musculum. Semperq; seruat, ordo positus à Galeno, primo libro de Vsupartium, capite tertio, quod scilicet, inter motu arbitrario mouentia, primum est cerebrum, inde neruus, quem musculus sequitur, & musculum tendo. In quo ordine, nomine mouentium, comprehendit Galenus, omnes partes que arbitrium motum conficiunt, siue sint corpora mouentia, ut musculus & tendo, siue facultatis origo ut cerebrum, siue delator ut neruus. Quare locum hic non habet, altera obiectio Auerrhoi, qua Galenium reprehendit, eo quod cerebrum & neruos corpus mouere statuerit. Instat autem sic. Omne quod mouet, necesse est ut moueatur: Cerebrum vero & nerui, non mouentur, non ergo mouebunt. Quæ quanuis ipsi concedantur, nunquam colliget, facultatis motorie originem, non esse cerebrum, neque ipsius delatorem neruum, quod contendit. Hinc error Vesalij explodendus est, qui quosdam musculos carere neruo adstruxit, quod ipse non repererit. Facile tamen reperit Realdus Columbus, libro quinto de re Anatomica, cap. primo. Si namque sine neruo daretur musculus, quis ei perferret, vim animalem motiuam à cerebro, ut motu arbitrario moueret. Omnis enim musculus, vim habet à cerebro voluntarie mouēdi, & est primū, & immediatum mouendi organum, ut libro primo de Vsupartium, capite decimo, autor est Galenus: Quando nimirum musculus, in tendinem non desinit, multi namque musculi, tendine carent: in quibus primum & immediatum motus instrumentum, musculus est nõ tendo. Quando vero tendinem habet musculus, primum & immediatum motus organum, tendo est: musculus vero tunc antecedit, & mouendi instrumentum est mediatum, ut autor est Galenus, libro duodecimo de partium Vsu, capite tertio. Nec pluri ambage opus est, ad locos hos, de primo mouendi organo conciliandos, quanuis difficulter, inter se coherere posse, videatur quibusdam.

**¶** Quod nerui omnes sint caui, & quod per eorundem cavitates, spiritus animales ferantur: Et quod vis animalis per spiritus, & non solum per nerui substantiam transmittatur. CAP. XI.



**A** T V R A quæ nostra corpora fabrefecit, in omnibus admiranda, mirabilior in spinalis medullæ, & neruorum omnium fabrica euasit. Habet enim dorsalis medulla, foramina duo, septo in termedio distincta, tam exigua, ut nullus dissectorum ea perceperit, nec de ipsis quidpiam scriptis mandauerit. Ratio tamen ita habere suadet. Primo, quoniam cerebrum, in dextrum & sinistrum est diuisum: quare medulla, quæ ab ipso mutuauit, cerebri substantiam, & meninges, in dextrum & sinistrum propagandas, huiusmodi diuisione non carebit. Id quoque docet euentus morborum, multis enim resoluitur integrum latus, altero nihil perpesso. Contingit quoque, in vno latere amitti motum, in alio sensum, quod se vidisse testatur zerbis: ergo in vnoquoque spinæ latere suus est meatus, & propria dispensatio. Vnde fluxiones, quæ à capite, per spinam procedunt, & neruos: secundum reſtitutionem, magna ex parte fiunt. Nerui quoque caui sunt omnes, indigni enim natura, ad longinquam spiritus animalis delationem, huiusmodi cavitatem, ceu vase, non secus quam vena, aut arteria, qua transmitteretur. Sunt tamen huiusmodi cavitates, tam exiguæ, ut sensu fere non iudicentur. Opticorum enim foramina, vidit Galenus, non vident vero nostri dissectores: quorum tamen integrum argumentum, dilatatio est vnius pupillæ, dum alter oculus clauditur. Falsum namq; est, quod argenterius, capite nono artis medicinalis, docet ad oculi pupillam, ferri spiritum, ex oculo clauso, per arterias, & non per neruos. Exigua enim spiritus quantitas, quæ ab vno oculo in alterum transilit, in arteriarum magnis imitatibus, insensiliter recipere tur. Angustior præterea, atque latior, semper redderetur vtraque pupilla, per singulas arteriarum distentiones, & contractiones: in quibus non seruat, par spirituum quantitas: hoc vero non fit: ergo pupilla non redditur latior, aut angustior, ob spiritus per arterias accedentes, aut recedentes: sed ob eos, qui per neruos illabuntur. Duae insuper arterie, quæ ad oculos veniunt, non coeunt, nec meatum aliquem habent communem (ut optici) per quem spiritus, ab vno oculo retrocedens, in alterum possit migrare. Arterie præterea quæ ad oculos veniunt, non ad eos solum, sed ad musculos etiam oculorum, & superioris maxillæ deferuntur: in quæ loca, facile ibit spiritus, dñ ab arteria quæ in oculum recipitur retrocedit: Opticorū ergo cavitates, negari non possunt. In neruis etiam qui ad exortum spinalis medullæ sunt, patentes meatus aduertit Galenus, septimo libro de Placitis: Quod vero ad certam distantiam, is meatus finiatur: & quod nerui qui deinceps sunt, meatibus careant, tum ne facile dissepantur, tum etiam ne singulis momentis obstruantur, displicet apud Galenum ibidem legisse: natura enim quæ mollissimi cerebri ventriculos custodit (etiam in casu, & lucta) ne dissepantur: & minutissimas venas iocinoris, arteriasque, atq; meatus exiguos, ne obstruantur: cur nõ, neruorum etiã minutissimas fibras, eorundemque cavitatem, seruabit? Ex hoc errore, in alterum incidit, existimans facultates animales, neruis impertiri, per solam illustrationis, aut alterationis traductionem, quæ per



neruorum substantiam fit. Si enim cavitatem carent, qua ferantur spiritus, restat sola substantiæ neruorum, à prima origine alteratio, quæ vim sentiendi, atque mouendi, ad corporis membra possit traducere. Cui obstat, quod si datur, ut vnus omnino neruus, sine vlllo foramine, facultates inferioribus membris ab origine traducat, dabitur etiam ut omnes: siquidem eiusdem rationis, & speciei, & ad eosdẽ vsus sunt omnes: Aut quid quæso magis facit, quo minus visua facultas, feratur per optico- rum substantiam, quam tactilis per substantiam tactilium? optici nanq; nerui, aptis- simi sunt ob mollitiem, alterationi suscipiendæ: quam si non suscipiant, nec reliqui nerui corporis receperint. Quod vero visua facultas, non feratur, nec recipiatur in optici nerui substantia, sed in spiritu per nerui cavitatem lato, monstrat cæcitas, ex sola optici nerui obstructione nata, nerui substantia illesâ manente. Sic obstructo dorsalis medullæ meatu, resoluuntur partes infra sitæ: Non fertur ergo, vis anima- lis, per substantiam medullæ, aut nerui, sed per cavitatem, in spiritu animali, qui est animæ primum instrumentum, ut eodem septimo libro de placitis, idem dixerat Ga- lenus. Huic etiam attestatur, quod vbi cerebri ventriculi comprimuntur, aut vul- nerantur, sensus adimitur, & motus voluntarius, quoniam spiritus transitus inter- cipitur. Ex ea enim compressione, alteratio intercipi non debuit, per neruorum sub- stantiam suscipiendâ. Refrigeratio insuper nerui, aut ligatura, sensum & motum adimunt, eo solum, quod meatum claudunt, & animalis spiritus transitum impediunt: alterationem enim, aut illustrationem, per nerui substantiam transferendam, non possunt impedire: siquidem nerui substantia, eadem permanet, ante ligaturâ & post: sola vero cavitatem variatur. Quare similitudo aëris qui obscuratur (cum nube, aut solido aliquo corpore occupatur) qua vtitur Galenus, hic non quadrat: aër enim, ex corporis interpositione, mutat perspicuitatem, & continuitatem, per quam fit al- terationis traductio, neruus vero refrigeratus, aut ligatus, aut cuius meatus obstrui- tur, nullam in substantia sua mutationem recipit. Multa etiam alia, arguunt spirituum, per neruorum cavitates delationem. Nam in animi deliquio, recurrentibus spiriti- bus ad sua principia, multo magis possent irradiare, & vim motiuam artibus præ- bere, quod non fit: quoniam ex spirituum in artibus præsentia, non autem ex illustra- tione, tonus & vigor neruorum seruat. Sic etiam vertiginosis, ac ijs qui diutius in gyrum aguntur, vires motiue deficiunt, quoniam spiritus in orbem cõuolutus, & debementer actus, non potest, recta per neruorum cavitates deduci: posset autem nõ minus illuminare, quin immo magis quam quiescens. Sic crus, aut manus, plus iusto laborans lassatur, eius spiritibus per laborem resolutis: nam simplex irradiatio, ex cerebro, aut dorsali, nunquam deficeret, nisi deficientibus spiritibus in ipso principio. Nec tamen huic facultatis animalis, in spiritu delationi, obstat repentina artuum motio, quocumque voluntas iusserit: nam quauis citius fieri posset illustratio, non fit tarda spirituum, per cavitates illas transmissio. Quod monstrat, momentanea pupil- læ dilatatio, vbi alter oculus clauditur, spiritu in alteram affatim comitante: Ac- cedit

cedit, quod dum voluntas, artum aliquem mouere destinat, id facit per spiritus qui ad ipsum sunt delati, sine repentina aliorum spirituum delatione. Nec tamẽ ut spiri- tus hos, denuo natura trãsmittat, ante præexistentium resolutionẽ, opus est consilio, aut præensione aliqua, ut credit Valesius, 2. lib. controuers. cap. 14. Sed sola suffi- cit, membris & facultatibus insita natura, & instinctus, impulsus ve, cuius ratione fuit creata. Adde tertio, quod facultatis delationem, illustrationem, aut irradiatio- nem, à cerebro in artus non tollimus, sed eam per spiritus & neruorum cavitates fieri, non autem per solidam neruorum substantiam arbitramur. Non enim serua- tur in spiritibus trãsmisissis, vis animalis, nisi per cõtinuã illustrationẽ, quæ a cerebro fit, & in ipsis spiritibus recipitur, per totã neruorũ cavitatem, vsque ad cerebrũ, cõ- tinuitatem seruantibus. Quod monstrat neruorum sectio, qua motu & sensu statim priuamur, quoniam artuum cum cerebro continuitas, sectione dirimitur. Cuius ra- tione, vis quæ à cerebro, in spiritus sibi continuos irradiat, statim ultra sectionem extinguitur, ita ut spiritus illi dirempti, motum voluntarium edere nequeant, sed alium potius motum, ex natura leuis interclusi, in graui atque densa substantia, fa- cere possint: manus enim secta, per spiritus ibi relictos, visa est sepe salire, & subsul- tare, citra voluntatis imperium.

### ¶ An vna & eadem virtus, a cerebro profluat

in quinque sensoria, an multiplex: & si multiplex, an

omnis feratur in omnia, an singula, in

singula sensoria.

C A P. XII.



**V**IS sensua diuiditur, in internam & externam. Externã, in ta- ctilem, gustatilem, olfactiuam, auditoriam, & visiuam. Quas omnes in radice, esse vim vnã putã sensum communem qui in quinque sensoria distributus, pluralitatẽ accipiat (in oculis perci- piendi colores, in auribus sonorum, in lingua saporum, & in re- liquis simili modo) voluit Aristoteles. Ipse namq; communis sen- sus, in cerebro vnus existens, omnia quinque sensilia noscit, & inter se comparat. Nam sicut centrum circuli, vnum existens, & indiuisibile, initium dat diuersis lineis: & lineæ etiam diuersæ, in vnum centrum, à circulo venientes terminan- tur: ita à sensu communi, vno atque indiuisibili, in cerebri substantia habitante, facultates in quinque sensuum organa, ceu à fonte riuuli ducuntur. In cerebro ergo vna facultas existens, non aliunde quam ex differentia organorum, plurali- tatem accipit: ob organorum enim diuersitatem, se varie gerit, & diuersimode se, ad sensilia accommodat: in oculo splendido, cernens: & in aure aërea, & anfractuosa, audiens: In lingua spongiosa & humida, gustans. Hæ rursus facultates, per easdem

Vias,

vias, renunciant communi sensui, spectra & notitias, quas ab externorum sensibilibus pulsatione acceperunt. Communis vero ipse sensus, per hæc spectra, quæ sibi inuruntur rerum externarum varietates, & conuenientias internoscit, & iudicat. Visus enim, inter album atq; nigrum, splendidum & tenebrosum, differentiam aduertit. Gustus inter dulce & amarum. Inter album vero & dulce, discrimen statuere, aut conuenientiam, neuter potest: nam discernenti, ambo nota esse oportet. Hic ergo est, sensus communis præcipuus usus, dulce enim, ab albo discernit, & ambo in lacte coire iudicat. Neq; est quod quispiam existimet, intellectus operationem, istiusmodi esse, nam bruta, horum differentiam aduertunt: Canis enim, carnem quam non gustauit cernens, tanquam dulcem, & gustabilem prosequitur: & lapidem quem non gustauit, nouit non esse gustabilem. Sensibilem ergo diuersorum sensuum, nec iudex est intellectus, nec particularis aliquis sensus, sed sensus potius communis appellatus, à quo sensus particulares, eiusdem cum ipso substantiæ diximus diffundi.

Hanc tamē Aristotelis sententiā, non probamus, Primo, quoniam facultates omnes, ab animā emicant immediate, non vna ab altera: nō ergo à sensu communi (si est animæ potestas) quinque sensuum virtutes ducentur: sed omnes ab anima immediate profluent. Secundo, quoniam nihil specie vnum, in diuersa potest multiplicari, virtus autem visua, & auditoria, genere distant, sicut sonus & color: quomodo ergo ab vno, atque indiuisibili sensu prodibunt? Tertio, nam Galenus, octauo libro de Usu partium, quinque sensus externos, dixit differre, non modo sensorijs, sed etiam facultatibus. Quarto, de modo sentiendi, quo communis sensus, sentit colores, & sapes, sunt interrogandi, sit ne visio, & gustatus, an alter alius? Sensum sane communem, cernere aut gustare non dicēt. Si alio vero genere sensationis, sentire statuāt, eiusdem substantiæ vires esse, non decet. Quinto, nam (vt sequenti capite, aduersus Aristotelem dicemus) sensus communis frustra statuitur. Quare satius dicendū, ab anima sensua, quæ in cerebro residet, facultates sensiuas, immediate in organa externa, per neruos, & spiritus animales emicare. Non influit autem omnis vis, per omnem neruum (vt male censuit Valeſius, lib. 2. Controuersiarum, capite vigesimo secundo), sed certa per certos: tactiua scilicet per omnes, visua per opticos, & auditoria per auditorios. Primo, quoniam frustra dixeris, vim visiuam, diffundi per neruos auditus, aut auditoriam per opticos. Secundo, quoniam nulla alia ratione dicimus, vim animale, transmitti per neruos, & pulsantē, per solas arterias: quā ob operationes animales, quæ fiunt in neruis: & ob pulsus, qui solis arterijs contingunt. Pariter ergo dicemus, vim visoria, non esse in aures, quoniam nemo per aures cernit. Tertio, quoniam similiter dicere liceret, vim animale, distribui à cerebro, per omnes partes, quas contingit: per venas scilicet, & arterias, & ossa, & per omnes etiam partes circumuicinas: non tamen ibi operari, ob indispositionem ipsarum. Quarto, nam si nerui cutis indispositio, causa est, quod auditoria facultas, recepta in ipso, non operetur: multo prius causa erit, vt non recipiatur.

De

De numero facultatum sentientium  
internarum.

CAP. XIII.



ENSVM communem excogitauit Aristoteles, tanquam fontem & originem sensuum externorum, vt eo ligato, à vapore alimenti, per somnum, non deriuetur virtus, in sensus externos: sed quiescat animal & reparetur. Vnde somnum definiuit, ligamentum primi sensitiui, libro de somno & vigilia. Præcipua autē functio huius facultatis, est discernere inter sensibilia diuersorum sensuum, vt scribit 3. lib. de Anima, cap. 2. nam cum obiecta diuersorum sensuum, sint sensibilia, quorum conuenientiam, aut differentiam nosse oportuit: manca foret natura, nisi animantibus facultatem inderet sensiuam, quæ inter obiecta dicta, arbitra esset & iudex. Hæc autem facultas, inter ipsa iudicare nequiret, nec differentiam, aut conuenientiam ipsorum statuere, ni ea omnia, inter quæ iudicium esset ferendum cognosceret. Ob hæc ergo cognitionem, omnibus externis communem, nomen communis sensus, fuit huic facultati ab Aristotele impositum: Ipsamque ceu necessariā iuueit idem. Videtur quoq; Galenus, sensum communem agnouisse, libro de differ. sympt. cap. 3. Vbi postquam externorum sensuum symptomata percurrit, concludēs ita scribit. Atq; talia quidem, & tot, sensificarum actionū sunt symptomata. Ad hæc duo etiam insignia, nempe vigilia & comā, in primo sensitiuo, quod omnium sensuum commune est, consistunt. Septimo quoq; libro de Placitis, ita scribit Galenus. Alteratio vero ipsa, ab vna eademq; facultate, omnibus sensorijs communiter impartita, à principio emanante dignoscitur: quod quidē principium, siue sensum communem, siue primum sensorium appelles, nihil refert. Hoc autem esse cerebrum, primus liber demonstrauit, à quo omnibus partibus, sensus & motus suppeditatur. Ex quibus locis, externos sensus, ab vna eademq; facultate, puta à sensu communi diriuari, apud Galenum: atque eius facultatis symptomata, vigilia & comā, præternaturam haberi, credere posset quispiam. Quod si somnus, & vigilia præternaturam, ei conueniunt: ei quoq; conueniant, somnus, & vigilia naturales, par est. Alexander vero Aphrodisiensis, inter Aristotelis expositores primus, aliam reperit sensus communis functionem: nempe deprehendere actiones, ipsorum sensuum externorū. Communis enim sensu (apud ipsum) sentio me videre, & audire: quare nō modo cognoscit is communis sensus obiecta sensuum externorū, verū & ipsorū operationes. Ipse quoq; Alexander, sensum communem dixit, sensibilia communia dignoscere per se, reliquos sensus ex accidenti. Visus enim (inquit) qui colorum arbiter est, communia sensibilia non iudicat: sed hæc ad communem sensum functio pertinet. Eius quoq; opinionis, Aristoteles fuisse videtur, Dum tertio libro traditionis de Anima, capite primo, ita scribit. At communium, habemus iam communem sensum, non per accidens sane.

Sed

Secl Galenus non distinguit sensum communem, à primo sensorio puta cerebro, ut ex locis citatis septimi libri de Placitis, & libri de differentijs symptomatum est manifestum. Quare apud ipsum, sensus communis non est facultas aliqua, sed organum primum, & sedes animæ sensiuæ, à quo ceu à fonte, in organa sensuum, facultas animalis deriuatur per vigiliam: & obstructis cerebri vijs, à vapore alimenti, ab eiusmodi influxu quiescit, fitque somnus secundum naturam: Sicut cum à causis præternaturam, spiritus animales, & virtus sensiuæ, non possunt cohiberi, quin in organa sensuum meent, aut adeo coercentur in cerebro, ut vix influere queant in sensus externos, tunc somnus atque vigilia præternaturam fiunt, sine sensu aliquo communi, qui animæ sentientis sit facultas. Vnde Galenus, libro de differentijs symptomatum, capite tertio, postquam actiones animales diuisit, in sensificas, motrices, & principes, ita scribit. Sensilis igitur animæ actio, quinquè in vniuersum habet differentiã, videlicet, odorandi, gustandi, audiendi, & tangendi. Motrix autem actio, continens instrumentum vnum habet, modumque motionis eius vnum: ita enim in libris de motu musculorum demonstratum est: variatur autem in particularibus instrumentis adeo, ut multiformis esse videatur. Reliqua vero animæ actio, quæ à principe facultate procedit, in imaginationem, ratiocinationem, & memoriã diuiditur. Quibus verbis manifestò conuincitur, neque inter sensiuas, neque inter principes functiones, sensus communis meminisse. Et eodem cap. cum omnium functionum animalium noxas persequitur, nullas ponit, quæ sensus communis cognitioni, aut sensationi labefactatæ, conuenire possent: Si autem aliquid cognosceret, aut sentiret: diminutam, ablatam, aut corruptam interdum, eiusmodi cognitionem haberet. Ex delirij præterea speciebus, facultatum internarum diuersitatem, & numerum, venatur Galenus, in quibus, sensus communis nullum habet locum. Sunt enim quidam, quibus visa apparent quæ non sunt, de cætero autem recte ratiocinantur, alij memoriã penitus amiserunt, cognitione & iudicio superstites, quorum exempla refert Galenus. Nam Theophilus Medicus, cum alioqui prudenter se gereret, ac ad interrogata responderet, præsentibus quoque exacte nosceret, tibicines tamen quosdam, angulum cubiculi, in quo decumbere occupasse, & assidue tibia canere, atque pulsare putabat: & se illos videre arbitratur. Alios autem illic stantes, alios autem sedentes, ita continenter tibia canentes, ut neque noctu quidquam intermitterent, neque interdum ne minimo quidem tempore quiescerent. Exclamabat vero assidue è cubiculo, ut ipsi eijcerentur iubens. Atque ubi morbus abiit, & recte conualuit, meminit visi de tibicinibus, & singula quæ coram ipso, dicta atque acta fuerunt narrabat. Ex quo conuincitur, imaginandi potestatem, hic solum errasse, dum tibicines audire, & videre, alios stantes, & alios discumbentes putaret: Iudicium autem erat saluum, tum quoniam prudenter interrogabat, & respondebat: tum quoniam tibicines eijcere iubebat, qui si adessent, sibi fuissent molesti & damnosissimi. Memoria quoque constitit, siquidem omnium recordabatur postea. Huc etiã pertinet, quod Galenus quarto libro de locis, de se retulit, ita scribens. Cum per aestatem

tem

tem ardente febre laborare, & festucas atro colore ex cubili è minere, & floccos similiter in vestibibus esse putabam, quos auferre têtans, nihilque sub digitis eductum inueniens, accuratius vehementiusque id efficere conatus sum. Audiens itaque duos ex amicis, qui tum aderant, dicentes: Vides ne hunc iam & floccos euellere, & festucas colligere? statim intellexi, id ipsum quod dicebant me fecisse. Cum vero sic animo constarem, ut rationalis in me facultas non vacillaret: recte inquam dicitis, proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio stote. Illi autem cum idoneis rigationibus, caput fouerent, tota die sequenteque nocte, grauibus insomnijs turbatus sum, ut interim & clamare & exilire viderer. Verum postero die mitigata sunt omnia accidentia. At contrariam affectionem alij patiuntur, in qua ratio, aut cogitatio, siue maioris iudicium errat, cum tamen nulla appareant visa, ut constat ex historia narrata à Galeno. 4. libro de locis patientibus citato, ubi ita scribit. Cum Romæ quidam domi cum lanifici puero contineretur, surgens à cubili venit ad fenestram, per quam ipse videri, & prætereuntes videre potuit. Itaque ex vitreis vasis singula ostendens interrogauit, imperarent ne ut ea projiceret: illi vero ridentes, plaudentesque ut ea projiceret rogabant, tum ipse deinceps, omnia arripiens eiecit: at illi magnis acclamationibus riserunt. Postea iuberent ne puerum quoque projici, cum eos interrogasset, atque id illi iussissent illico ipsum deiecit. Quem ab alto cadentem videntes, suppresso statim risu accurrerunt, & conflatum iam puerum sustulerunt. Ex qua sane historia conuincitur, iudicium ledi quoad phantasia superstite: Nam puerum, & vasa nouit hic æger, & proprijs nominibus appellauit: iudicium tamen projiciendi, ea quæ custodiri deberent, prauum habuit. Quibusdam vero alijs, memoria fuit oblesã, imaginatione, & iudicio superstite. Quod thucididis testimonio, confirmat Gal. 1. lib. de differ. sympt. citato, & 2. lib. de causis sympt. cap. ultimo, ubi retulit quosdam qui postquam euaserunt ex pestilentia, neque seipsos, neque suos agnouerunt: atque visos esse quosdam refert Galenus, qui propter extremam senectutem, similibus correpti sunt symptomatis: quosdam etiã se vidisse perhibet, & literarum & artium omnino oblitos, qui neque suorum nominum meminissent. Tres ergo facultates internas, in cerebro statuere oportet diuersas, inter quas sensus communis non habet locum: Ipsi enim erranti, atque à sua actione deficienti, aliquod delirium responderet, quod superstitebus reliquis, in conspectum veniret. Neque obstat, quod aliam delirij speciem, memoret Galenus quarto libro de locis citato, in qua iudicium errat, & ficta quædam visa apparent: nam compositum est delirium hoc, ex primis duobus, erratque in ipso, tam phantasia, quam ratio, & non sensus communis. Hinc merito Galenus lib. de diff. sympt. internas animæ sentientis functiones, diuidit in imaginationem, ratiocinationem, & memoriã. Et 3. lib. de Vsu partium dixit, quod etiam si instrumentum visus alteretur, non fieret sensus, nisi alterationem cognoscat phantasia, ratiocinatio, & memoriã, quæ sunt princeps animæ facultas. Quamuis autem principes sint huiusmodi tres facultates, non pari dignitate tenentur: Nam imaginatio, sensibus est maxime vicina, ea enim est quæ cognoscit sensationes sensuum externorum,

g ad



ad quas si non aduertat, quauis externus sensus alteretur, nihil ex ipsius alteratio-  
 ne assequeremur, ut octauo lib. de placitis, Galenus est autor. Seruit autem cogita-  
 tioni & memoriæ a prime ipsa imaginatio, ipsis cognitiones exhibens, & spectra sen-  
 suum externorum. Vnde Galenus 2. libro Prognost. com. 6, non memorat eam inter  
 principes facultates, sed sensibus potius subseruientibus annumerat, in hæc verba.  
 Præcipua vero cerebri ministeria sunt, meminisse ac cogitare: subseruientia vero, sen-  
 tire, & moueri secundum desiderium. Et libro primo de ijs quæ fiunt in medicatri-  
 na, cōment. 4, ita scripsit. Sed à me in libris de communi ratione demonstratum est,  
 tres esse omnes in nobis facultates, quibus ad constitutiones & artium & librorum  
 utimur, sensum utique, mentem, & memoriā. Et libro. 4. de locis citato, delirium  
 phantasiæ, in sensibus contingere dixit. Difficile tamē est, quod primo libro de motu  
 musculorum, memoriā non distinxerit à phantasia: Pars enim animæ (inquit) ima-  
 ginatiua, quæcumq; ea sit, eadem & recordari videtur. Nam si insignes impressio-  
 rerum, in imaginationibus acceperit, conseruat perpetuo: atq; id quidem est memoria  
 tenere: sin vero obscuras, & penitus superficialias, non conseruat, & hoc est obli-  
 uisci. Et ob hanc causam, in ira, curis, ebrietatibus, timoribus, phrenitidibus, & om-  
 nino in uehemētibus animi affectibus, nullius eorū quæ egerint, in posterū amplius  
 meminerunt. Sic quauis per somnum volentes respiremus, & membra cōuoluamus,  
 & loquamur, nō recordamur postea, ob imaginationis exiguitatem. Ex qua Galeni  
 sententia multi credunt, memorandi, & imaginandi facultatē, nō esse vires discretas,  
 sed vnā & eandē apud Galenū: Quod tamen esse per quā falsum, ostendunt plurima  
 Galeni loca adducta: & demonstratio eorū qui amiserunt memoriā, salua manente  
 imaginatione: & aliorum qui imaginatione errante, sanam memoriā habuerūt, lib.  
 de differ. sympt. citato. Accedit quod memoria solum est reseruatua, non cogniti-  
 ua, aut iudicatiua, ut autor est Gal. 1. lib. de ijs quæ fiunt in medicatrina com. 4: ima-  
 ginatio vero cognitiua facultas est. In quo sane à Galeni sententia, deerrat Valesius  
 lib. 2. controu. cap. 20. Vbi memoriā nō modo ponit cognitiuā, sed quod cognitione,  
 in seipsam reflectitur, & reminiscitur. Hæc tamē functio, rationis est nō memoriæ:  
 argumēto quod solus homo reminiscitur. Adde quod vbi quispiā eius quod intelle-  
 xerat recordatur, intellectu rursus intelligit, id ipsum quod antea intellexerat, nō me-  
 moria, siquidē ea non est intellectus: nā profecto si memoria, vim haberet intelligē-  
 di, possēt ipsa ab initio intellexisse, & frustra esset alter intellectus ab ipsa. Accedit  
 quod si memoria, esset virtus cognitiua, ex eius offensa, fieret deliriū aliquod, quod  
 non fit. Nā. 4. de locis citato, tres tantū memorat delirij species, duas simplices, & ter-  
 tiam ex simplicibus ortā, vbi memoria nullū locum habet. Sunt qui dicāt, Galenum  
 non sensisse, eandem animæ partem, imaginari, & recordari, sed quod videtur eadē  
 quoniā pro ratione imaginationis quæ præcessit, subsequitur firma aut debilis recor-  
 datio: & quod hoc Galeni verba (recordari videtur) personant. Sed contra est, quod  
 ex idēitate partis animæ quæ imaginatur, & recordatur, tradit causam huius eue-  
 tus,

tus, quod cū fortis imaginatio fit recordamur, & cum debilis non recordamur: ex ap-  
 parentia autem idēitatis, eum effectū nunquam induces. Codex etiam Græcus, hæc  
 tollit ambiguitatem, non enim habet, *δουκὺν* id est videtur sed *κοινὸν* id est cōsentaneū  
 est. Christophorus vero à Vega (honoris gratia nomino) respōdet, quod tā memorati-  
 ua, quā imaginatiua, seruant imagines: memoratiua quidē cum sensu temporis præte-  
 riti, phantasia vero sine sensu temporis: quod apparet per insomnia, in quibus imagi-  
 nes seruata, mouēt phantasiā tanquā præsentēs. Ex quo infert, quod si vtraq; seruat  
 imagines, vtraq; etiam recordatur, & vere dictū est à Gal., quod parte imaginatiua  
 recordamur. Contra vero est, quod mouere phantasiā, sine sensu tēporis præteriti,  
 non est recordari: Galenus vero de vera recordatione loquitur, causam enim tradit,  
 quare post somnum, non recordamur respirationis voluntariæ in somno factæ. Qua-  
 re nos credimus, quod per partem animæ Galenus, non intellexit facultatem, sed ani-  
 mam cerebri, sensiuam: vnā videlicet ex tribus partibus animæ, è quibus reliquæ  
 duæ, cordi insident & iecori. Harum autem partium qualibet, diuersas habet facul-  
 tates: & sic pars quæ imaginatur in cerebro residens, eadem recordatur, discretis ta-  
 men facultatibus vsa. In summa ergo, facultates internæ sentiendi (apud Ga-  
 lenum) tres sunt, phantasia, cogitatrix, & memoria. Inter quas cogitatrix, & me-  
 moria, principatum tenent, secundo libro Prognosticorum, commentario sexto, auto-  
 re Galeno. Imaginatio vero, ad sensus externos comparata, vnā est ex tribus prin-  
 cipibus facultatibus, ut scribit Gal. lib. de differ. sympt. cap. 3. si tamen ad rationē,  
 & memoriā cōparetur, inter principes non numeratur, sed loco sensuum habetur  
 ut diximus. Quo fit, ut nec sensum communem, nec potentiam alteram existimati-  
 uam appellatam, statuere sit necessarium: Nā animātia, per facultatē aliquā, elicere  
 intētionēs nō sensatas, amicitie aut inimicitie, fugæ aut prosequutionis, ex speciebus  
 sensibiliū verum est: Ouis enim similitudine lupi in phantasia accepta, inimicum esse,  
 & quod fugere expediat, cogitatione iudicat, nullius alterius facultatis interuentu:  
 Lupi autē similitudinē, accipit phantasia à sensibus externis, visu scilicet, auditu,  
 & odoratu, sine sensu aliquo cōmuni intercedēte: nā functioes omnes, quas sensui  
 cōmuni adscribūt, sine eo recte obeūtur: Sēsationes enim externas, accipit phantasia,  
 & inter obiecta sensuū externorū, discrimē cognoscit. Nā eū delirantē, qui singula  
 vasa, & puerū lanifici, per fenestrā eiecit, ob id imaginatione cōstitisse voluit Gal.  
 quod singula cognouit, & proprijs nominibus nūcupauit: Ad imaginationē ergo per-  
 tinet, singula obiecta dignoscere, & ab alijs distinguere. Fallitur ergo Alexand. cū  
 sensum cōmunē necessariū ponit, ut apprehēdat sēsationes sensuū externorū: Tū  
 quoniā hoc munus particularibus sensibus tribuit. Arist. 3. de anima, vbi dixit, quod  
 visu video colores, & sētio me videre: auditu, audio sonitus, & cognosco me audire:  
 Tū quoniā tā Alexand. quā Arist. in eo errant: nā sensus siue particularis, siue cō-  
 munis, nihil apprehēdit nisi sensibile: quidquid autē est sensibile, est in corpore: operatio  
 autē non est in corpore: nō est ergo sensilis. Nec valet quod dicit Arist. quod visus  
 g 2 sentit

sentit suam operationē, ut alia quæ nō sunt color, puta lucē & tenebras. Nō valet (inquā) nā colorem & lucē videt, per se: tenebras vero noscitur secundū negationem, unde neq̄ ab ipsis patitur: Nemo autē dicit, propriā operationē dignosci, ut ea quæ sunt secundū negationē. Nec valet similiter, quod idem dicit Aristoteles, operationē quodāmodo coloratā esse, ipsa enim est incorporea, incorporeū autē coloratū esse non potest. Ad hæc quid aliud erit, visum propriā operationē apprehendere, & ad se conuerti, quā sentientē animā, separabilē à corpore & perennem statuere? ratio ergo & mens est, qua cognosco me videre, ac audire: non sensus aliquis, aut cōmunis, aut particularis. Fallitur quoq̄ nō minus idē Alexander, cū sensilia cōmunia, à particularibus sensibus nō sentiri, sed à cōmuni tantum affeuerat. Nam Aristoteli aduersatur, 2. de Anima, qui ob id esse cōmunia asserit, quod quædā ipsorū sentiantur omnibus, & alia pluribus sensibus: Ob id autē per se, quoniā omnibus aut pluribus sensibus, passionē inferant. Falso ergo, & præter Aristotelis mentē, dixit Alex. à sensu tantū cōmuni, & non à particularibus sensibus, communia sensibilia dignosci. Neq̄ obstat, quod 3. de Anima, ita scripserit Aristoteles. Cōmuniū habemus iā sensum cōmunē, non per accidens sane. Nam ut Phyloponus in eius loci interpretatione scribit, per sensum cōmunem, omnes quinq̄ sensus ibi intellexit. Neq̄ obstat, quod cōmunia sensilia, à proprijs separata, in sensus nihil penitus agunt, neq̄ sunt apprehensibilia: Figurā enim visus nō apprehēderit, si quod figuratū est, coloris expers fuerit: neq̄ tactus, si nullā ex tāgibilibus qualitatibus habeat: & in reliquis similiter: quare videri possent & ipsa, ex ijs quæ sunt per accidens sensibilibus, per alia enim sui apprehensionem præbent. Verum non sic res habet, nam sicut visus, sine lumine & perspicuo, non sentit colores: ita sine coloribus, nō sentit figuram, magnitudinem, & reliqua communia sensilia: & sicut posito lumine, & perspicuo, colores fiunt actu visibiles, ita posito colore, tam figura, quā magnitudo, per se visibilia redduntur: quoniam illa posito lumine, & hæc posito colore sensus nostros alterant, & afficiunt.

De numero sensibilium communium: & quomodo sensus afficiant. CAP. XIII.



**S**ensibilia communia, quinq̄ numerat Arist. 2. de Anima, motū, quietē, numerū, figurā, magnitudinē. Ad magnitudinē vero, reducitur distātia, quod nihil aliud ipsa sit, quā magnitudo interualli. Christophorus vero à Vega (honoris semper gratia nomino, noster enim olim fuit præceptor non pœnitendus) lib. primo de Arte medendi, capite quinto, situm addit sensibilibus communibus, & subrogandum esse censet, loco motus & quietis, quæ verè sensibilia apud ipsum non sunt: quoniam ea tantum ratione cognoscuntur, qua res cognita, locum aut mutat, aut seruat: situs vero (inquit) est, qui deprehenditur à sensibus externis. Numerum præterea, sensile cōmunē non esse existimat, aut enim nihil aliud est quā res

res ipsa numerata, aut quāta aut qualis, quæ ob quātitatē, aut qualitātē sentitur, aut si quid aliud est, id intermedijs externis sensibus, ab internis sentitur, nō ab externis. Sed cōtra est primo, quod locus est sensibilis per accidens, non per se, quoniā à loco nihil patiuntur sensus. Secūdo, quoniā sensus non apprehēdit, formam loci, sed locati. Tertio, quoniā locū mutare, aut seruare, est de essentia motus, & quietis secundū locū. Si ergo sensus, ea ratione dignoscit motū, & quietē, qua res cognita, seruat, aut mutat locū ut dicit: sequens est, ut in sua essentia, & quatenus talia, motū atq̄ quietem sensus percipiat. Quarto, nā sitū seruare, aut mutare, solius motus, & quietis localis est, nō alterationis: sensus autē, non modo deprehendit motū, & quietem in loco, sed etiam eā quæ in qualitate reperitur: sentit enim tactus calfactionē, & cessationē à calfaciēdo. Quinto, nā motus & quies, omnes sensus externos alterāt, & ab omnibus dignoscuntur, ut Ioan. Alex. 2. de Anima doctē edisserit: si enim ex eodē loco sonus ad nos peruenerit, sentit auditus id cōstitisse quod sonat: si autē nō ex eodem, sed & alius ex alio, sentit moueri. Tactus quoq̄ manifeste sentit, id quod mouetur, & quod stat, sentit nāq̄ corpus quod est in aqua, eā vel consistentē, vel diffluentem. Si quis quoq̄ virgā melle vnixerit, deinde eā per os circumferat, apprehēdet succū non stantē, siue gustus, siue tactus, huius effectus sit causa: Cui enim tribui debeat, nō magno opere contendo: Nā nobis nūc sat est, si motū pluribus sensibus deprehēdi monstra uerimus: siquidē de visu nemo id dubitauerit. Neq̄ obstat, quod motus successionē includat: hæc autē prius habet & posterius, sensus autē circa præsens versatur obiectū, non circa præterita, aut futura: Vnde Gal. 3. de dignoscēdis puls. cap. 1. omnem motū ratione, nō sensu dignosci adstruxit, quia vero sensui ratio cōiuncta est, & mētis est transcursus velocissimus, sepe numero nō ratione, sed deprehēdi sensu videtur, ut ibi scribit. Sed aliter res habet, nā motū percipit sensus, toto tēpore quo à motu alteratur, ob nouitatē alterationis, quæ sibi à motu inducitur, quāuis nō cognoscat esse etiā motus esse successionē, id enim solius rationis est. Numerū quoq̄ noscitur sensus materialiter, id est quod vnū, aut plura vno, sint sensibilia, formā vero, aut essentiā numeri, nō cognoscit sensus: tres enim voces sonoras, percipit auditus, & duas, & vnā: numerare vero nescit, nisi sola mens, quæ numeri, formā tenet, & binarij, ternarij, atq̄ vnitatis naturā calet. Visus quoq̄, inter albū & nigrum, & inter magis ac minus albū, differentiā statuit: Olfactus, inter bene ac male olēs. Et gustus similiter, absynthiū cū melle, vtrumq̄ simul sentit: quod sine vnius, & pluriū notitia, non fit. Est ergo mētis transcursus velocissimus (ut dixit Galenus) quoniā à materia aut motus, aut numeri, quā sensu cōsequimur: ad formā, & essentiā, transcurrit mēs, quam sensus nequaquā cognoscere possit. Sic & in figurā res habet, materiā enim figuræ, noscitur sensus, quod nimirū sensibilis, certis terminis sit circūscriptū, aut in acutū, aut planū, aut quadratū, aut orbiculare (circūscribi enim quidpiā, sine figura nō potest) rationē autē, & essentiā horū, nō nouit sensus, sed mēs: quæ quid sit circulus, quid triangulus, & quid quadrāgulus nouit. Irrationalia sane, quæ mēte carēt, eas vias fugiūt

quæ in acutum, vel concavum sunt figuratæ: & cum in valde altum, & arduum, & præcipitem locum casu venerint, ne transire quidem tentant: eligunt autem planam, & quæ facile transigi potest viam. Magnitudinem ergo sentiunt, & figuram, quamvis ipsorum rationes non teneant. Aquas præterea prætercurrêtes, & lignum motum ad percutiendum, timent irrationalia: quod fieri nequiret, nisi sensus sine ratione, apprehenderet motum. Canis præterea familiarem noscit, & extraneum: numerum ergo, & reliqua sensibilia communia, cognoscit sensus, quamvis ipsorum ratione, & essentiâ, sola menses teneat: In quâ tamē, à sensu, citissimus fit trāscursus: ita ut quibusdam imponat, tam materiam quam formam, horum sensibilibus, à sensu dignosci: quod tamen falsum esse, demonstravit Galenus, 5. lib. de demonstratōne: ut idem Gal. refert, 7. lib. de Placitis, in hæc verba. Primus sanè occurfus, per acutum & obtusum, secundus per calidum & frigidum efficitur, reliqui omnes per accidens constant, magnitudine utiq; figura, motu, numero, quos cum ratiocinatione, & memoria, non sensu tantum, tum in visu, tum in tactu existere, ostendimus in lib. de demonstratōne. Quibus verbis patet, communia sensibilia, non sensu tantum, sed ratiocinatione etiam cognosci: sensu nimirum apprehendente materiam, & ratione tenete formam. Male enim per hæc Galeni verba, quidam intelligunt, sensibilia communia, non cognosci ab externis sensibus: nam sensu dignosci tradidit, & non eo solum, sed etiam ratione. Et eodem libro tradiderat ante, visum per se deprehendere magnitudinem, & figuram, in hæc verba. Quo fit, ut solus, una cum colore rei visæ, & magnitudinem, & formam etiam percipiat: quod nullus alius sensus, nisi quandoq; tactus, atq; id per accidens potest, sed hoc, in 5. de demonstr. satis pertractatum. Soli item visui, præter alia concessum est, corporis colorati, & situm, & distantiam insuper discernere, nullo alio sensu id valente. Hæc Galenus. Neq; vero quispiam miretur, isthæc per accidens sensibilia Galeni vocasse, cum ex Aristotele dixerimus, ea esse per se: nam quod immediate non attingit effectum, Galeno dicitur per accidens: Aristoteli vero, causa per se appellatur ea, a qua pendet effectus, licet multa intercedant, inter ipsam & effectum, ut cap. 8. huius tractationis diximus. Quoniam ergo sensibilia communia, intercedentibus proprijs, sentiri est arbitratus, ideo per accidens ea sentiri dixit. Magnitudinem quoq; & figuram, per se à visu sentiri tradidit, & per accidens, à tactu, quoniam tactus ea deprehendit, intercedentibus calido, frigido, aspero & leni: visus vero quoniam ad obiectum tendit, & ipsam magnitudinem, atq; figuram, immediate contingit, per se ea sentire docuit.

LIBRI DE ANIMAE FACULTATIBUS. FINIS.

INCLYTO

INCLYTO, A C M A  
GNANIMO PRINCIPI, DOMINO  
Illesonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sy-  
dunia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, dignif-  
simoque Almadrauarum domino: Petrus  
de Peramato Medicus, de Semi-  
ne libri nuncupat.

(A)



ANNVM (ut omnes tui, ita & ego) censum, pro agnitione domini, tibi reddere opto. Omnia quæ externa possideo, à te accepi, & indies accipio. Hæc honeste ad te, cum nequeant recurrere, de meo persolvere semper cogito. Cæpit iam hæc tibi mea moneta placere: Maximumque mihi erit nunc, tibi huius libri nuncupatione placuisse. Quæ tibi vel eo gratior est futura (prætereo eius utilitatem, ac difficultatem, & ingentem lucubrationem qua editur) quod tua est, de tuo solo ac de tuo seruo nata. Holera namque, fructus, poma, vel paulo etiam deteriora, magis nos consueverunt delectare, ex proprio horto, quam alieno decerpta. Præcor ergo te, ut hoc qualecumque munusculum, de me qui tuus sum, læta fronte accipias, & tui Peramati fructum, inter amatos tuos libros reponas. Vale Hispaniarum decus dignissimum.

LIBER





**P**OST naturalium facultatum tractationem, de hominis procreatione, in qua omnes maxime viget, præsertim formatrix, quæ ad miranda officia præstat, agere decreuimus: interim ac tractatum de animæ functionibus, quem in manu habemus absoluimus. Tū quoniam multa quæ hic dicuntur, illic erant repetenda, tum etiam quoniam si quid aliud in arte medica, & naturali Pphylosofia, difficile simul erat, ac scitu dignū, in morali, atque Theologia vtile, & ad propriam cognitionem, Dei obedientiam, & gratiam comparandam opportunum, hoc de quo agimus, comprehenditur argumento. Pphylosofus enim in hoc minori mundo, maioris illius, & totius naturæ, causas comprehensas cōtemplatur. Medicus subiecti circa quod versatur (cuius naturam, dum optime valet, seruat, reducit dum labitur, & pristinam sanitatem dum ægrotat, refarcit) exactam originem, fabricam, compositionem, & naturam comparat. Iam vero qui mores hominum componere studet, fragilem ex hac doctrinā, & caducam nostram originem, & progressionem prædicat, & Dei voluntati nos parere docet. In eam quæ cōtēplationem, raptus aliquando Iob, Deum sic alloquitur, Manus tuæ domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum, nonne sicut lac sudisti me, & tanquam caseum me coagulasti? &c. Vbi ut ad rem properare videar, sanctus vir, à semine, procreationis nostræ causas orditur. Quod etiam Aristoteles, Galenus, & alij naturæ sapientissimi, hunc lapidem voluētē fecerunt. A quo, & nos, huic tractationi initium damus, à seminis longiuscula quadā definitione, quæ eius naturam, & præcipua de eo dubia declaret ordientes. Nam cum singulas definitionis partes excuserimus, omnis quæ de semine habetur doctrina, ordine tradita erit definitiuo. Quo peracto, ordinem quem natura seruat, in suis motibus, ac progressionibus, donec factum absoluat, & excludat sequemur. Hic autem Catones, & pudicos lectores, & opto & postulo, ne in opere, in quo Deus optimus maximus, maxime se exhibet, tam admirandus, tum venerandus, sensuam illecebris, & blandimentis, inuerecunde rapiamur, & peccatis, aut verbis obscenis, polluamur. Nisi enim honeste hæc, & reuerenter legamus: Deum in his obscenis admirantes, & venerantes, merito erit nostra improbanda obloquutio. Ijsque similes reddemur ipsi, qui cū Deū per admiranda opera nossent, nō sicut Deum ipsum glorificauerunt.

**S**E M E N est principium, & elementum, tam actiuum, quam passiuum, corporis humani: ex parte sanguinis aërea, oleosa, & pingui: vi testiu, in se, & seminarijs vasis elaboratum: & tanquam excrementū, quantitate, & non qualitate degrauias, expulsū: & intercedente concubitu, in vterum à mare, & femina, ei aculatū, & sibi inuicem permistū: vim habens tale quidpiam generare, quale est id à quo deciditur, ad speciei conseruationem.

Prin-

Principium quidem in animalibus, semen statuendum esse, perinde ac in plantis, scripsit Galenus, primo libro de Semine, cap. 5. & 1. de sanitate tuenda, cap. 1. & 1. Aphorismorum, com. 14. nihil enim ipso semine prius, in animantium generatione reperies. Nam quauis, prior sit seminis, ex elementis constitutio, in generatione tamen animantis, quæ nobilior est, simplici constitutione mistorum, primum quod occurrit est semen.

Elementum quoque recte ipsum appellaueris, nā si quatuor humores, qui in sanguinea massa continentur, secunda elementa appellantur, cur non & semen, eandē appellationem subibit? ex eo enim & sanguine, prima constitutio est, apud Gal. 2. libro de Tēperamentis, cap. 2. & actu semper in nostro corpore reperitur, ad testium & seminalium mēbrorum nutritionem, autore Gal. 2. lib. de semine. Erit ergo elementum secundum, siquidem ex eo constamus, & nobis inexistit.

Principium actiuum esse, nemo it inficias, hæc est enim apud omnes, seminis natura, siue animalia, siue plantas spectes: vt tale quid, actu efficere possit, quale est, id à quo excretum est. Habet ergo vim gignentem, & procreantem: & ex consequenti animam vegetatiuam, cuius hæc est facultas. Semina item plantarum, cum styrypium partes sunt, animam habent plantalē, quā vt aliæ partes plantæ nutriuntur: & cū denuo terræ mandantur, rursus aluntur, & augetur: quæ sine anima exequi nequeunt. Ergo intermedio tempore, animam non amiserunt, nam & plantarum partes decise viuunt: & semina si vetustate, aut elixatione, animam perdunt, terræ mandata, non germinant. Oua etiam quādiu in corpore volucru sunt, nutriuntur, & proportionabiliter iuxta omnem dimensionem augentur: postea vero gallinæ supposita, procreant persimilia volucra, ijs à quibus fuere decisa: ergo vires habent altricem, auctricem, & procreatricem, animæ vegetatis facultates, quæ sine ipsa anima consistere nequeunt. Vnde etiam fit, vt animantium perfectiorum seminibus, huiusmodi animam, atq; vires, non adimamus. Nam si non fit ex sanguine caro, nisi caro ipsa animata, sanguinem cōmutet: multo minus fiet ex sanguine animal, si semē quod est principium actiuum, anima careat. Vnde Galenus libro de Marasmo, capite primo, viuorum (inquit) tria sunt genera, animalia, plantæ, semina. Et Aristoteles secūdo libro de generatione animalium, cap. 3. ita scribit. Nihil minus semina, & cōceptus animalium viuunt, quam styrypes, & aliquandiu prolifica sunt, ergo animam in ijs haberi vegetalem, palam est. Et eodem libro, cap. 1. ita scripserat. Omnia quæcūq; aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo, quod actū est fiunt, ex eo quod potentia tale est. Semen igitur tale est, motūq; habet, & principium tale, vt motu peracto, pars existat quæq; eademq; sit animata. Et rursus sub capitis finem. Sed habeat ne semen animam, nec ne, ratio eadem, atq; de partibus reddenda est. Neq; enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod particeps anima non est, nisi æquiuoce vt mortui oculus. Semen igitur, & habere animā, & esse potentia palam est. Quibus Aristotelis verbis, apparens se exhibet, contradi-

Etionis phantasia. Cum enim semen, & conceptus, animatos esse, anima vegetali in actu, quoniam aluntur, & augentur tradiderit, postea animatos potentia esse statuit. Cuius tamen duplex solutio habetur, prima, quod semen est actu animatum, actu primo, qui est ut scientia: & est potentia ad actum secundum, nutritionem nempe, formationem, & augmentum. Reducetur autem ad actum hæc potentia, cum materiam idoneam inuenerit, circa quam operetur. Quod voluit Galenus, secundo libro de naturalibus facultatibus, in Hæc verba. Omnis facultas, si competens desit materia, otiosa est: & maris semen, facultates in se ipso possedit, actionem vero non, nisi circa materiam, femineum scilicet semen, & menstruum sanguinem obit. At cum non modo de Semine, verum etiam de conceptibus, qui non sunt separati, sed utero gestantur, nutriuntur, & actum etiam habent secundum, loquutus fuerit Aristoteles, ideo secunda solutio, nobis magis arridet: quod scilicet semina, atque conceptus, potentia animatos statuerit, quia licet viuant, non habent, viuendi modum perfectum, quenadmodum qui sunt separati: non enim attrahunt cibum per os, sed ut pars animata ex matre nutrimentum sumunt. Quod voluit per verba citata, cum dixit, Sed habeat ne semen animam, nec ne ratio eadem, atque de partibus, reddenda est. Et apertius libro secundo de generatione animalium, cap. 3. ubi postquam semina, & conceptus, animam habere vegetalem, actu operantem scripsit, paucis interpositis hæc subdit. Animam igitur naturalem, in seminibus atque conceptibus non separatis, haberi potestate statuendum est, non actu & re ipsa, priusquam eo modo, quo conceptus qui iam separantur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. Quæ sane Aristotelis verba, nihil aliud, quam nostram interpretationem, personare videntur. Sed quomodo semen, simile corpus existens, animatum statuitur, si anima est actus primus, corporis naturalis organici? Dicendum primo, quod semen ut est potentia animatum, ita & organicum: cum primum autem incipit exercere animæ opera, iam est præditum vas ex utero trahentibus. Dicendum secundo, ex simplicio. 2. libro de Anim. 1. com. 6. quod anima est actus corporis organici, duplici ratione, una secundum quam organum effingitur, formaturque, ut inde sit animæ organum, altera vero, secundum quam vititur iam organo formato: illa quidem est in seminibus, & conceptibus, hæc vero, in editis iam animantibus. Dicendum tertio, quod semen non prorsus est simile, partem enim ætheream habet, & spirituosam, quæ diuersæ rationis est, à crassiori, & magis corpulenta substantia. Quin in parte illa ætherea, verius residet anima, est enim apud Galenum, primo libro de Semine, cap. 10. Spiritus is, per se mobile principium: quare & animatum, siquidem anima, motionis fons atque origo est. Aristoteles in super, 2. de generatione animalium citato, seminum fecunditatem, in huiusmodi spiritum retulit: cuius natura, cum calitus inseratur, diuinitatem præ se fert: & quoniam varia producit organa, videtur habere, quandam cum elemento stellarum similitudinem. Quenadmodum enim à cælo cuncta proficiscuntur in mundo inferiori, varia quidem illa multiformiaque, sic similitudine quadam, respondere videtur

videtur virtus illa seminis cælo, quod varia difformiaque organa in animali, vi sua producit. Unde hæc spiritum seminis, appellat semē principij animalis, id est animæ, quoniam per ipsum, anima in totum animans propagatur. Ita enim scribit. **CORPVS AVTEM GENITVRAE**, id est, semē quod à patre decidit, **IN QVO SEMEN ANIMALIS PRINCIPII**, id est, spiritus qui est propagator animæ, quæ principium animalis existit **CONTENTVM VNA PROVENIT**, ita enim spiritus, parti seminis crassiori permiscetur, ut spumæ, multas bullas, præ paruitate inuisibiles habenti, ipsum semen recte assimilauerit. Rursus hoc principium animalis, id est animā in duas partes distribuit. Et oportet addere relatiuum quod (ut notat ex Michaele Ephesio Simon Portius, libro de mente humana, cap. 17.) ad hunc modum. **QVOD** scilicet principium in semine contentū: id est, quæ anima in semine contenta **PARTIM SEPARABILE A CORPORE EST**. Scilicet in ijs **IN QVIBVS DIVINA PARS COMPREHENDITVR**, id est in ipsis hominibus, in quibus comprehenditur per ipsum intelligere, facultas animæ, quæ mens dicitur **PARTIM**, scilicet hoc principium **EST INSEPARABILE** animæ scilicet sensiuæ & vegetalis. **HOC AVTEM GENITVRAE SEMEN** id est corpus autem seminis, in quo diximus contineri spiritum, cum sit aquæ & æræ naturæ, ipso spiritu in quo erat vis vegetalis dissoluto **DISSOLVITVR** id est diminuitur, & redditur aquosum **VERSUMQUE IN SPIRITVM EVANESCIT** id est difflatur, atque resoluitur. **PROPTEREA NON EST QVÆRENDVM AN FORAS EXEAT** id est egrediatur, vel remaneat, ut pars corporis generandi **QVÆNADMODVM NEC DE COAGULO, IN CVIVS VIRTUTE, ET SPIRITV, EST VNIRE LAC**, quoniam corpus coaguli dissoluitur, & non fit pars casei & lactis. Huius Aristotelis sententiæ, longiusculam interpretationem, hic annexere volumus, quoniam perdifficilis est, & in ea multi allucinantur: non exiguamque lucem, in posterum dicendis est allatura. Nunc vero semen principium esse actiuum, ob idque animatum intellexisse sit satis.

Quod vero, non modo actiuum principium sit semen, sed etiam passiuum & materiale, multis persuadere nititur Galenus, primo libro de Semine, aduersus Aristotelem, atque Athæneum. Primo, quoniam semen (experimento foeminarum) ubi conceptio fit non exit, sed ab utero trahitur auidissime, in eoque manet & continetur: oportet ergo, ut aut in fœtum, coctione quadam permutetur, aut putrescat, aut in flatum vertatur. Non putrescere, constat ex defectu symptomatum, quæ dum corrumpitur, aut putrescit, solet inferre: non verti autem in flatum, constat, quoniam uterus in conceptione contrahitur, cum tamen ex flatu deberet intumescere, atque dolere non leuiter. Si enim ex aqua, decuplus ær gignitur, ex semine duplo crassiori quàm aqua

vigecuplus flatus prodiret. Nec flatum per mulieris pudendum exire, dicere possis, quoniam uteri osculum, tunc adeo conuiuet, monstrantibus id dissectionibus, ut nec acus cuspidem admittat. Si vero raseretur, ut transitus locum det flatui erumpenti, sonitum ederet in exitu, aliter enim copiam flatus, per angustum osculum exire, vix ratio capit, argumento ructus & crepitus: Quod si sine sonitu prodiret, iam non sine sensu: nam nec minimus flatus podicem exiens, sensum latet. Nec hic nos remoretur argēterij scrupulus, quo pacto scilicet in fœmina mortua, & dissecta, in qua retētrix vis, sicut & omnis animæ facultas, iā est extincta, potest vterus tanto pere constringi, & circa fœtum contrahi? si enim ad ea quæ contingunt respexisset, parum sibi foret hæsitandum: quam enim figuram, hominis partes habuerunt, in in corpore viuo, ante animæ exitum, eandem post exitum seruant in cadauere, nisi aliter nobis componantur: sic oculos, atque os, defunctis claudere assueuimus, ante quam frigeant & rigidi reddatur: nec enim defuncto homine, facultas in ipso est, quæ apertos oculos claudat, nec quæ contractum vterum reseret. Nec nos etiam perturbet, quod Auicenna nono libro de Animalibus, Aristotelem saluare studens, masculinum semen, non in flatum, sed in spiritum completatum mutari tradit, qui membra format, & in membris formatis manet, ipsorum naturam seruans. Nam præterquā quod Aristoteli repugnat, nolenti semen in membris magis manere, quam fabrum in lectica: spiritus naturæ (qui flatu adhuc tenuior existit) repugnat tantam copiam, quanta ex vniuerso semine debuit creari, in exiguo genituræ corpore coerceri. Nec admittendus est Aristoteles, qui has latebras effugiens dixit, loco nuper citato, non esse querendum, an semen foras exeat, vel remaneat, quoniam diffiatur atque resoluitur, quenadmodum nec de coagulo, in cuius virtute est vñire lac, nemo id interrogat, quoniam corpus coaguli dissoluitur, & non fit pars casei & lactis. Sed si semen resoluitur, prius tenuaretur, & vterum tumefaceret, quod non fit. Coagulum præterea, in caseo manere, quis dubitare potest, densum enim ac terreum corpus est, in idoneum ut resolutionē admittat: hoc casearij aqua dissoluunt, & calenti lacti permiscent, cuius vi lac concrevit statim, in ipsoque manet caseo, & sero excuso. Ob id cū sero æger quispiā est refrigerandus, aut minimo coagulo, aut nō eo, sed aqua frigida, aceto, aut gnico, extrahendū esse præcipimus. Quin si lingue iudicio, penitus nō careamus, coagulum non nos latebit in caseo, ex maiori enim, aut minori morfu, plus aut minus coaguli, caseo inditum esse, solemus dicere. Sed iam semen, materiam fœtus esse, alijs rationibus comprobemus. Fœtus in vteri cavitatē cōcipitur, in qua sanguinem corrumpi, & in gruum abire est necessum: vbi enim venas egreditur, tale quid pati semper assolet: Nec vis quæ à semine sibi impartitur, eam sanguinis concretionem, & corruptionem impedire potest: si enim cum semen ad vterum venit, sanguis is, iam cavitati inerat, prius cœpit corrumpi, quam à semine perfici: si vero erat in vteri vasis, quomodo à semine potuit alterari? & quo agente in vterum trahitur, in vnum fœtum acceruat, & secundis vestitur? Tertio, non ob aliud, semen esse

esse fœtus materiam negant, nisi quoniam semen se ipsum formare, student vitare: quod tamen nec sic euitant, nam postquam semen, in flatum dissolutū est, & euauit, sanguini vim impertiuuit, qua se ipsum formet: Multo igitur fuit satius, quod in sanguine dicere coguntur post multas ambages, in semine ab initio statuisse. Venæ insuper, arteriæ, nerui, ossa, cerebrum, & aliæ partes radicales, albæ cum sint, & exanguæ, ex alba materia gigni debuerunt: & cum sint concavæ, & in longitudinem protensa, lentam materiam, quæ distendi, & perforari posset, postularunt: Ex semine ergo constat, albo pariter atque lento, nō autem ex sanguine rubro, atque fluido: nisi sanguis prius, in illum colorem & lentorem commutetur. Temere autem ageret natura, si materiam albam, lentam & crassam, quam habet, eijciat: ut sanguinem postea mutet, in talem substantiam qualem eiecerat: siquidem eam non eiecisse præstiterat. Quinto, plantæ aperte vel ex ipso Aristotele, non solam vim, sed etiam materiam exhibent, in generatione ipsarum: animalia vero quantum attinet ad generationem, nutritionem, & augmentum, non secus ac plantæ proueniunt: Neque enim quod triplicem speciem in animalium generatione vides, aliud quid esse quam plantam: quæ modo est semini formis, deinceps sanguinea, aut carnea, & postremo è loco in locum transfutura, debes existimare: cum vtraque eundem opificem, eandemque vegetabilem animam habeat. Illud enim considerandum est, plantam non hac amissa, quam habebat prius facultate, sed alia insuper acquisita, in animal esse euasuram, & vbi perfectâ absolutaque à vulua fuerit, è loco in locum transiuram. Quocirca Aristotelem merito accusat Galenus, non modo quod neglexerit ea quæ non debuit, verum etiam quod suorum decretorum oblitus, naturæ opera, diuerso modo in plantis, atque in animalibus exponit: cum videret enim semen, in omnibus plantis, materiale non minus, quam fabricatorium principium in se continere, aufert horum alterū in animalibus. Atqui viro naturæ perito, id solum satis fuerat, ut vsum ostenderet genituræ: nam si seminis natura, non alijs facultatibus plantam, alijs animal creat, quæ in alijs contemplaris, ea ad animalia transfer: vtraque enim in vtrisque proportionem seruant. Plantæ semen, terra indiget, ut ex ea alatur, & augeatur: & radicibus, ut è terra hauriat alimentum: sicque nutritum, è se ipso emittit truncum, atque è trunco ramos, eosque in surculos diffundit, mox in virgas, easque rursus in alias, atque id tantisper quoad in summa flagella, ac cacumina deuenerit: Nostrum pari modo semen, vulua opus habet, quæ terræ respondet: & chorij vasis, quæ sunt radices fœtum, per quas è vulua alimentum allicit, truncosque tres, è tribus principijs, ab vnoquoque principio vnum producit: è iecore cauiam venam, è corde aortam, è cerebro vero spinalem medullam: hi ex se propagine multas quasi ramos emittunt, qui rursus in alios minores scinduntur, ac rursus in minores, nec rursus desinit hoc fieri, quam in vltimis pullulationibus, opus absumat: persimilia igitur naturæ opera, in animalibus ac plantis percensuisse debuit Aristoteles. Sexto, nam si iam genitorum animantium, nutritionem spectemus, non aliter quam ex semine & alba substantia radicalia membra

aliqua hinc de  
 vniuerso semine  
 mali non esse  
 fe. h. 2

3

bra



bra constituisse credemus: tale enim quid per nutritionem sufficitur, quale fuerat absumptum: fuit autem absumptum seminale & album, tale ergo reponi debet, non sanguineum atq; rubrum. Quauis enim ex sanguine ducat ortum, sanguinis qualitates prius amittat, & seminis candorem, atque crassitiam, induat oportet: ut verum semper sit, ex eisdem nos generationem & alitionem subire. Idem etiam docet, deficientium membrorum regeneratio, os enim & reliqua seminaria membra rescissa, non renascuntur: quoniam deest ipsis seminis abundantia, quibus ut carnosae regignantur: si autem ex sanguine prouenirent, non minus quam caro regigni possent. Ob idque, non infirmius huiusce rei argumentum, summitur ex regeneratione, item & ex nutritione, quam ex creatione prima. Quibus adde quod natura, tot semper unicuique rei usus, quot potest accommodat: magis ergo prouida erit, si ex semine, vim & materiam summat, quam si solam vim. Nec obstat, quod pisces femine, prius oua pariunt, & post à mare fecundantur, ad oua ipsa accedente, & ea extrinsecus irrorate: quo actu seminis materia non manet in ouo, sed sola vis: nam prater quã, quod ouum iam est completum, torretes aquarum semine lauãt, & non permittunt ouo adherere. In insectis etiã inquit, femine non admittunt genitale maris, sed potius immittunt maribus genitale, ut vi citra materiam, in femina genitali recepta concipiãt. Perdices etiã, & gallinae, oua subuentanea gerentes, si sui generis masculis coeant, quauis oua, praecortice densitate, semen maris intus meare, non admittant: fecundantur tamen, quoniam vim citra materiam recipiunt. Quin sepe visum esse (inquit) oua ab vnus galli semine inspergi, priusquam ex luteo colore in album permutata sint: & post cum iam alba, & cortice vestita sunt, si generosior admissarius, eadem suo semine affecerit: pullos nasci posteriori gallo similes, non priori: Si autem semen, in materiam fetus veniret, aut eadem pars duplex nasceretur, aut puli priori gallo similes prouenirent. Non obstant (inquam) Primo, quoniam natura, dedita opera nos à reliquis animantibus separauit, sicut & animantia à plantis, in quibus sexus non sunt separati. Secundo, quoniam quae de insectilibus, & aqua natantibus piscibus narrant, inscrutabilia & in abdito posita sunt: quae vero de perdibus & gallinis aperte falsa: maris enim semen, in ouo umbellam facit intra corticem, cum intraneo humore permixtum. Oua autem subuentanea, umbella carent, incompleta sunt, & infœcunda. Utque virgines, & clausae, grauidari possunt, roris modo, ob vteri auiditatem tracto humano semine, ita in ouum, potuit galli semen, ante durioris corticis concretionem meare: si tamen vera narrant, ego enim oua iam cortice vestita, fecundari non posse existimo. Ad id vero, quod de duobus gallis referunt, aut primus gallus ab ipsis coire visus, fuit tunc infœcundus: aut à diuersis gallis, diuersa oua fuerunt fecundata: aut secundum galum intente respexerunt, gallina & primus gallus cum ea congregiens. Nam quid obstat, quominus vtrilibet horum fieri possit? vtrumque enim ex ijs est, quae fieri plane queunt. Sed iam his nanijs ipsorum relictis, alias siquas habent obiectiones audiamus.

Sanguis

Sanguis (inquit) menstruus, si partialis materia est, cur totalis esse nequibit? Praesertim quod praecipua membra, cor, & iecur, sanguine gignuntur, ergo ignobilium materiam, facilius idem praestabit sanguis. Sanguine praeterea nutriuntur omnia membra. 2. lib. de naturalibus facultatibus, cap. 3. ergo eodem genita sunt: siquidem iisdem sumus & nutrimur, ut scribit Gal. 2. libro de Semine. Idem praeterea agens esse simul & patiens, natura non patitur, esset enim actu simul & potentia: agit namque per id quod est actu, cuius potentiam habet id quod patitur. Facilis tamen est horum omnium expeditio, nam cum duplici membrorum genere constemus, seminali scilicet & carnosae, duplici quoque opus fuit partiali materia ex qua conformaremur, semine scilicet & sanguine: non vnica. Cor, etiã & iecur, ex ambabus constant, ideoque vtramque materiam requisierunt. Omnia autem membra, ex sanguine nutriuntur, ceu ex materia remota, quae in propinquam, cuius membro affinem transit: mammae enim nutriuntur lacte, ossa medulla, pulmo spumeo quodam humore, testes perfectissimo semine, & radicalia caetera seminiformi quadam substantia alba, quae quauis exactum semen non sit, (quoniam ultimam testium elaborationem non recepit) semini tamen est quam simillima. Omnia autem dicta, ex sanguine genita sunt, qui omnium membrorum commune alimentum est, & vltiori vniuscuiusque coctione, in proximum, & immediatum cuiusque rorem transit, ut. 5. libro Aphor. com. 39. Galenus est autor. Iam vero quomodo semen, seipsum formare possit, & quomodo diuidatur in spiritum formatorem, & partem quae formationem suscipit, & supra diximus, & infra repetemus. Nunc vero sat sit obtinuisse, semen esse principium, & elementum, tam actiuum, quam passiuum, corporis humani: nam quauis reliqua etiam animantia, & plantae, semine constant, solum corpus humanum, in medici considerationem venit, reliqua vero aut non curat, aut eatenus tantum considerat, quatenus in humani corporis fabricam noscendam, seruandam, vel corrigendam nos manuducunt. Quare tam exacta piscium, & caeterorum animalium, plantarum, ac mineralium tractatio, ac nostro aeuo quaeritur, valde medica non est: & forte a vero artis fine nos auertit. Nunc vero ad reliquas, definitionis partes excutiendas reddeamus.

Ex parte sanguinis aërea, oleosa, & pingui, semen gignitur, vitae siquidem principium erat futurum: haec autem calido & humido seruat, in eoque consistit: quare cum sanguis, ex omnibus constet humoribus, valdeque sit dissimularis, ex puriori & perfectiori eius parte gigni debuit semen. Quod ostendunt vasa seminaria, à vena & arteria magna orta, quae purum sanguinem, & spiritum deferunt, gignendo semini aptum. Semen etiam ipsum ad sensum, valde spirituosum & spumeum visitur: Ob idque semine excreto, quauis non valde multo, vires valde infirmantur, & maesti redimur: cum tamen sanguinis largissimas vacuationes, innoxie interdum feramus per menses, emorrhoidas, narium fluores, & venae sectiones: tantumdemque ob id referre voluit Auicenna, semel coire, ac quadragesies tantum de sanguine amittere.

Elabo-

Elaboratur autem vi testium, tum in se, tum in seminarijs vasis; non admodum angustis, valdeq; ob id inuolutis, & varicosis, vt coctionem non subterfugiat. Cum enim natura ex materia coquenda, alium vsu intendit, praeter alitionem membri coquentis: auctiora creat conceptacula, quam vbi sola ipsius membri nutritioni incumbit. Sic ventriculi cavitatem adauxit, vt non modo ventriculo, sed reliquis etiã membris sufficeret. Sic mammarum vasa, ampliora fecit, pro nutriendo puero: & venas atq; arterias seminarias, capaciores pro gignendo fœtu. Vbi vero exactam materiae coctionem intendit, viam ipsi parat nō rectam, sed flexuosam, & multiplici plexu ac circunvolutione implicatam. Sic exacte coquitur lac, in vasis mammillaribus inuolutis: & animalis spiritus, in plexu choroide: & semen in testibus, & tortuosis vasis seminarijs, quæ vitiū capreolis, non inepte ab anatomicis conferuntur: nam sanguis, qui ad horum vasorum initium ruber erat, sensim alterari, & albescere incipit, & quo propius ad testes accedit, albior & crassior adeo euadit, vt minimus iam restet testibus labor, in semine perficiendo: in testibus enim postremã recipit elaborationem, animam vegetantem, & vim gignendi, quæ eiusce animæ est potestas. Quæ omnia ita docet anatomie, vt nihil in ipsa exercitatis euidentius sit, quam semen ipsum in ipsis testibus procreari, in illis contineri, & ab illis per coitum emitti, vt Galenus adnotat, & oculorum fides ostendit. Quare errat Aristoteles. 2. lib. de generatione animalium, cap. 5. à septo venire affirmans, nusquam enim in septo contineri semen, aut ab illo meatus aliquos ferri in pudenda, quisquam fuit conspicatus. Simili errore tenetur Auic. 20. 3. tract. 1. cap. 3. vbi à tribus membris præcipuis, semen ceu à fonte & radice effluere, & ab alijs mēbris (tertia coctione expleta) ad hæc præcipua resudare censet. Sed cum nulli appareant meatus, à tribus principijs ad testes, nec quomodo à singulis membris, ficta illa veniat resudatio seminis, nobis nō admodum placet dictus confluxus. Minus placet Hippocrates, qui libro de genitura, è toto corpore colliquari, & spumescere existimat, propter motum venereum dissoluentem, ferrique in spinalem medullã: in quã ex vniuerso corpore, & ex cerebro, è quo magna seminis pars deciditur, viæ permultæ concurrūt: A spinali itē medulla ferri in renes, ad quos per venas via patet: à renibusque per medios testes, ad pudendum peruenire, alio quidem quam vrina itinere, sed ipsi contiguo. Quæ tamen erroris ex anatomis imperitia prodeuntis plena sunt. Nec enim ex vniuerso corpore, in spinalem medullam vasa aliqua ducuntur, sed ex ipsa potius medulla solidi nerui, motum arbitrarium corporis musculis afferentes nascuntur. Nec à spinali medulla, aut vena, aut arteria, aut neruus aliquis ducitur ad renes: A sextæ enim cerebri coniugationis ramis, ea parte qua illi in coxas diffunduntur, satis graciles nervos recipiunt renes, aliunde autem nullos. Nec à renibus in testes, quicquam deriuatur, præter vrinaria vasa, quæ in vesicam, non in testes inseruntur. Nec cōtigua sunt vrinaria vasa, vasis seminarijs, sed longo interuallo distantia: vterque enim à renibus ad vesicã feruntur, seminaria vero vasa, semē præparãtia, quatuor sunt, duæ scilicet arteriæ,

& totidem venæ, ad testes delatæ. Arteriæ ex arteriæ magnæ trunco, sub emulgētibus nascuntur ambæ: ex venis autē quæ dextra est, è trunco venæ cauæ, sub emulgēte prodit, sinistra vero ab ipsa emulgēte, vt sanguinē salso humore aliquantulum permixtum, in sinistrum testē deriuat, pro titillatione, & incitatione ad venerea, vt anatomici suspicantur. Quomodo ergo vasa hæc, vrinarijs vasis erunt contigua, si illa ex arteria magna ante renes nascuntur, & ad testes vsq; extra corpus propendentes descendunt: & rursus à testibus ad parastatas, ad penis radicē sitas regrediuntur, semen exacte confectum illis deferretes? Vrinaria vero vasa, è renibus tantū in vesicã pertinent? In eo etiam errat, quod semē, corporis colliquamentum, propter motū venereum, ex vniuerso corpore liquatū, & spumescētē esse arbitratur: eã siquidē opinionem, satis superq; expulit Arist. 1. lib. de Generatione animalium, ratione multiplici. Primo, quoniam semen secundum naturã est, colliquamentū vero præternaturam. Secūdo, si esset colliquamentū, semper læderent actus venerei. Tertio, colliquatio siue ex febre, siue ex labore, aut venere contingat, nullū locū destinatum habet, quo defluat: semen vero habet seminaria vasa, testes & parastatas. Quarto, nã per febres colliquantes, plurimū seminis proueniret, & maxime incitarētur ægri ad venerē. Quinto, nã imbecilli homines, & pingues, qui maxime colliquantur, paucum habent semen, hi, quoniã totū alimentum insumunt, in corporis nutritione, illi vero, quoniã parū resistunt, causis colliquantibus: contra vero graciles, & fortes, qui vix colliquantur, pluri semine, eoq; fœcundo abundant. Sexto, nã corporis pinguedo, à corpore decisa, atq; liquata, quo pacto aut animata erit, aut vim gignitiuã, & patri similitudine fœtū procreandi habebit? His sane rationibus, lucæ clarius constat, semen colliquamentum non esse: vnde colligit Aristoteles, excrementum esse, alimenti sanguinei. In quo sibi ipsi pugnantia scribere videtur, excrementū enim definit. 2. lib. de generatione animalium, cap. 4. esse quod incoctū remanet, & terrenum simul est in corporibus: Semē vero exacte coctū est, non terreū, sed aëreum & spumofum. Si excrementū præterea est, & quid incoctū, quomodo inerit ipsi, tã insignis gignēdi vis, ac ipse, sibi inesse cōcedit? Excrementū ergo interpretemur, semē esse, sola quãtitate superfluēs, quæ nihil aliud est, quã pars alimēti, proxime antecedens conuersionē in mēbra: nec tamē id omne, verū semen est, sed quod è testiū nutritione superfluit, vt diximus. Nã quauis, seminaria totius corporis mēbra, substantia quadã alba, semini valde simili nutriantur, verū semē, maxime coctū, & animatū, vi præditum gignitiua: in solis testibus, & inuolutis meatibus, ad id à natura dicatis generatur: quod enim infœcūdū semē est, seminis appellationē nō meretur. Quare quauis ab vniuersi corporis mēbris, substantia alba, & semini valde similis, ex ipsorū nutritione redit dās, iã iã in ipsa mēbra vertēda, ad testes pelleretur, à vi mēbrorū expultrice, aut testes ipsi, venereis exhausti, ipsam à mēbris allicerēt (vt sæpe sæpius, in ijs qui præter modū veneri indulserūt cōtingit) nisi in inuolutis meatibus, & testibus morã cōtrahat, & elaboretur, semē nondū est, nec gignere potest, nec ad simile mēbrum, ei à quo

semē Eporemi,  
solum quare

deciditur procreandum, quicquam valet, quoniam gignens seminis facultas, non alibi quam in testibus viget. In ipsis vero testibus, hæc vis adeo præstat, ut animam vegetantem, quæ seminis est forma substantiæ, in alimentum ibidem elaboratum, prompte inducere possit. Quo circa reprehendendi merito sunt, qui ab omni parte, semen emanare contendunt: aliter enim non vident, quomodo adunco, aut resimo naso, fœtus simuletur parentibus, nisi ex parentum naso, semen similem nasum effingens, sit derivatum: nec quomodo ex manco, generetur mæcus, nisi deficiente semine, eius manus qua carebat pater: nec quomodo, in concubitu, oblectamentum toto corpore sentiamus, nisi è toto corpore semen secedat: nec quomodo, uniuersum corpus venus debilitet, & maxime caput, nisi uniuersum corpus semine exhauriatur, cuius maxima pars sit à cerebro, ut voluit Hippoc. lib. de genitura, & Auic. 20. 3. trac. 1. cap. 3. Nec quomodo incisio venarum quæ retro aures sunt reddat steriles, nisi intercepta via seminis, à cerebro venientis. Quibus tamen respondemus, quod testes in animantibus, talem vim habent, qualè persica, cerasa, & alij fructus plantarum, creandi scilicet in se, semen, quod formam, & naturam, singulariter partium refert: Ac quæadmodum horum arborum semina, citra hoc, quod ab omnibus plantæ partibus prodeant, generant ex se, persimilem arbori, ei à qua decisa sunt: ita in animalium semine, euenire est fatendum: quoniam vis formatiua, cuius admiranda sunt munera, datur plantarum semini in fructu, & animantium seminibus in testibus. Hæc vero cum omnium membrorum sit effectrix, & eius similitudinis conscia: ex materia apta, simile formare potest, non modo in seminarijs, à quibus semen decidi posset, verum & in carnosiss, quæ semine non remittunt, & in vreguibus, verruca, pillis, cicatrice & alijs, à quibus nemo, semen delabi speraret. Sic ex manco mancus creatur, nisi alterius parentis sani, & integri semen, vitium alterius emendauerit: aut semen ex manco decisum, tam validum sit, ut seipsum emendare possit. Nam ut formans facultas, in nobis, deficietis membra, interdum creat, & ubi non potest, supplet simillima defectis, quantum potest: ita & melius, cum in semine est, eadem creare studebit: materiam enim habet maxime obsequentem. Inde fit ut deauriculatus deauriculatum non gignat, quoniam exigua vitia corrigere est potis. Oblectamentum vero toto corpore sentimus, ob consensum ad pudenda, quæ valde oblectantur: sicut enim membra compatiuntur & condolent alijs, ita etiam oblectantur & commouentur ex aliorum delitia. Venerea vero dum temperanter obeuntur, miram ad functiones omnes alacritatem adieciunt: à quibus calidi & humidi, si abstineant, non leuiter læduntur: retentum enim in testibus, & vasis seminarijs semen, corrumpitur, & praua symptomata affert: Cum autem immodice, & procaciter veneri quispiam indulget, læditur & imbecillior euadit, quoniam testes exhausti, alimentum ab uniuerso corpore subtrahunt. Læditur autem magis cerebrum, & nervosæ partes: tum quoniam frigide sunt, & lapsu frigido facilius labuntur, tum etiam quoniam noxa magis deprehenditur, in organis sensuum quam alibi. Non minorem namque noxam, contrahit ventriculus quam cerebrum, à quo tamen nemo seminis copiam

deducit. Venis autem retro aures sectis, homines sterilescere, aut verum non est (quod credunt docti) aut alia de causa in nature arcanis reposita contingit, eæ enim venæ, prorsus sunt externæ, ad partium tantum externarum nutritionem datæ, non autem deferendo semini ex cerebro, quod non pertingunt. Constat ergo ex dictis, semen ab omnibus membris non decidi, ut Hippocrati & alijs antiquis placuit: quos præter ea quæ dixi argute satis reprehendit Aristoteles, cuius rationes primo libro de generatione animalium, cap. decimo octauo, diligenti lectori legendas relinquo. Sed vereor, ne dum suam opinionem inuehere studet, in hanc quam tam solícite explosit, recadat. Eo enim solo differt, quod alij solum recedere à singulis partibus, semen putent: ipse vero primum accedere ad illas, ex corde ubi fuit genitum, deinde recedere ab eis statuit: nam nihil referret, ad partes omnes semen accessisse, ut omnium similitudinem reportaret, nisi ab omnibus recessisset, ut omnium etiam similitudines in fœtu cuderet. Vnde quarto libro Problematum, problema te. 22. ab ea opinione non recessisse, monstrat verba sequentia. Quare qui concubunt, resolui atque languere magna ex parte solent? an quod semen, omni ex parte corporis secretio est. Itaque ut ædificij constructio, sic corporis compactio quatitur, dum semen decedit. Hæc Aristoteles, de cuius opinione non amplius: Nam præter pugnantiam, quæ sua secum claudit doctrina, innititur sententijs aperte falsis: quod cor scilicet sanguinem toti corpori gignat: cum constet iecur esse autorem sanguinis, non cor: & quod semen in corde gignatur, in quo, nec seminis aliquod præludium, fuit unquam visum, ut nec in testibus, ad id natura dicatis, verum semen defuit.

Sed iam hic alia, hic vir iacula, in nos retorquet, non vult enim testes semen conficere, neque necessarios esse ad generationem: quoniam multa animalia, pisces, & serpentes, sine testibus generant. Alios præterea usus memorat, ad quos testes creauit natura, in quibusdam pendentes, in alijs dorso hærentes. Hos quidem ad castitatem, illos vero ad robur conciliandum: qui dorso enim hærent, semen in se recipiunt, & remorantur, ne crebra irritatione, excitet ad venerem ea animalia, quæ casta esse oportet: & retrahat ea, à præstantioribus munijs, quibus incumbere fuit melius: ut quæ cæcum intestinum, hunc præstat usum, in remoranda fœcum excretionem, ita testes eiusmodi, in coitione retardanda valent. Qui vero è corpore pendent testes, sunt (inquit) ut pondera, quæ vasa seminaria, sua natura flexuosa, & inuoluta, ne retrahantur tendunt, & recta reddunt. Primo, ne seminis morosa, perfrigerata, & infœcunda, reddatur ei aculatio, & si rescentur nulla: prorsus enim tunc occluditur via, tum defectu eiusce tensionis, tum etiam ob callum ad oscula vasorum genitum, in loco præcisionis, cuius ratione seminis descensus intercipitur. Secundo, ut cor, eorum pondere tendatur, atque firmetur. Hac enim tensione robur, audacia, & cordis firmitas, comparatur tauris: eiusque defectu adimitur bobus, & omnibus animantibus ex castratura. Ex quibus demum colligit, testes generationi necessarios non esse, sed ad dictos usus creatos. Quod experimento iam



confirmatum esse, perhibet in tauro, qui statim à castratura, antequam occaluerit vulnus, vacam impleuit.

Hæc cum apud Aristotelem doctissimum, perlego deliramenta, humani intellectus fragilitatem demiror, & ulterius progressus, video nullam à vero tam auersam opinionem fuisse, quam multi sapientes non coluerint: Vereorque ne dum hæc scribo, in peiora dictis incidam imprudens. Nos tamen hic Aristotelis errores, prius à Galeno animaduersos ostendimus, alij nostros forte notabunt. Nam si animalia quædam imperfecta, sine testibus gignunt, cur non erunt necessarij perfectioribus, quibus à natura sunt dati? Plantis quidem sufficit fructus, ut in ipso suum proueniret semen: imperfectioribus illis, quibus testes sunt negati, sufficit pars quædam testibus proportionalis: perfectioribus vero animantibus, testes fuerunt valde necessarij, nã & in multis alijs, hæc ab illis, & nos ab utrisque natura distinxit. Quod vero de bobæ refert, qui vacam statim à castratura impleuit, ridiculum est: nam dolor ex castratione illatus, à coitu eiusque desiderio ipsum auerteret: aut quis fuit eius vacæ conscius custos, qui sciuerit ante aut post castraturam, alterius tauri congressum non sustulisse? Quod si certam adhuc historiam narrare contendant, argonque testem adhibeant: ex semine in parastatis, ad penis radicem, & vesicæ fines, congestum, in quibus plus seminis, quam ad tres, aut quatuor vitullos serendos acceruat, eam grauidationem contigisse dicemus. Quod vero testes dorso hærentes, castitatis causa tributos fuisse existimat, male quadrat gallis gallinaceis, & plurimis etiam passerculis salacissimis. Homo præterea, dorso hærentes, non autem pendulos, deberet habere testes, ob castitatem, quæ virtus eximia est in ipso: inter alia enim animantia, parum refert, hæc aut illa castiora esse. Deberet præterea sufficere, seminalium vasorum inuolutio, ad moram in irritatione & excretionem seminis comparandam, quam per testes dorso hærentes comparare studet: sicque superflui essent hi testes. Adhæc si penduli testes, sunt necessarij ad tensionem vasorum inuolutorum, animalia quæ eosdem habent dorso hærentes, deberent habere pendulos, siquidem meatus etiam varicosos habent: Aut si his quidem non pendent, neutri indigent ea tensione: nec reliquis quibus pendent, ob tensionem sunt necessarij: sed in utrisque, alter erit testium vsus, ab ijs quos memorat, communis pendulis, & hærentibus. Cui attestatur, persimilis in utrisque, seminea, alba, & mollis substantia, cuius figura: ad diuersos enim vsus quos ponit, diuersa substantia, & figura conuenientior foret, vna quidẽ in pendulis, ad grauidum & tendendum: & altera ad recipiendum semẽ, & coitionem remorandã in hærentibus dorso. Vnam ergo cū utraq; habeat substantiã, semini coagulato similem: vnam etiam vim, consimilis seminis autorem habeat oportet: facultates enim apud Galenum, substantiarũ proprietates consequuntur. Adhæc si seminalium vasorum circunvolutiones, inspexisset Aristoteles, vidisset eas nõ posse tendi: quoniã hærent partibus circunvicinis, & quoniã si tenderentur, procederent

ad

ad longissimum interuallum, quadruplo etiam maius, quam id, ad quod testes propè dent. Eunuchi præterea essent fecundi, & valido corde præditi: nam contusi testes, parum minus & pendent, & tendunt integris: extracti vero, coequari possunt, equali pondere, ex ferro, aut ligno, ipsis meatibus appenso. Intemperies etiam testium, non posset animal reddere infecundum, siquidem ex ea non mutatur pondus. Quo præterea nexu, testes neclantur, & copulètur cordi, ut illud tendant, declarare debuisset, nullum enim tale vinculum esse, docet anatome. Quod insuper est hoc robur, & firmitas cordis, ex tensione pendens, nisi arcus sit, aut balista, dicere ne quibunt. Robustiores adhæc essent, & animosiores semper, qui maiores testes habent, quod non fit. Est ergo testium vsus, semen prolificum creare, pro sui nutritione, maiori tamen copia, quam indigeant ipsi: quemadmodum ventriculus, qui sibi tantum chylum conficit, tanta tamen copia, ut in vniuersum corpus possit redundare. Ob idque excrementum quantitate, & non qualitate degrauans, semen appellamus, quoniam pars alimenti ipsorum est, qua non indigent testes, eo quod pauciore in nutritione sui insummunt.

Intercedente autem concubitu, à mare & femina, in vterum semen simul eiaculari debere, & sibi inuicem permisceri (si semen, & animalis principium vocari debet) diximus. Deliciosum enim maris & feminae concubitum (ut animantia in procreationem alliceret) atque inuitaret, summo consilio, & arte, ordinauit natura: ne ex aqua balnei, in qua viri semen remanserat, mulierem concepisse dicat Auerrhous. Simultanea autem vtriusque futura esse debet eiaculatio, quoniam ex duobus maris, & feminae seminibus, vnum fit principium actiuum, & motuum conspiratio in vnum, autore Galeno, decimo quarto libro de vsu partium, capite septimo: vnde est illud lasciuientis poetæ. Odi concubitus, qui non vtrimq; resoluunt. Et simile aliud, in quo tarditatem requirit à viro, ut simultanea fiat vtriusque eiaculatio. Crede mihi, veneris non est properanda voluptas. Quæ tamen si lasciuie non audiatur, magnam ad conceptus vim habent: suntque tam vir quam mulier hortandi, ut studeant eodem momento ambo resolui.

Sed iam quis hic ferat Aristotelem, semen feminis adimere volentem, primo de generatione animalium, capite decimo nono: & lib. 2. de generatione animalium, cap. 4. impossibile enim putat semẽ ipsas generare, & mēstrua: menstruum enim ex incoctione, semen ex optima coctione fit: cū ergo mēstruis abūdēt, semine careāt oportet. Humiditas etiã vterũ madefaciens, ex cruditate pēdet: nec seminis nomē meretur, nec generationi est necessaria: si enim necessaria esset generationi, omnibus feminis cōtingeret, cū tamē viragines, nigriores & fusca, nullũ semẽ, nec humiditatẽ eiusmodi habeant. Adde quod feminae nõ emaciãtur ex concubitu. sed potius vegetiores reddũtur: ergo semẽ non excernũt ut viri. Mulieres etiã refert, non oblectari ab excretionem seminis (quod nullũ habent) sed ex frictione, & titillatu, rarefaciẽte humiditates, in vtero cōtētas: argumẽto quod pueri & eunuchi, quibus nõ est semẽ ea

h 3 ratione

ratione oblectantur. Hoc tamē dogma, Galenus lib. 1. de Semine, magnis rationibus, & experientie fide improbat. Habet enim femina vasa seminaria preparantia, & sanguinem dealbantia: testes quoque, vltimam manum, ei coctioni imponentia: & vasa delatoria, ad vterum, coctam eam materiam deriuantia: ita vt tam vasa vtraque, quam testes, multa, alba, & crassa substantia plena atque turgētia, in feminarum dissectionibus, non aliter quam in viris reperiantur: qua cum abundant, procliuēs in venere feruntur: eaque si non vtantur, vterinis molestantur affectionibus, a quibus releuantur, aut obstetricum titillatu, aut marium accessu semine excreto. In cuius excretionē valde oblectantur, & ea peracta cesat libido: Quod magis adhuc quam mulieres, monstrant bruta, quae stas temporibus concipiunt, & furētia mares querūt, interno semine stimulata: quo tempore eorum testes, & seminaria vasa (vt monstrat dissectione) semine valde turgent: statimque a concubitu ipsa conquiescūt, ita vt mares amplius admittere nolint. Tantumque huiusmodi vasa, & testes semine turgentē, ad libidinem, & conceptus faciunt, vt quae ē brutis castrantur feminae, (quod in porcis quotidie videmus) in posterum non coeant, nec concubitu vlla ratione aut ament, aut sustineant. Quod sane non fieret, si sine vsu essent feminei testes, & eo tantum feminis a natura tributi, vt essent nobis veluti nota eius membri, quod in maribus est vtile: perinde ac mari exiguae tribuuntur papillae, seu nota perfectarum mammarū in feminis: Os etiā sacrum ad vltimū fastigiātū in hominibus, caudae brutorum est index: & oculi talpae occlusi, nota sunt quae talpis inuritur nostrorum oculorum. Hoc enim Auerrhois subterfugium. 2. collect. cap. 10. locum non habet, in testibus, & vasis seminarijs feminarum: quae magna sunt, perfecta, & semine plena, libidinem, & conceptus promouentia, cum adsunt, & impediētia, cum desunt vt diximus. Inter viros praeterea, raro inuenias quempiam, rei venereae tam inexpertum, qui non sentiat, cum mulieres semen ei aculantur, penem sibi aspergi, & seminis profusione cale fieri. Ipsaeque mulieres, id sentiunt incorporibus suis, ante excretionē, & in ipsa excretionē, idque sponte fatentur, & sepe fatentur, quibus de his quae sentiunt, non est detrahenda fides. Et quamuis ex confricatione oblectentur, toto tempore concubitus perinde ac viri, maxima tamē in huiusmodi excretionē, oblectatione tenentur: & non cesat libido, & delitia, donec excretio finiatur: quod sane euidentis est argumentum, semen id esse quod excernunt: nam aliarum humiditatum, aut menstrui excretio, sine libidine & delitia ipsis contingit semper. Non modo autem oblectantur, in excretionē seminis, iuncta confricationi, sed etiam dormientes, cum somniant se coire, vbi omnis deest frictio rarefaciens, non leui voluptate tenentur. Menstrui praeterea, & aliarum humiditatum excretionem, nec tardare nec accelerare feminae possunt: seminis autem effusionem, & tardant & accelerant, maiori aut minori libidine, tardiori aut concitatori motu actae, perinde ac viri: simili ergo tenentur seminis excretionē vterque. Viragines praeterea, fuscae & nigrae, quas semen non excernere dixit, vt minus de humiditatibus vterum madefacientibus habent, ita plus

seminis

seminis gignunt, ob bonam coctionem, & frequentius in concubitu illud ei aculantur. Quo fit Aristotelem, perperam intellexisse, vteri excrementum pro semine, cum reliquas mulieres eo redundare, & viragines prorsus carere scribit. Nihil praeterea incommodi esse, menstrua simul ex incoctione prodeuntia: & summe coctum semen, ex vtilissima & bene cocta sanguinis parte genitum, feminas habere notum est. Feminae vero in concubitu minus viris emaciantur, quoniam minus seminis excernunt: emaciari tamen ipsas dubium non est, quoniam semen & ipsae excernunt. Quod quo modo negare possit Aristoteles non video, cum libro quarto de generatione animalium, capite primo, ita scribat. Maris autem semen differt, quod principium in se continet tale, quo moueat, & alimentum in animali vltimum concoquat. Feminae semē materiam tantum praebet. Quare fatetur feminas semen emittere.

Iam vero maius nobis paratur cum Aristotele bellum, an scilicet foemineum huiusmodi semen, sit efficax, vimque habeat agendi, in hominis procreatione: an solius materiae vicem gerat: an vero vtrumque praestet, vim scilicet & materiam. Aristoteles enim, atque Atheneus, semper formidarunt, in semine vim agendi, simul & a se ipso patiendi statuere, ob idque masculinum semen, agere & formare foetum ex menstruo, cuius ipsum semen non esset pars: & foeminam nullam efficaciam praestare, sed idoneam tantum materiam generationi, exhibere voluit: partitamque esse agendi, & patiendi potentiam, illam masculo, & hanc solam, solae foeminae tribuit. Ob id, semen foeminas habere negauit, quoniam de ratione seminis esse foecunditatem, vim agendi, & tale quid procreandi, quale est id cuius est semen, recte intelligebat. Nobis ergo, qui iam confecimus, foeminas semen habere album, & crassum, in testibus & seminarijs vasis, parum digladiandum restat. Cur enim in persimili semine, & a persimilibus organis genito, & per concubitu similiter, cum libidine & oblectatione excusso, persimiles vires non ponemus? Praesertim cum mas, atque foemina, eiusdem speciei sint, solis accidentibus & compositione variantibus: quibus persimiles esse facultates, & agendi vires, quoad sibi similem substantiam procreandam attinet, necessarium est. Nam accidentia in quibus differunt, dissidētia habere, nihil obstat, quo minus vnius naturae sint, vnius speciei, & vnius facultatis agendi, & procreandi sibi persimiles foetus. Accedit, quod supra etiam a nobis probatum est, semen non modo opificem esse, sed materiam etiam: quare si foemineum (vt mox diximus) verum semen est, vtrumque etiam principium praestabit. Similitudo etiā filiorum ad matres suas, manifesto conuincit, vim agendi, & interdum etiam superandi, habere foeminas. Non enim aliter redduntur similes patri, quam ob vim actiuam patris, quae materiam euincit, & sui effigiem cudit: ob eandem ergo matribus similibuntur. Quo fit, vt sophisticam, & parum consentaneam, Aristoteles causam, similitudinis filiorum, ad suas matres, tradiderit, quarto lib. de generatione animalium, cap. 3. vbi ex tribus eam principijs deducit. Quorum primum est, omne agens excepto primo, agendo repati. Alterum, quod agens aliquando magis patitur quam agat. Quae duo principia vt vera sunt,

b 4 ita

ita parum suae opinioni suffragantur. Tertium principium est, agens degenerare in oppositum, cum superatur: quare cum semen viri, vincere non potuit materiam mulieris, tunc fetus redduntur similes matri, ob degenerationem in oppositum. Quod sane principium apprimè falsum est, & deceptorium: obtunditur enim & irrita fit vis agentis, cum in passum agere nequit: in naturam vero materiae, & patientis non de generat, nisi ab actione, aut reactione contrarij, actu operantis, per vim contrariam, quam actu habeat oportet. Nam si ea vi careat quomodo aget? ergo si quod antea agebat, ei quod pati debet assimilatur: necesse est, ut id cui fit assimilatio, vim actualis agētis habeat: & ex consequenti materia, quam femina generationi praestat, efficax est, & vim actiuam habet, in suae prolis procreatione. Adhaec aut reagit materia, quam femina ministrat, aut tantummodo patitur: si reagit, quo modo fetus erit materiale tantum principium? si vero tantummodo patitur, masculo semini agenti, reluctari nequibit: actione enim reluctaretur. Nec valet si dicis, huiusmodi reactionem, fetus procreationem non attingere: sed per rebellionem, & qualitates à vi gignente diuersas fieri: si enim sanguinis interdum menstrui rebellio, tanta est, ut nec formam humanam, possit à virtute formatrice suscipere: constat reactionem eiusmodi, non fieri per vim, & qualitates facultati procreatrici subiectas. Non obstat (inquam) nam eiusmodi resistentia, id unum efficiet, ut quod gignitur, non reddatur simile patri, ut vero reddatur simile matri, sine vi actiua, & motu matris, facere nequit. Hinc cum in similitudinis filiorum ad parentes, & auos, causa vestiganda laborat Aristoteles, motum hunc maternum, non negauit: Motus enim concipientis (apud ipsum) in motum soluitur aui, si non in eam, in abau: ubi vero maternus motus non soluitur, tam expressam matris similitudinem filius refert, ut minimas etiam maculas, & cicatrices, ea ipsa parte, qua eas mater habet exprimat, quas sine motu matris, & eius virtute actiua gignendi per similem fetus prodiere posse, non capit intellectus. Nec obstat, quod terrae vitio, linum in lolium, triticum in typham, & ordeum in auenam degeneret, ex Theophrasto. 2. libro de historia plantarum, cap. 4. cum materia enim reluctatur formae, quam natura expetit effingere, facile in proximam, cuius dispositionem accepit labitur: cicatrix autem, & minimae etiam maculae, ad hunc materiae lapsum, nequeunt referri. Nec etiam obstat, quod mores tam matris, quam nutricis (quae solam materiam aperte praestat) transeant in infantem: ergo & effigies matris, melius transibit. Non obstat (inquam) nam animi mores, temperiem sequuntur, quae ex alimento variatur: effigies vero non tam sequitur temperiem, quam facultatem diuiniorum: ut scribit Galenus. 2. lib. de temp. cap. 14.

Sed adhuc multa, quae Aristotelis opinionem, probabilem reddunt, soluenda restant. Primum, quod agens à patiente debet esse diuersum, nihilque in seipsum agere potest: simul enim esset, & non esset, nam agit quoniam est actu, & patitur quoniam caret eo actu, à quo patitur. Secundum, quod si femina praestat vtrumque principium, actiuum scilicet & passiuum, posset femina sine viro concipere: nihil enim

praeter

praeter duo illa principia, ad conceptionem exigi ratio capit. Praesertim quod tam à viro, quam à femina, prodire potest semen multiebre & virile, validum & inuolidum, victum & vincens, ut scribit Hippocrates libro de genitura, ergo vterlibet, sine altero sufficiet. Tertium, si vterque sexus, vim praestat actiuam, aut idem producit mas, quod femina, aut diuersum: si idem alterum superfluit, & vnius duae essent cause proximae, possetque vnum, & idem, à diuersis provenire: si diuersum, id ostendat Galenus oportet, vnius enim fetus, effectricem causam quaerit Aristoteles: nisi eius forte caput procreet mas, femina vero crura. Quartum vnica motio, vnicum etiam habet motorem, ut scribit Aristoteles, octauo libro Physicae auscultationis, textu com. 82. Ergo multo magis, vna generatio, ab vno prodit generante, cum instantanea sit, & in substantialem formam, vnicam atque simplicem terminetur. Nam si duo generantia proxima, & immediata habentur, duas quoque generationes, statuere est necessarium. Quintum, si femina minus agit quam patitur, & mas minus patitur, quam agit: plantae in quibus sexus non sunt distincti, sed masculi simul sunt, atque feminae, magis agerent quam paterentur: & magis paterentur quam agerent: Quod cum sit impossibile, sequitur feminam nihil agere, sed pati tantum, contra ac mas. Accedit vltimo, quod Galenus, in sua non constitit sententia, interdum enim Aristotelis opinionem sequutus esse videtur, nam. i. lib. de Sanitate tuenda, cap. i. ita scribit. Sanguis, semenque genitale, generationis nostrae primordia sunt: ille ceu materies quaedam apta, concinatur, & opifici ad quiduis sequax: hoc opificis ratione obtinens. Libro etiam secundo, de Naturalibus facultatibus, capite tertio, maris semen ponit opificem, sanguinem menstruum materiam, illud Phidiae, hoc ceræ proportionem respondentem.

Haec vero omnia pro Galeno soluantur, nam agens à patiente, diuersum statuimus in vtroque semine: quod seipsum ob id format, quoniam vtriusque seminis vis agendi, viget in parte tenui, atque spirituosae, & patiendi in parte corporatiori. Accedit, quod nemo vnquam fuit veritus statuere, quolibet partem nostri corporis, seipsam nutrire, atque augere, per vim vegetantem quam habet: cur ergo seminis in seipso actione, tantum formidant? calidum sane, aut frigidum, seipsum calefacere, aut infrigidare nequit, actu enim, & potentia, haberet calorem: informe vero semine, se ipsum si formet, per vim quam habet informatricem, aut pars animata, si se ipsam nutriat, per altricem, nihil tale sequitur: sed potius fit, ut propter duorum, agentis & passi cohabitationem, facile vis illa formet, & haec enutriat, materiam in qua sedet: quae propter arctissimam coniunctionem, functionibus & motibus, virtutis in ipsa habitantis obsequitur. Quippe natura illa, quae particulas effingit, & sensim adauget (ut scribit Galenus. 2. libro de Naturalibus facultatibus, cap. 3.) per eas totas est extensa, ut quae totas eas, per totas, non tantum extrinsecus fingat, nutriat, atque augeat. Praxiteles namque, aut Phidias, aut alius quispiam statuarius, foris tantum materiam ornabant, qua scilicet parte, licebat eam attingere: internam eius partem, illaboratam, otiosam,

artis



artisq̄ immunem, ac neglectam reliquerunt: ut quibus in eam descendere, ingrediq̄, ac omnes materiae partes tangere, minime licuerit. Natura non ita, sed ossis partem quamlibet, os efficit, & carnis carnē, & adipis adipem, & in aliorum singulis, ad portionem facit. Nulla enim pars est, quae ab illa nō tangatur, aut operam eius, cultum ve effugiat. &c.

Cur vero femina, habens vtrumque principium, actiuum scilicet & passiuum, sine masculo non concipiat? dixit Galenus secundo libro de Semine, quod femina concipit sine masculo, sed sterile, aues subuentanea oua, & animantia terrestria molas: destituitur enim femina, integra illa, foecundaque seminali vi, nisi masculi caloris vigor accedat. Sed cur viragines non concipiunt, quae calidae & siccae perinde ac viri sunt? siquidem viraginibus semen lentum, crassum, calidum & copiosum minime deest? Respondet Galenus, feminae temperaturam, si ad legitimum tempus partus est protrahendus, necessario frigidam atque humidam fore, ut alimentum subministret, nouē mensibus puero suffecturū, tanto enim tempore ali, huiuscemodi foetus debet. Viragines ergo diētae, alimentum sufficiens non ministrabunt, licet concipiant. Hanc tamen sententiam, sic ut iacet intellectam, explosimus infra, in appendice Theologico: tum ob alia, tum etiam, quoniam frequenti & vera conceptione, pariter & abortu, ante legitimum pariendi tempus, viragines infestarentur: quod tamen minime verum esse, experientia monstrat. Ob id masculositatis defectu, feminas perfectum animal, sine viro nequaquam gignere posse, ibi diximus: quoniam vterque sexus, est necessarius ad verum conceptum. Quomodo autem, & qua necessitate, vterque sexus concurrat dubium est. Cui dicimus quod ex duabus partialibus, tum materialibus, tum effectricibus, generationis causis, vna totalis generationis causa consurgit: non enim vno, eodemque modo, vterque agit sexus, sed foemineus, imperfectius masculo: nec eodem modo vterque patitur, sed minus masculus, quam foemineus: Quorum modorum vterque, ex naturae sanctione, necessarius est, ad integrum conceptum, ut vna generationis, ex vtrisque causis partialibus, totalis causa consurgat: nam quamuis muliebri semen, actum & efficaciam in se habeat, tamen perfectiorem alium, & minori passioni expositum, ex masculi semine, cum quo copuletur requirit. Neque obstat, quod tam a viro, quam a femina, possit prodire, semen muliebri, & virile, iuxta Hippocratem: quamuis enim ita sit, dicti duo modi non peruertuntur: Semper enim foemineum semen, etiam si masculum procreet, minorem efficaciam, & plus de materia exhibet, sicut & virile, etiam cum generat foeminam, plus efficaciae, quam materiae tribuit: quoniam naturae ordo, quo semper haec duo semina concurrunt, talis est, ut vir semper sit actiuior, & femina magis passiuua, siue masculus siue femina gignatur. Hinc est quod viragines, maiori ex parte sunt steriles, quoniam actiuiores, & minus passiuae sunt, quam naturae ordo postulat, nisi viro forte foecundissimo socien-

tur,

tur, huius comparatione inefficaces, & patiēdo idoneae reddantur. Hinc etiam cum apud Hippocratem aut Galenum legimus, foemineum semen, interdum euincere masculo: audiendum id non est, ob efficaciam maiorem foeminei seminis, sed ob copiam eius, quae effingit, & superat vim masculi validioris, ut conceptis verbis, scribit Hippocrates libro de genitura, adhuc modum. Si parens quidem vterque, valentissimum semen contulerit, gignitur masculus: si imbecillum femina. Quod si alterum copia superarit, illi similis foetus efficitur. Namque si seminis imbecilli, multo maior copia, quam valentioris fuerit, id etiam quod valens est vincitur, & cum imbecillo remistum, ad foeminam compellitur. Hinc cum interrogant, agat ne aut producat foemina, idem ac masculus, an diuersum? idem agere vtrumque, diuerso tamen modo, & ordine a natura sancito, vnum nempe perfectius altero respondemus. Quare neutrum superfluit, sed ex vtroque fit causa vna totalis, & integra: quae ita foetum producit, ut neutra per se separata, foetum, nec foetus partem, producere possit. Quod sane Galenus, lib. 14. de Vsu partium, cap. 7. pulchre docuisse videtur, in haec verba. Noli igitur putare, semen ipsum, alia quadam ratione ad maris, alia ad foeminae procreationem moueri: eo enim modo principium animalis, non esset simplex ac vnicum, si motus haberet, omni ratione sibi pugnantes: verum quod nuper diximus, foemina in motu est imperfectior, mas vero perfectior. Quem motum perfectum, aut contra, inaequalitati in calido, & frigido, iure tribueris, ad quod vnum principium (si modo plane es Physicus) particulares omnes actiones reuocabis. Qui igitur principium id, potest foetibus ingigni? nam qui existimant, foeminam semen foecundum emittere, ipsi mirum non videtur, foeminam tunc concipi, cum seminis foeminini motus, masculini motibus praevalent. At hi non intelligunt, primum quidem, duorum motuum principia facere, inter se se pugnantia: quando quidem si semen foeminae, motus potissimum habet principium, omnino eiusdem cum mare habet motus principium, ipsum quae oportet cum semine maris misceri, actum demum velut vnum postea agere. Quod si id non oporteat, quid impedit quo minus foemina, solo semine in se ipsam emisso, ita demum foetum absoluat? atqui hoc accidere non videmus, constat ergo quod omnino semen maris flagitat: quod si ita est, misceatur cum eo est necesse, atque ita vtrumque semen, in vnum motum conspirent. Fieri enim non posset, ut si vtrumque, motu inter se discrepante mouerentur, in vnius animalis procreatione conspirarent. Quibus Galeni verbis, aperte constat, vtrumque semen, vnum principium, & causam totalem vnam constituere: a qua vnus est motus, & progressio, in foetum vnum. Et perinde ac in plantarum seminibus, in quibus sexus non sunt separati, vnus est motus, & progressio vna, ad formam plantae: ita in vtroque animantium semine, inuicem commisto contingit. Et perinde ac in hoc, partem ponimus efficaciorē, & minus passiuam, ex masculo: & aliam minus efficacem, & magis passiuam ex foemina: ita in plantarum seminibus sine pugnantia vlla, vtramque statuimus. Sic omnes quae aduer-

aduersus Galenum rationes obijciébatur, corruere existimandum est. Nec si alicui, pessime morigerato, alicuius è dictis solutio displiceat, ob id fœminas, à fœtus efficiētia is excludat: non sunt enim quæ re vera extant, neganda, sed ratio potius quæ eā refutare nititur, cum euidentibus aduersetur, absurda est existimanda. Nam si tollere uolemus (inquit Galenus. 2. libro de Semine) ea, in quibus causa probabilis nobis deficit, opus erit, ut & videre, & audire, & sentire omnino & reminisci, & somnia per quietem cernere, prorsus negemus: quippe cum singulis his, abstrusa causa sit, unde existant. Nec obstat, quod contrariam interdum sententiam, ceu vagātem, & suo tempore famigeratissimam, dum rem tractat obiter, & per transcursum, sequi videatur, primo libro de Sanitate tuenda, & 2. lib. de Naturalibus facultatibus: ita enim per trāscursum scribentem, oportuit facere, ne sua scripta odiosa redderet. Sat fuit, cū rem ex professo tractauit, libris de Semine, & 14. lib. de Usu partium, veritatem multis rationibus, & demonstrationibus locupletasse: Aristotelisq; sententiam explosisse. Sed iam quam rationem seruet natura, in homine ex semine pangēdo, & quas ab initio in finem usq; progressionē sagax faciat natura, sequens liber dilucidius edocebit.

¶ LIBRI DE SEMINE FINIS.


**I N C L Y T O, A C M A**  
**G N A N I M O P R I N C I P I D O M I**  
 no Illesonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina  
 Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Ca-  
 çaçã, dignissimoque Almadrauarum domi-  
 no: Petrus de Peramato medicus, librum  
 hunc nuncupat.



**I**n humana felicitate, animaduerti ego saepe quosdam, quibus benigna fauit natura, alios quibus felix arrisit fortuna. Hæc ambo quam in te ipso magis expressa, nostra nunquam tulit Hispania. Corporis enim atque animi tui dotibus innumeris, nullus aduersæ fortunæ accessit liuor. Ita namque te amanter respexit, ut quinto partu editus, primus fueris in tuorum auorum, amplissima hereditate adeunda, & Ducatu Methinensi, vel ab ipsis incunabulis obtinendo. Inter Hispaniæ magnates antesignanus, regia è stirpe natus, & post regem secundus es nemini: nec minor tibi cum Cesare gratia, quam coniunctio. Coniugem adeo claram, ac principem accepisti, ut natam ex fortuna, fortunam ipsam accepisse credaris: ex qua utinam talem prolem rursus suscipias, ut in posterum tibi fortuna, nunquam parere fortunas desistat: sic enim & tuæ semper virtuti, comes erit fortuna: & nobis qui in omni fortuna tibi obsequimur, bene consultum erit. Ne vero huiusmodi, quam tibi optamus fortunæ, desit ars, & diligentia nostra, lucubrationem hanc, de Homini procreatione tibi dicamus, quam ut præcoces fructus, nunc ante tua connubia dono, serotinos in posterum parturiam. Vale, Hispaniarum decus dignissimum.

☞ An foemineum semen, eiaculetur in sinum,  
an in ceruicem vteri, & quid sit conceptio.

CAP. I.



**I**N maris atque foeminae concubitu, si frustraneus non est futurus, vtriusque semina, in vteri ceruicem eiaculantur, debite miscentur, & ab vtero in suos sinus, auidissime trahuntur. Malumus enim, hac in re Aristotelem, secundo libro de generatione animalium, capite quarto, & actuarium sexto Aphorismorum, commentario vigesimo tertio insequi: primam eiaculationem seminis, tam virilis quam muliebris, in vteri ceruicem fieri, & inde ab vteri sinu trahi autumantes: quam Galenum, qui libris de Semine passim, existimat mulierem, semen per cornua, in vteri sinum eiaculare, non in ceruicem. Hoc enim falsum esse conuincitur: Primo, quoniam Aristotile autore loco citato, ceruix quae primo madebat, mox rescitur. Secundo, si viri & mulieris semen, debent conuenire, & simul misceri, atque ambo simul excerni, non vni altero prius: eodem etiam loco effundantur, est necesse: At semen viri, in ceruicem eiaculatur, ergo pariter etiam, quod procedit a foemina: Tertio, nam grauida mulier, in concubitu semen emittit: quo tempore, vteri os non aperitur, vt inde exeat: nec manet semē, nā aut computresceret, aut superfetaret necessario mulier: ergo in vteri ceruicem effundit vterque: sicque vterus, omni sui parte, miro seminis desiderio gestiens, ex sua ceruice, vtrumque semen, in suos attrahit sinus. Ex ea autem partium vteri tractione (quoniam omnes pariter vteri partes, semen affectant) extenditur, atque in longum quadantenus exporrigitur. Quod ita a natura institutum est, quoniam longum & non orbiculare, corpus nostrum erat futurum. Quanquam autem dum semen intenditur, periculum imminet, ne diuellatur (quod saepe fit, cum & ipsum humidius, imbecilliusque est, & fortiter a multis simul partibus distrabitur) si ita tamen extensionē illam tolerauerit, vt non discerpatur (lentum quippe esse oportet, multum ac crassum) statim continetur atque concipitur: nomen enim conceptio, id est cōprehensio, a retentione mulieres imposuerūt, vt refert Galenus primo libro de Semine, in principio. Quo fit vt deerrent, qui conceptionem, vteri actionem esse arbitrentur, ab attractione, & retentione diuersam. Sunt autem rationes eorum quae sequuntur: Prima, quoniam saepe vterus magno desiderio semen attraxit, biduo autem, aut triduo, fuit elabi: quo tempore, nemo concepisse putabit. Secunda, quia interdum inutiliter, semen ipsum diutius continet, quo tempore mola fit, non fœtus. Tertio, quoniam nisi potestas seminis, alterationem aliquam ab vtero posceret, qua in actum exiret, mas solus in se ipso generaret: quod cum non fiat, semen ab vtero alterationem quandam suscipere arbitrantur, qua seminis potestas exuscitatur, & in actum venit: hæc autem alteratio apud ipsos conceptio est. Primum itaque

vterus

vterus semen trahit, attractum continet, contentum concipit, haud secus atque ventriculus, tractum, contentumque alimentum conficit: vt enim concoctio ventriculi, sic conceptio vteri propria est actio. Vtque ventriculus, cibum grauem atque immutabilem, quem tamen traxit & continet, non coquit: sic vterus semen infœcundum, quauis magno desiderio traxerit, & deinceps contineat, non concipit: sed molam ex eo facit. Hæc tamen nihil obstant, primum namque soluitur, quoniam seminis attractio non est conceptio, sed ipsius contentio: si biduo ergo aut triduo elabi fuit, non continuit. Secundum vero soluitur, quoniam non cuiusuis seminis contentio, est conceptio, sed prolifici & conuenientis: seminis vero infœcundi aut disconuenientis retentio, non est conceptio, vt neque si flatus aut sanguinis grumus contineatur, concepisse dicemus. Tertium vero soluitur, nam seclusa alteratione quam vterus ex ipsorum sententia præstat semini, poterit semen actiones vegetatis animæ exercere, nō enim erat potestate animatum, sed actu. Foemina quoque sine masculo concipere posset, si conceptio est alteratio seminis ab vtero: nam quis vterat quominus foemina suum semen alterare posset? cum ergo inquit cur mas in se ipso non generat, si semen quod habet, nulla indiget actione vteri vt in actum veniat? cæcinnum omnibus doctis mouet: nam mas non generat in se ipso, Primum de defectu vteri, neque enim habet instrumentum aliud cauum, quo semen excipiat. Secundo, ob defectū materiae, nam secundo de Naturalibus facultatibus, Omnis (inquit Galenus) facultas, si competens desit materia otiosa est, & maris semen facultates in se ipso possedit, actionem vero non nisi circa materiam, foemineum scilicet semen, & menstruum sanguinem obit. Quauis enim semen viri, materiam præstet fœtui, exiguam tamen & defectuosam præbet. Tertio, nam sola vis, aut mascula, aut foeminea, non sufficit generationi, sed vtraque est necessaria: In plātis enim in quibus sexus non sunt separati, vtramque vim coniunctam posuit Aristoteles, quoniam vtraque erat procreationi necessaria: & plantæ motu carentes, non poterant inuicem congregari: ea ergo quæ sexus habent separatos conueniant oportet, vt ex amobus semen vnum proueniat, procreādis liberis aptum. Hinc ouis subuētancis semper aliquid deest ad perfectionem: hinc quantumuis, calida foemina atque virago sit, semenque crassum, calidum, lentum, atque foecundum obtineat, nunquam sine viri congressu concipiet, alterius sexus defectu: hinc præter omnem naturæ legem, deipara virgo concepit, & peperit filium, vt Esaia septimo capite, fuerat prænunciatum: nam in naturali, & quæ omni miraculo caret generatione, vtrumque semen, masculum atque foemineum, vterus proleat & concipit, ac in sinus suos recondit, adeo cum eo toto sui corpore coherēs, vt nec spatium aliquod vacuum relinquat, nec acus cuspidem, per os valde occlusum, capere possit.

☞ De chorio & vasis ab eo vtrinque procedentibus,  
extra scilicet ad vterū, & intro ad infantem. CAP. II.

i 2 In





**I**n prima hac seminis ab utero comprehensione, ne nostra corpora fingens facultas, vel tantillum otietur, partes seminis tenuiores, calidiores, & spiritus magis participes, intro & in medium agit: crassas vero ac magis terrenas, in ambitu, & circumcirca disponit, ut ex istis obuoluentes foetū membranae, procreentur. Quem admodum enim placēt, & reliqua omnia, quae pistores, in aliquo vase calido, amploq; conficiunt, crusta obducuntur: ita semen, in uterū calidum incidens, ex crassiori, viscidiori, & magis terrenā sui parte, tunica quadam, quae ipsum ambit, vallatur, atq; vestitur, auctore Hippocrate, libro de Natura pueri, & Galeno lib. 1. de Semine. Nec tamen hic intelligas velim, à solo uteri calore, cogente, & in durante, hanc membranā generari, ut in pane, aut placenta cōtingit: Primo, quoniam membrana est, non crusta. Secundo, quoniam uterus ipse madet, quare non affatim desiccabit semen. Tertio, nam ventriculus, qui magis calet quam uterus, & humet minus, chylum, aut pituitā, in ipso contentā, non obducit crusta aliqua. Quarto, nam infra hanc, duae aliae tunicae creantur, allantoides & amnios quae cum uterū non contingat, non potuerunt, eius contagio siccescere. Formans ergo facultas, quae in seminis aetherea parte, atq; etiam in utero sedet, cum primū semen utrumq; ei aculatū, est ab utero apprehensum, tenuiores partes, calidiores, & magis spirituales, agit intro: extra vero crassiores, & minus nobiles: ex illis foetū, ex istis membranas creat. Id autē nō tentat facere, donec semē quadantenus obduruerit, lib. 2. de Semine, ante finē, auctore Galeno. Nam sicut liquidum lutū (inquit) impressionē, ac fictionem ullam, non admittit, mediocriter induratū admittit: ita primae ac recentis foeturae accidit, quae laeti recenter coagulato similis est, ac quae admodum illud caseary, nondum formare agrediuntur, priusquam satis idonea coagulatione concreuerit: eodem modo animal, natura non antea fingere conatur, quā conuenientem duriciē adeptum sit. Neq; etiam si conaretur, quicquā efficeret, cum materia nondum firma subiaceat, sed instabilis adhuc & tremula subterfugiat. Fictor quoq; lutū vel ceram nō adhuc liquidam, sed quae mediocriter induruerit, formandam summit. Uteri ergo calor, crassam atq; terrenā, seminis partem calefacit, desiccāt, & crassiorē reddit; primo aut altero die à conceptu: crassior, duriorq; facta, facultatis formatricis actionē, tum iam non subterfugiens, membrana fit, quae Graecis χορὴν dicitur, quoniam coronae, circuliq; modo foetū circumdat. χορὴ enim apud Graecos, κίβηλον καὶ στεφάνον hoc est circumulum coronaeq; significat. Appellatur & χορὴν per, ω, quod locum & spatium significat, quoniam in membrana illa, foetus, ut in loco suo consistat: Latini secundae barbaris secundina appellatur, quoniam (ut quibusdam videtur) secunda à foetu formatur. Sed cum Galenus & Hippocrates, ante foetū, procreari statuunt, satius dixerunt alij, secundam appellari, quod natum infantē sequatur: quanquam non ea sola, sed & allantoides, & amnios simul decidant: inter quas tamen, quia chorion maxima est, & admodum insignis, sub eius nomine, alias quoq; duas, vulgus cōprehendit. Apud Aëtium vero sermone. 4. 4. tetrabili cap. 24. secūda ob id dicitur, quod velut secundum domi-

mici-

micilium, ac receptaculum sit ab utero & velut foetus indumentum. Huius autem tunicae utilitas, fuit necessaria: Primo, ne semen, in quo animalis principium consistit, diffunderet, aut à diuersis uteri partibus distraheretur, ob idq; ante foetū fuit formata, tum enim seminis reliquam partem, proxime continet, impeditque quominus à quavis parte uteri, aut corporis cōmōtione distrahatur. Secūdo, utilis est haec membrana, ut foetū matri neclat, atq; alliget. Est autē hoc vinculū foetus, cū matre, per quā necessariū. Primo, ne pōdere ingrauescēs, immature deturbetur infans. Secūdo, ut idonei alimēti ex matre, sufficiens sēper alliciatur copia. Quo modo autē, quo de artificio, nexū huiusmodi infantis cū matre, fabrefecerit natura si aduertat, magis naturae admiraberis industriā: cū enim mollis inter initia mēbrana haec sit, ab uteri orificijs, quae tū tēporis aperta sunt, tā valide trahitur, ut uteri vasa, quae sunt polyporum orificijs quā simillima, mēbrana hanc tenerā, & seminalē, in se se, tā valida tractione recipiāt, ut totidē foramina contrahat mēbrana, quot uteri vasa attigerit, ac subintrarit: atq; haec chorij foramina, postea tēporis processu, vasa efficiuntur, uteri vasis coalescētia, & copulata: quae quidē cū arterijs copulatur, fiūt arteriae, & quae cū venis, venae. Per has sanguinē crassiorē, pro nutritione, allicit semē: per illas vero tenuis sanguis, spiritus, & aēr, pro cōtēperamēto, ex utero decurrūt: et attractio- ne nullo tēpore quiescētē, manet semper pelliculae foramē, coalescere nō potēs: ob eā sane causam, quod neq; aliud quicquā, alteri coalescere potest, ubi semper mobilia corpora, in mediū eorū interueniūt. Foramē itaq; pelliculae, nō solū non coalescit, sed et semper ampliatur, pro ratione eius quod perfluit: perfluit autē semper alimētum, nō semper autem pari copia, propterea quod, neq; ipsum quod alitur, aequalem semper magnitudinem seruat, sed crescit assidue proficiēs, ut necessarium sit, iuxta proportionem augmenti illius, materierum copiam influere: sanguinem quidem ex venis, spiritum vero, cum sanguine tenuium partium, modico & calido, per arterias: quin et temporis progressu, necesse est hanc viam in fistulae modum cauari, ac vas fieri. 1. de semine cap. octauo, auctore Galeno. Hinc merito Galenus, Venas radicibus plantarū comparauit, ut enim planta per radices, è terra haurit alimentum, ita foetus ex utero, per chorij venas, trahit sanguinē, & spiritū: utq; radices plantarum, multifariam discissae, copulatur inter se, donec in vnum truncum veniant, ita vasa dicta, uteri vasis multitudine respondentia, per vniuersum chorium, vario deinceps modo implicantur, ac paulatim inter se cōeunt, donec ex omni numero, quatuor tantū vasa fiant, duae scilicet venae (apud quōsdam vnica) & duae item arteriae, quae in allantoidem & amnium insertae, umbilicum infantis cōstituūt. Hinc Gal. 5. lib. Aphor. com. 60. utero gerentium menstrua, ex vasis quae in uteri ceruice habentur, nō ex ipso utero prodire fatetur, quoniam foetus omnibus uteri vasis haeret, quare nihil per illa potest in uteri sinum excerni. Contra vero est quod aduertit Vesalius, chorion nō omnibus uteri vasis haerere, sed lateribus tantum: quare per vasa ad quae nō haeret sanguis duci poterit. Dicendum tamen quod quauis aliqua venae & arteriae uteri, liberae sint à nexu venarum & arteriarum chorij, natura valde sollicita de-

i 3 foetus

fœtus custodia & vteri occlusione, eas venas raro, aut nunquam aperiet, sed ad eas potius quæ in ceruice sunt sanguinem traducet. Nam etiam in non prægnantibus, menses per ceruicis magis, quam per cavitatis vteri venas purgantur: tum quoniã ibi magis terminantur venarum ora, tum quoniã ceruix, locus est expulsionis maxime vicinus, & excretioni paratior quam cavitatis: quæ non vacat periculo ex sanguine concreto, vbi os vteri occluditur prægnantibus, ob fœtus custodiam: aut virginibus, ex hymene membrana, apud Auic. 21. 3. tract. 1. cap. 1. aut per morbos & tumores præternaturam. Vt enim cum sanguis è naribus fluit, raro aut nunquam in capite referantur venæ, sed ipsarum oscilla atque extrema ad nares porrecta: ita in vtero naturam consuluisse potiori ratione, credere par est. Præsertim si verum est, quod Realdus Columbus in sua Anatome adnotat, venas cavitatis vteri, ex vasis seminarijs: ceruicis vero non ex his, sed ex vena caua duci: Illis enim si ita res habet fœtũ ligari: & his superfluum corporis sanguinem excerni, fœtũq; nullatenus ne-  
 Et in naturæ prudentia, atque sagacitate memoramus. Venæ quidem (vt libro de Fœtus formatione, Galenus est autor) statim atque infantis cutem subierunt, in vnâ magnam venam cœunt, quæ rursus, non secus ac plerique trunci arborum, bifariam scinditur, atq; ab earum vtraq; parte, germina multa, instar ramorũ exoriuntur. Altioris partes progerminationes, iecoris conuexo, depressioris vero, eiusdẽ cauo finiuntur: eoq; loco, vtraq; aperiantur, & ex sanguine quẽ effundunt, propria iecoris substantia, circũcirca agnascitur: ita vt ramulorũ interstitia, perinde atq; stæbe, impleat atque obturet. Ac propterea duæ iecoris portæ, in fœtibus contigere: nã magnæ venæ, quæ per vmbilicũ procedit, altior propago, summæ partis iecoris efficitur porta, & in omnes quæ ibi sũt venas partitur: ex depressiori vero propagine, porta altera fit, quæ vtrinq; dispersas venas trãsmittit: dextra parte, ad iecoris concauũ multifariã diuisa, altera vero, ad ventrẽ lienẽ, intestina omnia, & reliqua quæ infra septũ trãsum interanea consistunt, multiplicata. Absoluto autem iecore, ex venis quæ à chorio procedũt, ad eum quẽ diximus modũ, in gibbis partibus, quasi radicibus quibusdã diffeminatis, styrops colligitur (hoc est maxima venarum, caua ob magnitudinẽ appellata) quæ vtrinq; per spinã, recta exporrigitur, & in vniuersa corporis mēbra distribuitur: cuius integra notitia peculiare caput poscit, de venarum nostri corporis anatome. Arteriæ vero, non ita statim vbi cutem subierunt, substantiam aliquam, agnascens sibi habent, neque in multas partes discinduntur, sed vltimus duæ permanent, vesicamque fœtus complexæ, ibique firmatæ, cum aliò, tum in profunditatẽ corporis feruntur, quoad ad latum & sacrũ os peruenerint, vbi in vnâ arteriã magnam copulantur, quæ recta per spinã incedens, & cauæ venæ subtenfa, sinistrum cordis latus, sicut caua vena dextrum attingit. Cur vero venæ, statim ac vmbilicum superarunt, in vnâ copuletur, arteriæ vero longo itinere permaneant duæ, docet Gal. 15. lib. de Vsu part. Nõ tamen sicut in iecoris procreatione, nulla dubitatio relinquitur ex anatome, ita & in cordis cõstitutione contingit: nam iecoris

tam

tam caui, quam simi constitutio, ex dicta ad eam partẽ venarum disseminatio, quæ sanguinem ibi effundit, vt à facultate formatrice gignatur, adeo est ex anatome notũ, vt id dubitare liceat nemini. Cordis vero procreatio, ex anatome, vnde, aut quãdo fiat, manifestũ nõ est: an scilicet ex vena, an ex arteria, an dextrũ ex vena, & sinistrũ ex arteria, an neutrũ ex vena aut arteria fiat: quoniã nec vena, nec arteria magna, vbi cor pertingũt, in minutissimas propagines diffunduntur, ad eũ modũ, quo venã ab vmbilico prodeuntẽ, ad iecoris cõstitutionẽ diffundi protulimus. Quãdo etiã gignatur, an scilicet prius, an posterius iecore, manifestum ex dictis non euadit: quin adeo difficilis est consideratio, vt Galenus, ab Aristotele dissentiat, & sibi etiam correputantia dixisse sit visus. Quam nos disputationem, statim absoluemus, si aliarum tunicarum, fœtum obuoluentium, procreationem & vsum attigerimus prius.

De reliquis a chorio membranis, deque recre  
 mentis fœtus. CAP. III.



Vaniis chorion, è semine primum generetur, non tamen generato iam fœtu, ipsi contiguum est, immo vero longissime à fœtu abscedit, atq; vtero muliebri adheret, nam inter ipsum & fœtum, duæ aliæ membranæ, allantoides, & amnios, intercedunt. Quæ vt autor est Hippocrates, libro de Natura pueri. Procedente tempore producuntur, eodem modo, quo & illa prior formata est, quod forte non aduertens Galenus, primo lib. de Semine, ante medium, allantoidem vnã cum chorio oriri, & chorij etiam generationẽ adiuuare protulit. Verisimilior autẽ, Hippocratis sententia mihi videtur, Primo nam allantoidis vtilitas (vt dicemus statim) est, vt vrinam infantis excipiat, ab initio autem, non profert vrinam infans, ergo vsum minime poscit, vt ab initio, simul cum chorio gignatur, allantois tunica. Secundo, nam ex semine crassescente, hæc tunica generatur, pars autem seminis, quæ vteri faciem contingit, ex qua generatur chorion, prius necessario crassescere debet, vteri calore cogẽte, quam pœnitior seminis pars, ex qua allantois prouenit, quæ ab vtero eiusq; calore, magis distat. Ergo sumpto argumẽto à causa agẽte, posterius chorion, generatur allatois. Ex semine præterea tenuiore generatur allatois, ipso Galeno etiã teste (vnde & tenuior est hæc mēbrana quã chorion) pars autẽ seminis tenuior, tardius crassescet, & in tunicã abibit: ergo materiæ etiã ratione, Hippocratis setentia est verior. Hic autẽ Galenũ maxime miror, qui loco citato, hanc tunicam, ex solo fœmineo semine generat, quod neq; demonstrari potest, nec rationi conuenire videtur: nã vtriusq; semina, varie in vtero cõmiscẽtur, quare ex vno eorũ solo, nihil cõstare decuit. Adde multo artificiosius naturã operari, si ex vtroq; semine, impurius & terrestrius, in ambitũ traducat, pro mēbranarũ generatione, purius vero, & ætherea natura magis particeps, intro, & in medio totius molis, pro fœtus procreatione

i 4 colligat

colligat. Vtrumq; ergo semen, varie & vt decet commistum, ab utero trahitur, trā-  
 ctum concipitur, & arte continetur: contentum eatenus disponitur, vt crassiores,  
 & impuriore eius partes, vterum contingant: sic dispositum ab uteri calore cras-  
 fescens, crustacea tunica vestitur, chorion appellata: cuius interuentu factus nectitur  
 matri, & alimentum ab ipsa trahit, per vasa quæ ab ipso in factum, ad eum quem  
 diximus modum diducuntur. Quoniam autem factus in utero nutriri debuit, & nul-  
 lum tam syncerum, & factui simile alimentum reperitur, vt excrementis penitus  
 vacet, nec utero excrementa excidere expedit, tum ne fiat abortus, tum etiam ob  
 vsum, quem huiusmodi excrementa præstant in partu, humectando, molliendo irri-  
 gando, & lubricum faciendo: sit necessarium, vt excrementa, sudor (inquam) & vri-  
 na seruetur. Hæc autem in utero, nullo alio vase conclusa, non possent contineri,  
 nam & ligamenta laxarent, & vterum facile acrimonia sua roderent: atq; ille la-  
 cessitus, morfu ad abortum compelleretur: Ideo consultius natura, huiusmodi excre-  
 menta, membranis quibusdā conclusit. Vrinā quidem excipiens membrana (quæ veluti  
 zona est, aut fascia lata) à mucronata cartilagine, vsq; ad ima ilia infantem cingit:  
 Quæ cum angustior sit, quam vt vniuersum factum circundet, & vrina semper sit  
 farcta, allanto, idest farcimini, & intestino farcto, similis habetur: vnde allantoides,  
 idest farciminoza aut intestinalis dicta est. Hæc vrinā excipit, per meatum vrina-  
 rium, quæ Græci, peculiari nomine *ουροκοι* appellant: qui sanè, è fundo vesicæ or-  
 tus, ad eam vmbilici partem peruenit, quæ inter proximam factui tunicam, quæ am-  
 nios dicitur, & mediam allantoidem concluditur: vbi amnion perforat & vrinam  
 effundit. Foret namq; minime tutum, vrinam in medio allantoidis spatio collectam,  
 infantem contingere, quoniam eius cutem plane roderet, & vlceraret: Evidenter  
 si quidem apparet, humor is, qui est intra intestinalem, tum tenuior esse, tum flauior,  
 tum acrior, eo qui est intra amiculum: vt etiam hanc membranam disseccantium, ol-  
 factum angat, eisq; horrore incutiat, lib. 15. de Vsu partium, cap. 5. autore Galeno.  
 Quare consulto natura, amnion creauit tunicam, quæ vniuersum infantem, à summo  
 vertice, vsq; ad imos pedes tegit: inter quam præterea, & infantis cutem, vtrumq;  
 excrementi genus, quod ex toto corpore, per coctionem secedit colligitur, sudor vi-  
 delicet & sordes. Iam enim ex hoc, nullum vlcerationis periculum, factui impende-  
 bat, quoniam sudor est vapidum excrementum, vltimi alimenti, concocti, & elabo-  
 rati, & omnem insuper acrimoniā, in vrinis, & bile, tam flaua, quam atra reliquit.  
 à πύλον autem hanc tunicam appellarunt, à mollitiæ agnorum deducto nomine, est  
 enim mollissima, & alba adeo, vt seuum aut adipem representet, eaq; contactus (nisi  
 difficilis & refractarius sequatur partus) infans interdum prodire solet (mantillo  
 obstetrices, & vulgus, hoc inuolucrum appellant, & felicitatis futuræ inditium, sic  
 nasci pleriq; credunt. Quin & eam tunicam gestare, felicitatem augere non sine  
 superstitione credunt alij) eam obstetrices è corpore infantis deradunt, & seruant,  
 vtunturq; ea, ad delendas cicatrices, & variolarum vestigia, quod non infauste, asse-  
 quuntur.

quuntur. Oportuit autem, hanc tunicam fuisse mollissimam, ne à chorio duriori, in-  
 fans offenderetur. Mollis vero tunica, ab vrina quæ inter ipsam, & allantoidem col-  
 ligitur, facile exedi, ac rodi posset, nisi adiposam, & fere pinguem substantiam, ipsi  
 natura indidisset: pingue enim, humidam actionem non admittit, nec ipsi coherere si-  
 nit. Consultissime igitur natura, tunicam hanc pinguem creauit, nam cum mollis sit,  
 & vtraq; sui parte, sudore, & vrina alluatur, pinguitudine opus habuit, ne roderet-  
 tur, & exederetur, sed factum proxime continens, seruaretur illæsa. Quamquam  
 autem, omnes obuoluentes factum membranas, tenues, & telis araneorum similes,  
 præsertim inter initia, natura fabrefecerit, ne factui essent oneri, vt quinto decimo  
 de Vsu partium, legitur apud Galenum: oportuit tamen membranam hanc, quæ mol-  
 lis & adiposa erat, valida quadam crassitudine constare, quoniam factum est con-  
 tentura, & membrorum futuris motionibus, resistere debuit, vt primo libro de Se-  
 mine, capite tertio decimo, Galeni est autor. Ob aquam autem, quam hæc membrana  
 continet, minus grauis est factus, ijs vinculis, quibus cum matrice adhæret: quoniam  
 factus in ea, quasi innatans, sursum tollitur, ac vehitur, quinto decimo libro de Vsu  
 partium, autore Galeno: Vbi male (me iudice) reprehensionem quorundam medi-  
 corum subijcit, in hæc verba. Qui vero ipsæ matri, leuiorem aiunt esse factum, quod  
 ipse, humori qui est intra amiculum innatet, ridiculi plane sunt, non intelligentes,  
 ipsum quoque humorem à matre gestari. Sed ridicula magis est redargutio, nam si  
 vinculis factus est minus grauis, quoniam innatet & se ipsum vehit vt dicis: cur non  
 etiam matri, quod reprehendis? humorem enim, pariter ac factum, continent vincula:  
 nec mater, nisi medijs vinculis, ea continebit vnquam. Hæc igitur aqua, quæ intra  
 amnion continetur, præter vsum quem est exhibiturā in partu, molliendi, laxandi,  
 & lubricandi, alterum non contemnendum exhibet, ipso gestationis tempore, quod  
 nimirum, & vinculis, & matri, minus sit grauis: magis enim deonerat, nandi appa-  
 ratu, quam degraue suo pondere. Vrina vero in allantoide cōtenta, non potuit eum  
 vsum exhibere. Primo, quoniam non circundat, infantem vndiq;. Secundo, ob sui  
 paucitatem: nam quauis editi in lucem infantes, mingant plus quam sudent, in vte-  
 ro tamen, quoniam nutriuntur sanguine matris, ab vrina iam repurgati, minorem  
 vrinæ copiā exterunt, quam sudoris: est enim sudor, tertiæ coctionis recrementum,  
 à quo sanguis matris non potuit esse repurgatus. Factus etiam tenerissimus, calido in  
 loco constitutus, vndiq; sudat. Non fuit autem opus, quarta tunica, quæ alui excre-  
 menta seruaret, quoniam nullum recrementum, ex alio infans deponit, eo quod ore  
 non nutritur, sed per vmbilicum tantum, alimentum summit ex sanguine matris.  
 Amnion enim membrana, quæ vniuersum corpus tegit, ad os non aperitur. Nec ob-  
 stat, quod protinus atque in lucem, editi infantes sunt, mammam appetunt, & su-  
 gunt, quod nescirent facere, nisi antea assueuissent: non obstat (inquam) nam doctā  
 est natura sine magistro, & facultas quæ nos formauit olim, in nostro corpore ma-  
 net, membra suæ admonens operationis, libro de Factuum formatione, autore Galē-  
 no.



no. Neque item obstat, quod recens, editi in lucem, stercus excernunt ex aluo, crassum, nigrum, & lutulentum: nam sanguinis & iecoris recrementum est, ex cuius cauis, in intestina exciderat: in quibus cumulatam, seruabatur in pariendi tempus. Ob idque non male olet, ut alui recrementa, quae ex alimento ore sumpto creantur: quod etiam ad vim formantem, & caloris natiui conseruantis virtutem, referri debet: alioqui haec recrementa, pariter & vrina, ac sudor, in allantoide & amnio seruata, putrescerent ipsa, & foetum putrefacerent. Nec obstat praeterea, Galeni locus difficilis, primo libro de Semine, capite tertio decimo, vbi tot, ac talia excrementa: gigni perhibet in conceptu: quot, ac qualia, edito iam in lucem puero, fieri consueuerunt. Per haec enim verba, solum voluit, aequalia esse recrementa coctionibus in vtroque, non inter se: nam quae tres coctiones habet, tria exerit excrementa: & foetus, qui duas tantum obtinuit, duo etiam habere opere precium est, sudorem (inquam) & vrinam. Verba vero quae statim sequuntur, corruptissime, & sine sensu aliquo leguntur, apud Felicianum, adhuc modum. Ac cum membra omnia, formata ac distincta iam sunt, non tam vrina quam stercus excernitur. Graecus autem codex sic habet. *ἄλλα τούτων ὄντων τὴν καὶ ἀποπάτημα, διαπεπλάσμενον τὴν καὶ διπερρωμένον ἢ ἢ τῶν μαρίων.* quod verbum ex verbo sic vertit Cornarius. Sed ex his vrinam & stercus, formatam iam, & articulatis particulis. Vbi τούτων, idest, ex his refert proxime dictos, idest eos qui ab vtero sunt absoluti. Nec obstat etiam, quod quatuor membranarum foetum obuoluentium, meminere Galenus decimo quinto libro de Vsu partium, cum dixit. Non igitur est mirum, si quando membranae quatuor sibi mutuo incumbunt, robur ex ea coniunctione acquirant. Non enim aliam, à tribus dictis agnoscit tunicam: sed chorium duplicari statuerat superius, ut per medium ipsum, vasa omnia ferantur colligata, simul ac ab ipso tecta. Hinc elicimus Realdum Columbum, Hippocratem falso erroris insimulasse, duodecimo libro de re anatomica, quod statuerit foetum per os nutriri, & alimentum exuigere: tam crassumque, atque supinum in tanto autore errorem, satis mirari nequit. Hippocratis locum subicit, quem exhibere oporteret, ne mendatij crimen subeat ipse: siquidem non aliter, quam per umbilicū foetū nutriri, tam est Hippocrati peruium, ut nec librum de Natura pueri (praetereo alia eius opera) salutasse potuerit, qui in eo autore non aduerterit. Scit sane Hippocrates, amnium ad os infantis non perforari: Scitque infantis sudorem copiosum, inter cutem & amnium colligi: quem si ore vteretur deuoraret. Si ore quoque cibaretur, alui recrementa pellerentur, sicut vrina: ac in vtero conspurcati essemus, secus ac Hippocrates tradiderit. Locus certe quem vidit Columbus, aut corruptus & spurcius est, aut male intellectus: Cuiusmodi forte esse posset, quod libro de Natura, pueri ita reperitur scriptum. Quod vero plus quam decem menses, foetus vtero gestari nequeat, ego dicā: Alimentū incrementūq; quod à matre puerulus accipit, elapsis iam decem

decem mensibus foetus aucto sufficere non potest. Siquidem quod in sanguine dulcissimum, id ad se pertrahit, simulq; lactis aliqua portione fruitur. Quae si pauciora sint quam conueniat, ipseq; puerulus auctior factus, plusquam adsit alimenti desideret, se se iactat & membranas abrumpit. Quibus verbis falli forte posset quispiam, quoniam praeter dulcissimam, sanguinis partem, lacte etiam frui puerulum voluit. Frui tamen dixit, non ore sugere: nam ut supra statuerat, in postremis mēsisibus tumor vteri, partem mensium, ad eundem vterum venientium, sursum praeit ad mamas, vbi in lac cōuertitur, & tandem per easdem communes Venas, ad matris vterū, & inde ad umbilicum infantis retrahitur, ut eo nutriatur: quo etiam non sufficiente puer calcitrat, & membranas abrumpit, ut nascatur. Postquam enim ob vteri tumore, mammas pecorum lacte repleti dixit, ita scriptum reliquit. Nec vero diuersa in muliere ratio, namq; pingui concalescente, & candido facto, quidquid matricum, calore dulcescit, exprimitur, & conscendit in mammas. At vero etiam in ipsas matrices, exigua quaedam portio, per easdem venas refertur, siquidem tum haec, tū aliae per similes venulae, in mammas, atq; vterum protenduntur: Cum autē peruenit in vterum, iam speciem lactis induit, eoq; exiguo puerulus fruitur. Quare constat eam Hippocratis sententiam, Columbi reprehensione indignam esse. Nam & Galenus eam citat, & recipit ad verbum. 5. lib. Aphor. com. 37. hoc vno dempto, quod ad finem addit. Initium partus matri affert. Quae in nostris Hippocratis codicibus non leguntur. Hec sunt quae de his tunicis, ex Galeno, Hippocrate, & antiquioribus colliges, quibus addere oportet recentium anatomicorum obseruationes: Inter quos Vesalius choriū caninū pro humano, pinxit instar fasciae: in qua tamen non pinxit catellum, sed infantulū. Colūbus vero allantoidem, vniuersum foetum in hominibus vallare, & vrinam inter ipsum & amnion vndiq; supra, infraq; ante & retro cōtinere scribit. Notat enim quod in brutis, bobo, capra, equa, & id genus alijs, facta est in modū farciminis, non in homine. In quo etiā choriū (inquit) non est mēbrana, ut in nuper dictis animantibus, sed crassa quaedam materia instar excrementorum, aut viscosa placentae: quae ita fabrefacta est, ut vasa, quibus allantois cum vtero neclitur, vnita detineat. Amnium quoq; in brutis crassum est, ut pinxit Galenus: in hominibus vero tenuissima tunica est, in his enim & alijs multis, dedita opera, natura nos distinxit à belluis.

De prima membrorum, ex semine formatione. CAP. IIII.



Incipimus ex vtroq; semine, in vtero concepto, & varie permisto, à facultate formatrice, membra omnia, & membranas foetum cōtenturas, ceu ex materia gigni. Non gignit autem natura, indifferenter quodlibet membrum, ex qualibet parte seminis, sed calidum ex calida, & frigidū ex frigida, & de reliquis simili modo: oportet

oportet ergo, ut antequam membrum aliquod, aut tunicam efformet, partes seminis suis locis disponat, crassiores, & magis impuras, circumcirca, & in ambitu, pro tunicarum generatione: vtiliores vero, intus pro corpore efformando. Ex istis vero frigidas atque humidas, simul atque crassas, ad locum cerebri: ethereas atque spirituosas, ad locum cordis: Calidas vero atque humidas, ad locum iecoris: & ad vnamquamque partem, ex illo semine delineandam, eam partem mittere debet, quae illi parti sit maxime familiaris. Inepte namque ageret natura, si ante huiusmodi partium dispositionem, efformaret: quod enim vtile est in semine, in tunicarum generatione consumeret, & partes cerebro idoneas, in corde cogeret. Unde haec partium seminis dispositio, simultanea necessario euadit: non enim minus oportet, a loco cordis, partem cerebro creando idoneam, separare: quam a loco cerebri, partem cordi creando aptam. Quod si contigerit interdum, vim formantem, in huiusmodi partium seminis dispositione errare, monstrosa multa contingunt, homines bicipites, monoculi, hermafroditae: & alia huiusmodi portenta. Interim vero dum natura, seminis partes suis locis digessit, actione caloris fiunt magis solidae, & fingendis membris aptiores: erat enim initio, semen instabile & tremulum, formandis fere membris ineptum, fit autem aptum concrefcente magis, & solidiori facto. Concrefcit & solidius fit tum calore vteri, tum nutritione propria, quam calor natiuus seminis, & vegetans quae in ipso residet anima, in ipsomet semine ab initio operatur, ne dissolutum pereat: ante ciborum enim, vmbilici, & venarum formationem, tenerrimum & fluidum semen existens exolueretur, si omni nutritione careret. Sed unde nutritur, si alimentum differentia vasa nondum sunt creata? Dicendum quod ut ex crassioribus & magis terrenis seminis partibus, tunicae creantur obuoluentes factum: ita etiam sunt in ipso praesertim in foemineo, partes aliae tenuiores, frigidiores, & minus efficaces, quam generationi conueniant, ex quibus vtilissimum semen nutrimentum summit. Perindeque ipsi euenit, ac cepis: quae toto anno in domibus suspensae germinant, nutriuntur, & cauliculos ex se producant, non aliunde quam ex interno alimento, in cepa ipsa reperto: puta ex partibus quibusdam inanimis ipsius cepae, quas natura in alimentum summit. Nec aliud voluit Galenus primo libro de Semine, cum muliebri semine, virili esse alimentum pronuntiat. Tenuius enim (inquit) ipso cum sit, & frigidius, accommodatius ad alimentum praestandum, quam quidpiam aliud est. Quibus verbis nolim intelligas, vniuersum foemineum semen, in alimentum masculi cedere: quod enim in nutrimentum iam cedit, nec materiam, nec formam praestat, si quidem alterius virtute in aliud migrat non manet, quare nec materia est, nec efficiens: quorum vtrumque (apud Galenum) ambo semina praestare debent. Ad eum ergo quem diximus modum, semen quod initio fluidum & tremulum erat, ac instabile, nutritur, augetur, & crassescit. Ex eo autem hanc crassitudinem & aptitudinem adeptum, natura corpus infantis creat, quadraginta aut triginta diebus: non enim certus, aut praefixus aliquis terminus, formationis est, sed quidam citius,

alij

alij tardius formantur, penes temperaturarum, atque sexuum rationem. frigidus enim temperamento praediti, & foeminae, tardius formantur, sicut calidi & masculi citius, quoniam ope caloris fit formatio. Incidit autem inter graues auctores, Aristotelem (inquam) atque Galenum discordia, de ordine quo membra generantur: Ille enim, cordis generationem, primam esse credit, corque primum omnium viuere, & vltimum mori censet: Hic vero iecur, ante alia generari docet, & sunt pro vtraque parte probabiles rationes. Iecur enim ante alia generari (ut Galenus voluit) videtur primo, quoniam est principium alimenti reliquorum membrorum, quare omnia praesupponunt iecur, siquidem non possunt viuere, sine alimento. Secundo, nam ante animationem, viuunt fetus vita plantae: ergo cor, nullius tum temporis usus erat, est enim sedes facultatis vitalis, qua non indigent plantae, sed solo iecore, in quo naturalis vis habitat. Tertio, nam vena, quae sanguinem pro fetus alimento trahit, recta fertur ad hepar, & postea locum cordis conscendit. Quarto, nam hepatis facilior est generatio, quam aliorum: fit enim ex sanguine fuso, qui perinde ac stabe implet interstitia venarum, quae ibi disseminantur. Quinto, nam experimentum Hippocratis, libro de Natura infantis, ostendit sexta die formatum esse iecur, quando nullum initium cordis fuit visum. Verba autem Hippocratis, sunt quae sequuntur. Ipse equidem, genituram vidi, delapsam vtero, sex diebus postea quam concepta esset: quae qualis mihi tum animo visa est, ab ea reliquorum omnium coniecturam desummo. Verum quomodo illam, sex dierum genituram viderim, narrabo. Erat uxori meae, elegans fidicina, quae cum viris versabatur, nec tamen decebat eam grauidam esse, ne minore in pretio haberetur: audierat autem illa, quae mulieres inter se dicere solent, semen vtero non excidere, si mulier conceptura sit, sed intus manere: quod quidem audiens intellexit, semperque animo tenuit. Itaque cum forte sensisset, semen non egredi, rem domitiae aperuit: atque ipse postea factus sum certior: Iussi protinus ut in terram dissiliret, quod cum iam septies fecisset, genitura decidit, atque in terram cum sonitu delapsa est: Illa videns mirari coepit. Erat autem oui crudi instar, a quo exterius putamen exemptum est, & in quo per internam membranulam, internus humor transparebat. Illi sane (ut vno verbo dicamus) erat per similes, ac rubra praeterea & rotunda. Apparebant autem in membrana, albae crassaeque fibrae, cum sanie crassa & rubente, conuolutae & implicatae: ipsa autem exterius, tabo aspersa erat. In eius autem medio extabat aliquid tenue, quod mihi vmbilicus esse videbatur, eoque primum spiritum tum attraxisse, tum reddidisse. Atque ab eo tota quae genituram continet membrana protensa erat. Talem quidem sex dierum spatio conceptam vidi. Ex qua sententia constat, vmbilicum prius generari, non quoniam princeps sit, sed quoniam necessarius ad alimentum. Post hunc iecur, quod reliquis membris nutriendis, debet praestare materiam: cordis autem ne initium quidem, tum temporis apparuit. Nam si sigillatim, Hippocratis verba contempler, genituram quam vidit, erat instar oui, id est non prorusus rotunda, sed productior: instar (inquam) oui crudi, a quo exterius putamen delibratum est, siue enim ouum decoquas, siue ex-

ter

ternū putamē non eximas, pellucidum esse nequit: in huiusmodi autem genitura, intraneus humor pellucebat, perinde atq̄ oui crudi, & a duriori cortice delibrati albumen transparet: albumini enim erat persimilis, intraneus illi humor. Rubra præterea & rotunda quædam substantia, intra chorium, præter albumen ipsum apparuit: quæ iecur erat, indistinctum adhuc, atq̄ informe: nam ex omnibus interaneis, nullū reperies, quod sanguinem magis æmuletur: siquis enim sanguinem, in aquam modice calidam fundat, ex coagulato sanguine, substantiam hepatis omnino similem reddet. In membrana autem, seu chorio, albæ, & crassæ fibræ conuolutæ, & implicatæ: venarū erant arteriarumq̄ delineatio, quæ ab uteri vasis profectæ, per chorium ipsum disseminantur. Sanies autem crassa, atque rubens, quæ dictis fibris conuoluta implicabatur, sanguis erat ab uteri vasis, in vasa cæpta delineari, tractus pro nutritione. Erat autem membrana exterius, atro sanguine resperfa, forte quia (vt notat Gorrheus) ex sanguine in nutritionem accepto, puriorem & tenuiorem portionem assimilat: crassiorem autem & feculentam excernit, & expellit, in medium uteri & chorij spatium: aut quoniam tunica hæc, ob nutritionē ex sanguine, carnea & sanguinolenta fieri cœpit. In eius autem medio, extabat aliquid tenue, a quo, tota quæ factum continebat membrana, protensa erat: Iudicauit autem Hippocrates, & merito, umbilicum id esse, primo quoniam medium exacte corporis umbilicum tenere, constat dimetienti, non cor, vt voluit Aristoteles. Secundo, quoniam nulla prorsus parte, chorion fatui adheret, quam umbilici interuentu & nexu.

Hæc quidem præcipua sunt argumenta, quæ iecur ante cor generari suadent, quibus alia opponunt Aristoteles, & Auicennas, quæ cordi primam originem concedunt: inter quæ, princeps est hoc quod sequitur. Reliqua membra, adeo pendent ex corde, vt sine ipso nequeant constare, nec operari: cor enim omnium temperaturas seruat, & actiones vegetiores reddit: incallescete corde, febricitant omnia membra, frigente frigent, imbecillo factio imbecilla sunt, emoriente moriuntur, viuente vitam accipiunt: aliorum ergo nullum, sine ipso generari, consistere, nec operari quibit: id ipsum vero, sine alijs consistere, non repugnat. In tanta grauiſſimorum autorum cōtrouersia, audaciſſimi hominis erit, litem componere tentare, faciusque forte foret, causam vt accepimus reliquisse, quam inter Philosophiæ ac Medicinæ parentes, sententiam ferre. At malumus cum aliqua vtilitate legentium, audaciam nostram nouisse, quam quæ animo concepimus conticere. Prima post semen utero cōceptum, naturæ nostrum corpus fingentis actio (vt dixi) partium seminis dispositio est, quæ ætheream mittit ad locum cordis, frigidam ad locum cerebri, & calidam ad locum hepatis, crassas, terrenas, & minus vtilis, circūcirca: ex quibus proueniūt tunica, & umbilicus, & venæ quæ tendunt ad iecur, & arteriæ, quæ verisimile est, quauis nō vsque adeo certum, ad cor pertinere: venæ item, vbi iecur fieri debet aperiuntur, & sanguinem illic effundunt, qui postea concreſcens iecur est. Apparet autem hæc, & certa sunt ex anatome, & ex historia Hippocratis recēſita. Sed interim quæro,

dum

dum hæc fiūt in iecore, venis, chorio, & umbilico infantis, sint ne otiosæ, nec ne, aibe reæ & spiritosæ partes, quas natura misit, ad locum vbi cor fieri debet? esse sane otiosas natura non patitur: si vero operantur, quid aliud quam cor operentur, nō video. Id ipsum, de partibus cerebro creando, a natura dispositis, deq̄ alijs omnibus solidis partibus, quæ tardius formatae conspiciuntur, inquirō: censeo hercle, omnium generationem simul esse cœptam, diuerso tamen tempore finitam: quod formationis actio, non sit omnibus æque celer, sed quibusdam tardior. Pendet autem celeritas aut tarditas formationis, sicut & alterius cuiusq̄ actionis, ex proportione causæ agētis, ad causam quæ resistit. Causa porro agens, calor natius est, saltem vt instrumentum, quo formans vtitur facultas: causa vero resistens, seminis est tenuitas, & fluxibilitas: fingi enim solidum, ex diffuente humore, nisi prius concreſcat non potest. Hinc ex causa agente, membrum calidius, citius formatur, quam frigidius: ex causa vero resistente, durius & siccius, formatur citius, quam molle humidum atque tenerum. Cor sane quoniam omnium est calidissimum, & ex solida constat materia, ante omnia formari existimo: cerebrum tardissime, plurimum enim & friget atque humet, quæ ambo formationi sunt contraria: chorion, venæ, & arteriæ quæ ab ipso disseminantur, ex terrena constant materia, citæ cōcretioni apta, quæ quauis calidum, formationis autorem exiguum habeant, ab uteri calore, cuius faciem contingunt, iuuatur adeo, vt statim fere ac iniectum est generentur. Iecur vero, harum venarum generationem sequitur, siquidem eæ (vt diximus) aperiūtur, & sanguinem illic effundūt ex quo generatur: quare quauis eius esset generatio facilis, quoniā ex sanguine constat, qui citissime coit: quoniam tamē per venas, huiusmodi sanguis deriuatur, non fit nisi præmissa generatione venarum, quæ ad eum pertinent. Quo sane tempore, cor fere formatum esse, tam exigua magnitudine, vt non appareat, est verisimile: nam vt autor est Auicenna, nono libro de animalibus, in quibusdam dum primo exoritur, veluti punctus est. Quin ex dictis apparet, omnia radicalia membra, prius formari cœpisse quā iecur: præeuntes enim venas requirit iecur, quæ dū generabantur, radicalia cætera nō erāt otiosa. Postquā vero sanguis, ad locū iecoris effunditur, citissime formatur, quoniā sanguis facile coit, & exigua cōmutatione, in iecur vertitur: citiusque, in cōspectū venit, quam cor, & alia quæ prius cæperūt fingi. Hinc nos non parum probabile censemus, necessariū non esse, vt ordo procreationis mēbrorū, seruetur in omnibus idē, forte enim in eo, qui frigido corde, & hepate valde calido cōstat, generatur prius hepar quā cor. Nā vtriusq̄ opinionis autores experimenta afferunt: Galenus historiā ancillæ refert, Auic. vero. 21. 3. trac. 1. cap. 2. ita scribit, & sermo iste ostenditur esse corruptus, ex via experimenti, quoniā studiosi in hac re, non testificantur rem esse, secundum quod existimauit omnino ex ratiocinatione. Et Aristoteles. 3. de Partibus animalium, cap. 4. postquā cor in generatione, omnium primū consistere dixit, subdit. Hæc ex cōceptione animalium perſpici possunt, atq̄ etiā ex generatione, cor enim statim omnium partium primū consistens, sanguinolentum est: ipsumq̄ in prima partium generatione, statim palpitare asseuerat.

Si



Si ergo experimenta sunt contraria, ordo non seruetur vnus in omnibus. Nam femina quoniam frigidior, decem diebus tardius formatur masculo: non minus autem distat cor calidum, à frigido, & iecur calidum, à frigido iecore, quàm masculus à femina: ergo totidem dies, & plures, cordis aut iecoris formatio, tardari aut accelerari est opere precium. Nec vtriusque sectæ argumenta, nostræ obstant sententiæ: Quid enim prodest Aristoteli, atq; Auicennæ, quod corde indigeant reliqua membra, & sine ipso nequeant suas actiones obire: si ante animationem, nec verum cor est, nec facultatem habeat vitalem, nec pulsum aliquem, nisi forte à matre. Formari præterea non est actio membri, sed passio: quamuis ergo sine corde, reliqua membra non possent agere, possent formari & perpeti, ab spiritu formatore. Si simul præterea omnium radicalium cœpit formatio, quantum vnus altero perficiatur prius, aut posterius, vnus non est sine altero, cor inquam sine iecore & cerebro, nec iecur sine cerebro & corde, nec sine corde & iecore cerebrum. Ab initio enim plasmatis, cor neruum habet & venam à cerebro, & iecore oriunda, cerebrum venam, & arteriam, & iecur arteriam & neruum. Quid quoque prodest Galeno, iecur esse autorem sanguificationis, & principium alimenti, si foetus nutritur, ex sanguine matris utiliori, in ipsius matris iecore elaborato. Quid præterea prodest ipsi, quod vena ante ad iecur, quam ad cor feratur, si cor ex semine, & non ex sanguine erat formandum: si item arteriæ ad cor perueniant, & non ad iecur. Quid præterea ex historia Tibicina ab Hippocrate memorata, colligere potest, quam cor ibi non apparuisse, sed iecur: quod cum ex sanguine constituatur, vel ab ipso initio fuit magnum, & visum latere ob magnitudinem non potuit: rubrum quoque in albo humore translucet maxime, cor vero pusillum, & ceu punctum, vix apparet: quod etiam cum albu sit & semineum, in ipso semine non translucet, sed cum semine facile confunditur. Accedit quod in abortu, vesica cordis facile rumpitur & disparet. Dictis addit fidem quod in ijs animalibus quæ ex ouis nascuntur, primum quod oritur, & in conspectum venit, cor est, vt notat Real dus Columbus, lib. 12. de re anatomica.

Nec miretur quispiam, quod cum Galenum aliis maxime veneremur, hic displiceat nobis, nam nec ipse, sibi fidit hac in re, quæ enim particula sit, quæ primo consistit, dum foetus formatur (vt libro de foetus formatione scribit) ipse nouit euidenter, qui formauit eam creator. Vnde quamuis eo libro, decernat hepatis generationem antecedere, id non tradit tanquam certum & euidentem, sed quoniam probabilius, ob memoratas supra rationes sibi tunc fuit visum: & ob id palinodiam ibi recantat, quoniam in contraria semper steterat sententia. Sic libro primo de Semine capite decimo, cor atque cerebrum, similiter vt hepar, circa primos gestationis in vtero dies, quasi fundamentum quodam generationis obtinere tradit, quamuis non appareat præ paruitate: cui sententiæ nos magis stamus. Et insuper eo tempore, seminis reliquas partes, & spiritus earundem formatores, non otari arbitramur: quamuis adeo tenuis & inconspicua, quorundam membrorum formatio incipiat, vt dixi post multos dies finatur. Quod quo ordine, qua ve ratione, fabricauerit natura, explicatius audi.

De

De spiritu formatore, & tempore totius formationis, in quatuor minora tempora diuiso.

CAP. V.



Emen vt Galenus est autor, lib. 1. de Semine, cap. 7. spiritu vitali, plenu est, accepit autem ibi Galenus, vitalem spiritum, pro spiritu gignitio, formatoreque, in quo trium spirituum, vitalium, naturalium, & animalium vis est, vt tractatu de Spiritibus, & innato calido dicemus. Ob id recte Aristoteles, semen spumæ assimilauit, multas bullas præ paruitate inuisibiles habenti, & fabulam non improbauit, quæ venerè ex spuma nata esse tradit. Ob id si extra effusum aliquando fuerit, paulo post diminutius multo apparet, ob spiritum inde spirantem & abundem, lib. 14. de Vsu part. autore Gal. Hic sane spiritus formator, per vniuersum semine abundans, partes seminis, cuiusque parti formandæ idoneas, in locum suum distribuit, vt diximus: in ea autem partium seminis dispositione, multæ bullæ rumpuntur, ex quibus intro & ad profundum, spiritus se ipsum seruare cupiens, cessit: neque enim velut vapor erat, sed per se mobile principium animalis, lib. 1. de Semine, cap. 10. autore Galeno. Quod sane nihil aliud est, quam spiritum huiusmodi, animatum statuere, est enim anima in phædro apud Platonem, motionis fons, aut origo, aut principium: animatum vero per se mobile, id est in se, & non aliunde, habens motionis originem: Nam profecto si spiritus animatus non esset, cum sit leuis, & ceu vapor quidam, bullis ruptis euaporaret, & non reciperet se intro, pro sui custodia. Nec vero solæ receptioni sui ad intra fidit, nam tota seminis substantia, cum spiritu introcluso, facile difflueret, nisi chorion dictum crearet, vniuersum semen. (vt diximus) vestiens. Nec etiam introclusioni, & chorij operimento fuit contentus, cum enim tenuissimam simul, ac calidissimam substantiam habeat spiritus, facile dissiparetur, nisi alimentum ex spiritu vitali, per arteriarum delineamenta acciperet: ob idque, non inutilem operam insumpsit, in fictione chorij, vmbilici, & vasorum, quæ hæc ipsa necesse sunt vtero, & spiritibus ab vtero venientibus, aditum præbent. Spiritus vero formator, ex bullis ruptis intro coactus, non fortuito huc atque illuc se recepit, sed vbi utilior & magis necessarius erat futurus, ad locum nempe cordis, cerebri, & iecoris: vbi tres bullas creauit, cordis, cerebri, & iecoris, ex partibus seminis, ijs membris creandis, inibi ab ipso dispositis, vt autor est Auicenna, Fen. 21. . 3. tractatu. 1. cap. 2. Hæc sane bullæ, ad initium, etiam ante chorij generationem fiunt, præ paruitate tamen non apparent: quæ autem ex eis citius apparet, ob causas superius memoratas iecur est, post vero apparent reliquæ duæ, licet omnes simul fieri cœperint. Quando vero primum apparere incipiunt, ex vicino inter se sita, & se mutuo contingentia sunt: cerebrum in altiore sede locatur, subiactum autem ipsi cor & hepar mutuo se contingentia: tempore vero progrediente, hæc iam dicta tria principia longius disparantur, & à se ipsis diducta, manifeste ea videre licet. Quo tempore reliquarum omnium partium designationem, & lineamenta, & quasi adubracionem,

k videbis

videbis: euidentiore quidem, in partibus quæ circa tria principia generantur: obscuriore vero, in partibus circa ventrē, & multo adhuc bis obscuriore circa artus, hi enim posterius apparent. Spinalē namq̄ medullā à cerebro ortā, & craniū cerebro circū datū, venā quoq̄ cauam à iecore, & aortā à corde prodeuntem, & thorax circū cor sitū, euidētius quodāmodo perspicies: obscurius quæ circa ventrē sunt, & obscurissimā artuū delineationē iudicabis. Iam vero cū omnia in artubus, sunt plene articulata, corpusq̄ tot instrumentorū harmonia effectū est, anima Dei beneficio accedit rationalis (est enim anima, non cuiusuis corporis forma, sed organici, vt lib. 2. de Anima cap. 1. autor est Arist.) quando & pedibus calcitrare, & velut perfectū animal moueri dicit Hippocrates. Hæc ergo ad hūc vsq̄ terminū, animationē, & motū, perducta formatio, in quatuor tēpora digestit Gal. 1. de Semine, cap. 11. Primum, cū seminis species exuperat, & dominatur in cōceptu, & appellatur ab Hippocrate tūc tēporis genitura, qualis fuit ea, quæ sex dierū fuit elapsa. Secundū, cū carniformis, & nō amplius seminiformis est cōceptus: quo tēpore, cor, cerebrū, & hepar, firmitatē aliquā, & magnitudinē memorabilē habent: rudia tamē sunt, & informē adhuc articulationē, sunt nacta, quo tēpore, iā nō amplius geniturā sed fœtū appellat. Tertiū deinde tēpus est, quādo tria illa principia, sunt manifeste articulata, & reliquarū omnium partiū, obscura quædā & inarticulata adūbratio, & delineatio cōspicitur. Quartum atq̄ vltimū tēpus, exactā habet dearticulationē mēbrorum, animā, & motum: quo tēpore, puerū iā appellat Hippocrates, quia vt perfectū animal, & palpitat, & mouetur. Tria priora tēpora à semine habet (omnē scilicet generationē, ac formationē) vt plāta: quartū vero tēpus, ab anima, & trium principiorum progerminationibus obtinet: vt scribit Gal. 1. lib. de Semine, vbi posuit fœtuū duplex principium, quorum vnum habent velut plantæ ab ipso semine: alterum vero velut animal, à tribus præcipuis membris, cum iam perfecta sunt & absoluta.

Quot autē diebus, vnūquodq̄ tēpus duret, prætermisit dicere Galenus, ob rei forte incertitudinē, nō enim fœtibus, neq̄ expressæ formationis, neq̄ motionis, neq̄ absolutionis, atq̄ egressus in lucē, vnus præfinitus terminus est, vt Gal. scribit, ad initium libri de fœtuū formatione. Vbi medicū etiā quendā reprehēdit, qui cum semel abortiuū fœtū, duorum & triginta dierū, expressa iā, formationis delineamēta, habere vidisset, id quasi in omnibus ita fieret, asserere nō est veritus. In vtero calido & in eius dextra parte celerius formātur pueri, inares quoq̄ prius quam fœminæ: sicut si victu vtatur calido vtero gestās, si iuuenis sit & valida, celerius formabit. Cōtra vero tardius, quæ frigidū vterū habēt, & quæ in sinistra parte gestāt, & quæ iuuentutē trāsgressæ, inclinantē, etatē agunt, & quæ frigido atq̄ humido victui assueuerūt. Hæc sane omnia si iungātur, tardissima fiet formatio: & forte quædam mōstrosa, indistincta, & male articulata, prodibūt: sicut si priora illa iungas, celerrime formabitur fœtus: Scribūt enim autores, visum esse fœtū, omnium mēbrorū habēs delineationes, magnitudine apis, & alij magnitudine formicæ magnæ, qui sane nunquam apparuisset, nisi celerrime figuraretur. Contra vero refert Nicolaus Florentinus, quod Iacobus de

de Monte caluo, abortū fœmineum vidit, tertio mense, sine vlla membrorum extremorū formatione, & aliū prope mensem quartū, nullam manifestam formationē habentem. Similia forte experimenta, vidit Arist. qui. 7. lib. de historia animalū, cap. 3. Fœmina (inquit) quæ ante tertium eruperit mensem, indistincta est, nec ante nonaginta dies, in vtero sentitur. At in tāta varietate, est frequentia & raritatem reperire: celerrimā, & tardissimam formationem, rarius videmus, mediā vero frequenter: hanc ceu magis doctrinalem, & cui magis est standū, pingit Hipp. lib. de natura pueri, vbi distingui quidē ac discerni fœminæ artus, intra duos & quadraginta dies vt longissimum, maris vero intra dies triginta docet. Quod probat ex purgatione post partum, & ex abortibus. Ex abortibus quidem, nā multæ (inquit) mulieres, puerū abortiuum, paulo ante trigesimū diem edidere: sed etiā prorsus indistinctū, atq̄ inarticulatum: qui vero post eum diem, aut illo ipso die eiecti essent, visi sunt omnes, cōpositis membris articulatisq̄: sic vero res habet, etiā in puella, ad portionem duorum & quadraginta dierum, si quando abortu perierit: siquidem vt ante istud tēpus, aut postea vtero fœtus exciderit, sic mēbra distincta & cōposita merito necessarioq̄ habet, puella quidem die secūdo & quadagesimo, puer vero trigesimo. Ex purgationibus vero post partū, idem probat: nam quæ filiam peperere diebus duobus & quadraginta purgantur: quæ certe purgatio, vt maxime est diuturna, sic perfecta est, attamē etiam periculo vacauerit, si viginti quinq̄ diebus peragatur: verum quæ marem genuerunt, triginta diebus purgantur, estq̄ longissima eiusmodi purgatio, plena, perfecta q̄: quæ tamen si viginti modo dies duret, nihil prorsus habet periculi. Ex copia ergo sanguinis expurgandi, relicta in matre, cōformationis tarditatem, colligit Hippocrates: nā filia ob frigiditatē, & humiditatē, minus alimenti absunit, quā mas, qui calidior et sicciore tēperamēto est præditus: quæ vero minus absunit, plus relinquit in vtero expurgādū: ob idq̄ merito ex multitudine expurgationis, colligitur paucitas calidi innati, & ex paucitate calidi innati, tarditas cōformationis. Auic. vero. 21. 3. trac. 1. cap. 2. sic scribit. Determinatio autē dispositionis, masculi, & fœminæ, in distinctione spatij, est res, quā quedā pars Medicorū, iudicat audaciter, & stulte: nam multæ fœminæ citius, & masculi etiā plures tardius formātur. Celerriorē autē formationē, siue maris sit, siue fœminæ, agnoscit triginta quinq̄ dierū: tardiorē quadraginta quinq̄: & mediā quæ frequentior est, dierū quadraginta. Hanc autē quæ quadraginta diebus finitur, partitur sic. Primis sex diebus fit spuma, id est ex ruptione quarundam bullarū, quæ fit, cum partes seminis suis locis disponuntur, spiritus non exhalat, sed introcedit, & vesicas facit cerebri, cordis, & iecoris, ac si in eis partibus spumesceret semen. Deinceps sequitur delineatio mēbrorū, quæ exoriuntur à principalibus, quæ fit tribus diebus sequentibus. Sex diebus qui deinceps sunt, delineationes factæ, replentur sanguine, vt membra fiant. Duodecim diebus proximis, sanguis qui lineationes replenerat, vertitur in carnem. Nouem diebus sequentibus, separatur caput ab humeris, brachia & cubiti à costis, crura ab inuicem separantur, nerui ad articulos deferuntur, nasus, & aures extra

carnem eminent, & perforantur, oculi humore puro replentur, pudendum quale nam sit, manifeste apparet, viscera conformationem accipiunt, venter spiritu attollitur, à ventre & intestinis, in podicem, foras via patet, atque ab ipsa similiter vesica. In summa omnium fere membrorum, conspicuam formationem videbis, pauciorum vero quorundam obscuram: quæ tamen evidens sit, quatuor diebus sequentibus, in quibus vltimum apparatus, obtinuit anima rationalis, cuius merito introducit. Tardior autem illa formatio, quæ quadraginta quinque dierum est, hac ratione partitur ab autoribus (quam partitionem in Augustinum referunt) primis sex diebus, est seminiformis, nouem sequentibus, sanguiformis: duodecim post hos, carniformis: decem & octo sequentibus, vniuersa conformatio perficitur. Et carmina extant, quæ hæc tempora memoriæ subiiciunt huiusmodi.

Sex in lacte dies, tres sunt in sanguine trini,  
Biseni carnem, triseni membra figurant.

Quæ sane à quatuor temporibus, in quæ Galenus, vniuersam conformationem diuisit, pene non differunt. Est ergo iam tibi conceptus in vtero conformatus, varium instrumentorum apparatus, & dispositionem habens necessariam, introductioni animæ rationalis. Anima enim vegetans, & plantatitia, in semine residens, suis facultatibus eo pertraxit semen, vt aptum esset vltiori formæ, ipsa non abeunte. Nam quorsum abiret, dum propria se actione, in meliorem statum euexit? An interitum suum curauit vegetans anima seminis, dum in vtero sata, altius egit radices, & pabulum ex matre habuit copiosum, ipsaque firmior nutritione facta est? sunt ne contrariæ dispositiones, quas ipsa sibi inuexit? non equidem. A quo ergo corrumpitur? nõ sane ab alio quam ab autoribus quibusdam, qui quoduis monstruosum nobis potius dabunt, quam duas substantiæ formas, in eodem subiecto manere permittant, quantumuis vna, sit alteri, necessaria & præuia dispositio. Quin non modo animam plantatitiam interiment, sed vniuersam hanc organizationem, nexum, formam, structuram & magnitudinem, quam natura, summo artificio quadraginta diebus effluxit, momento pessundant, & sola animæ præsentia reparant, quoniam accidenti repugnet mutare subiectum. Sed male affectis & prauis opinionibus addictis, nec si plura dicantur sat erunt. Fœtus animam accipiens, omnes eius potentias recepit, sentiendi, mouendi, & intelligendi, sunt enim ab anima inseparabiles. Hac non vtitur in vtero, nec extra vtrum recens natus, donec cerebrum madens exsiccat, & intellectioni aptum fiat. Sentiendi præterea potentia aliqua interiori, eadem ratione non vtitur, nisi ex grandi Dei miraculo huiusmodi duæ potetie, actiones suas anteuertat: cuiusmodi fuit, exultatio Ioannis in vtero, de conceptione dñi. Externis sensibus nõ vtitur, nisi tactu, quo calida, frigida, humida, sicca, pungentia, cõtudentia, blãda, voluptuosa & dolorosa percipit. Motiua quoq; vtitur in vtero, non tamẽ vt simul, ac animatũ est sentit, ita etiã moueri potest, nam sensus passio est, motus actio: & ob id maiori facultate opus est ad motum, quam

ad

ad sensum, & neruorũ duritie maiori, quæ non statim, sed temporis spatio comparatur. Quantum autem sit id spatium, ex ijs est quæ exacte sciri nequeunt. Auicenna vero ne videatur ignorasse, tempori formationis, bis tantũ addit, vt tẽpus motus diuinet: siquidem quadraginta diebus formatur, centũ viginti mouetur: si mas formatur tri- <sup>in feminis 120 diebus.</sup> ginta diebus (vt voluit Hippocrates) nonagesimo die, postremo scilicet tertij mensis <sup>in masculis, 90</sup> mouebitur: & fœmina quæ tardius formatur, tardius quoq; mouebitur. Quod sane non placet, nam mulieribus, non est detrahenda fides, de ijs quæ in suo corpore sentiunt, multo autem ante hoc tempus, motum fœtũ, & quasi volitantis muscæ titillationem, ipsas deprehendisse ex fide dignis accepimus. Nec est ratio aliqua formationis ad motum, quæ certo aliquo temporis spatio, animãtia impediatur quominus moueantur, Fortuna vero perpetua esse nequibit.

Quando infanti vngues & pili surescunt, & an pili & vngues sint animati.

CAP. VI.



Conceptus ætate vltius labente augetur, & magis ac magis perficitur, adeo vt excrementa quædam, in vsum corporis conuertat: pilos enim & vngues, ex recrementis, ad corporis decorum, & vtilitatem, ante partum natura creat. Quorum tamen (vt inquit Galenus libro Artis medicinalis cap. 9.) nullum est regimen, sed generatio tantum, hoc est non nutriuntur, nec vere augetur, nec vitam in se continent, nec actionem, nec facultatem, nec gubernationem vllam habent, sed ortum tantummodo ex recrementis, quæ à natura in eam formam protruduntur. Est autẽ vnguuium generatio huiusmodi, nerui, ligamenta, tendines, arteriæ, & venæ digitorum, crassius & magis terrenum recrementum, quam carnosæ aliæ partes relinquunt, quod tamẽ propter crassitiẽ non resoluitur, sicut recrementũ carnosarum partium: sed à facultate expultrice, in vnguuiũ sedes pellitur, vbi magis resiccatur, magnam duritiẽ & soliditatem comparat. Pilorum generationis, idem modus est, qui & vnguuium, generantur enim, ex crasso & fuliginoso vapore, qui in angustis meatibus cutis detentus, siccatus & vstus, formam oblongam ipsius meatus assumit: hunc autem impellit alter, à tergo illi adherens, qui tum resiccatur, vnde quod in pilo modo est radix, postea medium, & tandem extremum efficitur: & vulnera ac cicatrices, circa radices vnguuium, paulatim abeunt in extremum. At in ijs quæ vere augetur, & viuunt, atq; gubernationẽ, seu regimen aliquod obeunt, posterior pars, nullo modo priorẽ propellit, sed vniuersis partibus, natura semper aliquid adijcit. Hinc pili & vngues præscissi, omni ætate, vel decrepita & præcipitata rescunt. Hinc etiã heceticis, & tabidis (quibus reliquũ corpus, nõ modo non augetur, sed etiam plane exhauritur & liquefcit) ac etiam cadaueribus, vngues & pili surescunt: quoniã non naturæ attrahentis beneficio, sed excrementi redundantis vni- <sup>egressu</sup>

k 3 egressu



egressu ab radice, duntaxat augentur. Neque obstat, quod pueris, una cum digitis, ungues quoque, in longum atque latum crescunt, pariterque in profundum, et aetate crassiores, durioresque euadunt. pili quoque, prouectis, quam pueris longiores, crassiores, ac rigidiores sunt, sine nutrimento intro subeunte: quod enim in latum spargantur, facit partem a quibus prodeunt amplitudo maior: quod vero fiant crassiores, excremento sciciori, adustiorique facto, est referendum. Neque obstat item, quod pili et ungues, non crescant in immensum, sed definita incrementi legem et metam habeant, quam non praetergrediuntur: causam enim hoc habet naturalem, quamuis Fernelius vir apprimè doctus, lib. 2. Physiologiae, cap. 2. unum hoc esse ex his, in quibus non aliud quam mirari liceat, Dei et naturae prouidentiam scribat. Sed si pilus et unguis: eo augentur, quod a simili materia propellantur ab radice, ad eam magnitudinem veniendum est, quae propelli minime possit: hinc derassi atque praecissi citius et crassiores subnascuntur, ob minorem in propellendo resistentiam: quo vero sunt auctiores, tardius, et imbecilliores praedunt, tandemque eam attingunt magnitudinem, quae nequit propelli. Galeni tamen locus, hic non est praetereundus, qui sui forte immemor, lib. 2. Anat. administ. in fine, de unguibus agens, ita scribit. Ceterum in radice ipsam, non modo neruus, sed etiam arteria, uenaque porrigitur, unde sensum, vitam, et alimentum, sicut aliae partes accipiunt. Quae sane uerba, praeterquam quod sunt contraria, ijs quae tradiderat libro Artis medicinalis citato, falsa uidentur. Primo, quonia licet uena, arteria, et neruus, ad unguis usque radicem perueniant, non tamen per unguem, nec per eius radicem propagantur: sed cum radicem attingere, ibi terminantur, ut ex ipso Galeno parum infra elicitur. Secundo, quoniam constat, ungues carere sensu, pulsu, et nutritione: de pulsu ambiget nemo, de sensu monstrat experimentum, quamuis enim unguem prope radicem incidas, nunquam dolorem mouebis, donec carnem subiectam detegas. Constat quoque experimento Galeni, quod dum neruus aliquis, laqueo circumplectitur, pars nerui quae infra laqueum est, non sentit, facultate animali ultra laqueum non delata: si ergo ad radicem unguis, finitur neruus, unguem ipsum non reddet sensiuum: non enim est minus neruum finire, quam laqueo necari. Ungues autem, uera nutritione non alii, constat experimento a nobis allato, quod vulnera, et cicatrices, circa radices unguum, paulatim abeunt in extremum, et quod modo est radix, fit interdum medium, et postea extremum, non enim aliter ac capilli augentur, et renouantur ut idemmet Galenus, eodem .2. de Anatomicis, parum infra scribit, his uerbis. Verum in ungues haec non dispensantur, eo quod pilorum modo, ab radice exeuntes augentur. Satius enim erat et hos, sicut pilos quoque semper renouari, et cum atteruntur, nunquam incrementum suum intermittere. Hinc detegitur error quorundam, qui dum haec duo Galeni loca componere student, scribunt: quod radices unguum sunt animatae, nutriuntur, uiuunt et sentiunt: extremi uero ungues, multum iam a radice recedentes, neque uiuunt amplius, neque nutriuntur. Et quod illud uoluit in Anatomicis, hoc in Arte medicinali Galenus. Non uident tamen, quod id quod modo est extremum fuit antea radix, quare aut animam nunc etiam habet

extre-

extremum existens, aut quam habebat amisit. In tanta quoque breuitate, quantum habet unguis: ridiculum est, extremum a radice multum recedere. Vanum quoque experimentum, ipsos afferre iudico, de unguum cum ex uulnere deciderunt regeneratione: Regenerantur enim (inquiunt) non aliter, quam reliquae partes quae deficiunt, expurgata carne subiacente, et siccata mediocriter: et in pueris citius (ut quibus fortis est facultas altrix) subcrescunt. Sed frustra ex hoc animatos esse ungues colligis, siue enim animati, siue inanimati sint: materia ex qua proueniunt, sicca est, sicci enim ac duri sunt futuri. Quod uero in pueris regeneretur citius (quamquam nec id uerum existimo, propter puerorum humiditatem) potius in abundantiam materiae excrementosae, ex qua generantur ungues, quam ex facultate altrice nascitur: rationi enim consentaneum est, ut corpora quae plurimum alimenti conficiunt, qualia puerorum sunt, plurimum quoque exterant excrementi. Repentinæ autem canitiei causa propter metum, sine nutrimento pilorum est, quod calor natiuus atque humor, qui pilis ex natura conuenit, simul cum reliquo corporis calore, ad arcem recurrens, pilos marcidos, et arescentes relinquit, cuius ratione albescunt, quemadmodum herbae plurimum exsiccatae. Quod nostris fere temporibus contigisse Didaco de Osorio fama est, qui praemetu, unius noctis spatio, è iuene prorsus canus et capite et barba euasit: tantus fuit praemetus uolentia caloris, atque natiui humoris ad interiora regressus.

## De situ infantis in utero.

## CAP. VII.




De situ infantis in matrice, ita statuit Hippocrates, libro de natura pueri, ceterum puer ut est in utero collocatus, manus habet ad genua, caputque pedibus proximum: nec uere iudicare possis, ne si in ipso quidem utero puerum uideas, supra ne an infra situm caput teneat. Ab Hippocrate mutuatus est Auic. 21. 3. tract. 1. cap. 2. in haec uerba. Et foetus quidem ante motum suum ad exitum, est sustentatus cum facie sua super pedes suos, plantis manuum superpositis genibus suis, et naso ipsius intra ambo genua, et oculis super ea ambo, et colligit ea ambo ad anteriorem partem sui. Et est positum collum eius et facies ipsius ad dorsum matris eius, defendendo cor: et haec quidem praeparatio conuenientior est ad conuersionem faciendam. Licet quidam dixerunt, quod faciei mulieris praeparatio, est secundum contrarium huius praeparationis, et hoc non est nisi masculi. Parcaut aures delicatae, quae sermonis inelegantia offenduntur: ex omnibus enim Medicae artis autoribus, nullum reperias, qui adeo expresse et ad uiuum, situm infantis in utero depingat. Ijs enim uerbis quatumcunque barbaris, intelligimus totum foetum, in utero sic contrahi, ut pedibus nates, manibus genua contingat: ipsique insuper oculi, manuum pollicibus incumbant, et nasus, atque os, et mentum genibus interiaceant, et uniuersa facies, a pedibus non distet plurimum. Quod masculus praeterea, anteriore corporis parte, in matris suae abdomen, et posteriore in dorsum versus sit: femina uero anteriori

parte dorso imitatur, & posteriore respiciat abdomen, non prætermisit, quod sane verissimum esse monstrat partus: masculus enim facie in matris abdomen, & femina in podicem versa, nascitur magna ex parte. Hunc sane situm infantis in utero elegit natura, nam magis contractum, ob extremam figuram, laboris & molestia plenam, non decuit eligere: nec magis erectum eum collocasse par foret, nam præmeret venter, & diaphragma matris: & etiam instante partu, infans facilius inuertitur, ut in caput ferri possit, quam si esset erectior. Quauis autem adeo contractam figuram, iuuenis aut grandior puer, præ labore ferre non posset, fœtus tamen qui utero geritur, ob mollitiem in omnem partem est magis ductilis, & sine labore eam tollerat contractionem, usque in tempus partus.

De partibus breuissimis, ante septimum mensem contingentibus, vita superstita.

C A P. VIII.



Vantum autem temporis, in summat in utero fœtus, à conceptu in partum, disquisitio est, quæ magnos semper viros exercuit: reges, imperatores, pontifices, iurisperitos, medicos, philosophos & astronomos: adeoque lubricus semper fuit omnium labor, ut Deo potius quam homine, ad eam rem exacte docendam, opus esse videatur. Nam cum cætera animalia omnia, singulari ac simplici modo, partum suum perficiant (vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini vni, multiplex datum est, atque variū: nam & septimo mense, & octauo, atque etiam nono, parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam undecimū attingunt, ut auctor est Aristoteles. 7. lib. de historia animalium, cap. 4. & Plinius libro. 7. naturalis historiae, capite. 5. Quibus verbis, nolim intelligas, cætera animalia ab homine, nullam varietatem pati, inter equas enim, aut asinas (si dijs placet) calidiores, & validiores, & calida regione constitutæ, pariunt citius: frigidiores, minus vegetæ, & frigidâ regionem habitantes tardius. Si quis quoque oua plura, gallinæ ad excludendum supponat, non eodem die omnes nascentur pulli, sed quidam decimo nono, alij vigesimo, alij vigesimo primo. Eadem ratione si plantarum ortum, & prouentum spectes, quibusdam annis plures dies anticipant, & postponunt, tempus quo prouenire solent. Quod notat Ioannes Picus in Mirandula nepos. 3. lib. de prænotione. cap. 5. Vbi refert, quod anno à natiuitate millesimo quingentesimo quinto, mense Ianuario, in agro Bononiense, violæ floruerunt, coccyx & cicadæ cecinerunt, ordea, & frumenta, spicas: arbores, folia, gemmas, & flores emisserunt. Varietatem ergo omnia patiuntur animalia, & plantæ: sed homine multo minus: Cuius forte varietatis in homine maioris, causa est, frequens concubitus, toto gestationis tempore: Periinde enim ac semen, quod herbam ex se cœpit emittere, si rursus aratro proscin-

das

das disperditur: & gemmantium arborum fructus, si ligone percuseris corrumpitur, ita fœtum in utero conceptum, si crebro concubitu agites, facile decuties. Cætera vero magna ex parte animantia, vbi vno altero de maris congressu conceperunt, matrem amplius non admittunt. Ob idque fere nunquam abortiunt, mulieres vero frequenter. Alijs quoque causis abortum facientibus, magis se exponunt mulieres, quam bruta, equitationibus, vectionibus, curris, lecticis, plaustris, cingulis artissimis: quin & animi motibus, plurimum aguntur, ira, timore, desiderio, quæ corpus turbant, humores agitant, & fœtum corrumpunt: à quibus bruta, conceptus sui obseruantissima abstinent, & in tempus à natura constitutum, fœtus suos in utero fouent: secus ac mulier, quæ dictis ex causis omni mense visa est abortire, & ante nonum mensem exactum parere. Sexto die abortus, talis apparet, qualis in historia Hippocratis, de muliere Tibicina supra apparuit. Post diem trigesimam, aut trigesimam quintam, qua iam animam accepit infans, vere ac prorsus conformatum aduertes, in semidigiti magnitudine: in eo autem omnes fere partes, excepto iecore, albas ac spermaticas videbis, caput par auellane, & maius quam pro reliqui corporis ratione, oculos ut cancris exertos, nasum, auriculas, brachia, manus, crura, pedes, hisque digitos secretos, penè conspiciunt, & sub eo scrotum milij magnitudine, superiora inferioribus maiora, ossa flexibilia quocumque ducantur: omnia quoque carnes cõtectæ cute tenuissima, & pellucida, per quam interiora translucent. Secundo mense partes illas solidas, vberius nutritas, & capacitates, quæ fibris seminalibus interciderant, carne mucosa, & lenta, impletas videbis. Tertio mense gradior est fœtus, carne solidiori præditus, & iniurijs tollerandis validior existit: nam & .i. Epidemiarum, parte. 3. com. penult. trimestres, & quadrimestres, iniurijs plurimum resistere dixit Galenus. Quarto mense, firmitatem habet fœtus maiorem, adeo ut nocuentis illatis, à medicamento expurgati valido, resistere iam valeat hoc mense, ut. 4. lib. Aphor. com. 1. Gal. est auctor. Quauis autem validus, iniurijs plurimum resistens, & pharmaca valida adhibita matri, tollerans sit hoc mense fœtus: nec vidi tamen, nec legi apud autorem aliquem, quempiam eo mense natum superuixisse, nec viuere vlla ratione posse: quin ceu miraculum, inter inditia vniuersalis iudicij, quadrimestrium vita memoratur, libro 4. Esdræ, cap. 6. in hæc verba. Anniculi infantes loquentur vocibus suis, & prægnantes immaturos parient infantes, trium & quatuor mensium, & viuent & suscitabuntur. Quarto vero mense transacto, quinto scilicet, sexto, & septimo, qui abortiuntur, viuere possunt: septimo quidem mense frequenter, quinto, & sexto, adeo rarus est euentus, ut ob raritatem, omnes fere, & Medici, & Philosophi, & iuris prudentiæ periti, minime vitales esse statuerint. Hippocrates sane libro de septimestri partu, septimo mense natum, pro ratione natum esse dixit & viuere. Libro quoque de carnibus, in fine, ad hunc modum scribit. Cæterum inexpertus quispiam mirari queat, quod septimestris puer nascatur, ego quidem igitur hoc ipsum vidi, & quidem frequenter. Si quis autem hæc deprehendere vult, facile est obstetrices adire, quæ par-

k 5 rientibus,

rientibus adsunt, & ex ipsis percunctari. Et eodem libro Partum septimo mense, ad perfectionis principium peruenire affirmavit. A quo Aristoteles septimo libro de historia animalium, cap. 4. scripsit, quod qui maturius quam septimo mense prodit, nullo pacto vitalis est: qui septimo vero vitalis primum exit. Ne vero in mensium computatione (quod fieri solet) error aliquis subesset, dierum numerum apposuit Hippocrates, libro de septimestri partu, in hæc verba. Septimestres nascuntur, diebus centum & octuaginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particula. Galenus item libro quæ de septimestri partu inscripsit. Septimestris (inquit) fœtus editionis primus terminus, esse dimidij anni tempus reperitur: quippe cum nulla citra hoc, omnes ultra parere conspiciantur, quod sane tempus centesimo & octuagesimo secundo post conceptum die, & quindecim horis expletur. Hanc Hippocratis sententiam, insequuti imperatores, lege intestato iuxta finem. ff. de suis & legitimis, hæc habet. Post decimum mensem mortis natus, non admittitur ad legitimam hereditatem: de eo vero qui centesimo octuagesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & diuis Pontificibus rescripsit. Et in lege septimo mense. ff. de statu hominum, ita à Paulo Sancitum legimus. Septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est, propter autoritatem doctissimi viri Hippocratis: & ideo credendum, eum qui ex iustis nuptijs, septimo mense natus est, iustum esse filium. Hactenus Paulus. At ex illis quæ multis ante seculis, antiquissimi autores inuenerunt, nihil tam est absolutum, quin dies, ætas, tempus, & nouus labor additus, diutinaque circa ea quæ contingunt observatio, aliquid apportarit noui: quod certe tum in alijs, tum maxime in partibus est videre. Nam Auicenna, qui dictis est multo posterior, nono libro de natura animalium, capite ultimo, puerum sexto mense natum, bene vixisse refert: quare septimus mensis, primus vitalium non existet, sed ante illum sextus. Nos vero certo certius scimus, quosdam superuixisse, non solum sexto, verum & quinto mense natos: quorum miranda quædam exempla, refert Hieronymus, Cardanus primo libro contradictionum, tractatu tertio, contradictione octaua, quæ hic ipsissimis autoris verbis referam. Vxor (inquit) magistri Petri Sormani, venditoris maluatici, in via vexillorum Mediolani, ostendit mihi filiam nomine Clarã, quã diebus centũ sexaginta octo, post abortũ masculi fœtus quadrimestris, Venetijs peperit, & in puerperio lac apparuit, ipsa autem puella exilis, palida & macilenta est annos agens decem & octo. Mater Augustini abduæ patricij inclyti, narrauit vidisse puerũ natũ sexto mense, filiũ Thomæ Suighi, qui superuixit, cũ primis diebus lac non sugeret, sed immiteretur insudibulo, & tamẽ peruenit ad ætatẽ perfectã, cũ nec digiti manuũ, nec palpebræ essent separata, dũ natus est. Hic puellus nepos erat, mulieris famose de via lata, medicã artẽ excercetis. Eufragia virgo deo dicata, in æde beatæ Rodogodæ, cũ mater eius abortisset puerũ, quinto nonas Iulij, profecta vero ad coniugẽ decimo kalendas augusti, ipsam eufragiã peperit septimo idus Ianuarij sequentis anni: quare ceterisima septuagesima die nata est morbo

morbo perpetuo natalium iacturam attestante, ne quis ad superfætationem refugiat: quanquam nec hæc, minus intepestiuo partu miraculum afferat. Comitissa etiam de triuultijs, iuuenulam retulit esse, in domo comitis sancti secundi: capite admodum paruo, insanamque natam, vt palam fertur quinto mense. Quibus verbis patet, quantum atque sextum mensem, interdum fuisse vitales: & forte frequentiora spectarentur huiusmodi experimenta, nisi diffidentia vitæ, & negligentia, multos superstites futuros, occideret. Accedit quod cum sæpe initium conceptus lateat, multi forte exijs qui supersunt, semestres & quinque mensium sunt: septimestres autem esse creduntur, quoniam viuunt: nam minores nullatenus superesse posse, in opinione erat. Nos vero cum pro comperto habeamus, quinto & sexto mense natos, viuere posse, ætatẽ ex ipsismet qui nascuntur infantibus, non ex vita metimur. Sex enim dierum geniturã, dignoscimus ex notis, quas Hippocrates tradit: & fœtũ qui in semidigiti magnitudine, prorsus conformatus est, triginta dierũ, aut paulo plurium esse scimus: & vbi paulo grandior factus est, & capacitates quæ fibris seminalibus interciderãt, carne mucosa & lenta impletas videmus, duorum mensium esse arbitramur: & cum à palmi magnitudine, parum aut nihil deficit, solidioremque carnem habet, trium mensium esse nouimus: cum vero vnius palmi cum dimidio, mensuram, aut æquat, aut parum ab ipsa deficit, firmusque admodum est, quartũ mensem explese dicimus: hanc magnitudinem superant, quinto mense: sexto vero auctiores facti, ad eam magnitudinem & firmitatẽ, quam septimestres habere solent, prope accedunt. Quæ sane ratio certissima est, ex ipso naturæ opere, ipsaq; infantis substantia desumpta: ea vero quæ ex vita pædet, ambigua est: cum enim organizatũ, animatum, auctum, & roboratum corpus, quinto mense habeat fœtus, si viuat miraculum non est, sed naturæ legibus continetur, quanquã magna ex parte intereat. Sic nos Guadalupe nouimus honestam virginem, filiam Antonij Gonçalez argentarij, quæ post patris obitũ, quo honestiorẽ vitam ageret, in domum religionis obseruantissimæ se recepit, in qua per biennium fuit comorata, inde vero egressa fuit ad nuptias, quas cum viro quodam medico (cuius si recte meminui cognomen erat Lezcano) contraxit: & quinto mense a primo hinnitu, filiam abortiuit, quæ quãuis magno labore superuixit tamẽ, & viuit adhuc (vt credo) annum agens decimum octauum. Omnem tamen admirationem excedit, quod mulierem nouimus, supra omnes castas pudicissimam, & christianissimã, quæ decima nona die Februarij, vtero cõcepit, & toto prægnationis tẽpore bene habens, die vicesima secunda Iunij, cum animi delectandi gratia, lectica veheretur, iumentum lecticarium furia quadam excaudescens, & anteriores pedes sublimius eleuans, huc atq; illuc lecticam tanta violentia concussit, vt venter non leuiter ab ipsa fuerit ictus lectica. Ex leui ea animi atque corporis turbatione, leui statim diarrhœa fuit correpta, cepitq; lumbos dolere, & media nocte, largum ex vtero sanguinis profluuium superuenit: dieq; sequenti vicesima tertia Iunij, septima hora matutina, dolore magis aucto, abortiuit corpus quodam, figura prope spherica, & magnitudine



dine humani capitis: quod linteo obuolutum sub lecto cubiculari, tanquam inutile re posuerunt, donec matri male habenti fuit consultum. Crassam tunc atq; carnosam admodum membranā, quæ totius molis erat extima, & quæ sub ea latebant, forcipe secarunt famulæ, curiositatem magis, quam vtilitatem ex eo actu sperantes. Aqua tunc multa profluxit, in qua innatans apparuit puella, longitudinis decem & octo digitorum, & admodum gracilis, tantaque teneritudine, vt quadantenus per cutē, interiora quædam, obscurius pellucerent: & ex quibusdam partibus tenerioribus, ichores sanguinei manarunt, præsertim ex eius pudendo: minus enim solidas habuit venas, quam sanguini exacte cōtinendo, opus foret. Inde extracta, singulari Dei beneficio atq; ope, accedente christianissimorū parentum, & auorum diligētia, industria, & sedula educandi cura, quæ nullos nō modos, reperit charitate plenos, fuit seruata. Primis duobus diebus, lac infundibulo obtulerunt: A tertio vero die, ex muliere hausit, quæ forte fortuna, mammarum extrema, tam habuit tenuia, vt ne quid in suo genere gracilius, excogitari posse videretur. Vomuit postquā extracta fuit, à tunicis obuolūtibus, aquā viridem, ab ea quæ ex tunicis profluxerat, parū absimilem. Excremēta alui, nigra, & viridia, & foetidissima, frequēter ex aluo, per plures dies deposuit. Pustulis fædis ipsius caput cœpit scatere, ipsaq; male sana diutius permāsit: atq; in eius medella & educatione, nullos non labores, nutrices fuerunt perpeffa. Adolescentiam est ingressa, bene sana, ossa (vt audio) habet gracilia, pauca quoq; carnis est, cursu velox, subnigra, iracunda, inquieta, prompti sensus atq; intellectus, nullos quantūuis duros cibos, non conficit: quæ biliosa tēperatura, firma inditia sunt, & non parum ad citam conformationem, & integram exarticulationē contulerunt. Doctus sane fuit Galenus, doctus Hippocrates, atq; Aristoteles: doctior tamen est ipsa natura, quæ indies nos plura docet. Sic partum semestrem, vidit Auicenna vitalem: semestres, & quinque mensium, viderat Cardanus. Quinto mense natam, viderunt opidum de Guadalupe habitantes, ex muliere pudica, & domum religionis nuper egressa. Historiam Illustrissimæ & Christianissimæ Virginis audistis, quæ tam certa est, vt ne quid certius excogitari possit: Vbi tantum valuit, sancta parentū diligentia, & pietas, vt puella abortita, & per vim exclusa, chorio atq; tunicis obuoluta, centesimo vicesimo quinto die à conceptu, quod spatium quatuor mensium solarium, & quinque dierum est, superfuerit. Nec parum ad huius vitam, profuisse existimo, quod chorio, atq; tunicis obuoluta, huiusmodi puella exciderit: nam si in membranarū disrūptione laborasset, vt exitum sibi pararet prius, accedente rursus labore & fatigatione partus, plane interijisset: Ob id enim septimestres, nonimestribus, infirmiores redduntur, lib. 7. de historia Animalium, cap. 4. autore Aristotele: Causa autē quæ septimestres reddit infirmiores, quintū mēsem agētes plane interficeret, infirmis iam ipsis, suapte sponte existentibus. Hæc audiant, & decernāt Legislatores, vt partus quosdam semestres, & quinque etiam mensium, ad legitimā hereditatem admittant: & insontes pro fontibus, non deinceps ab ipsis iudicentur. Nec enim placet,

cet, quod tacitus, sub casij persona dicit, in omni lege oportere, vt aliquibus iniuria fiat, nam legi ipsa sufficit, vt multitudini ex ea bene consulatur. At certioribus etiam inditijs, leges vti debent: hæc autem ex foetus substantia, opere scilicet à natura edito, & ex alijs circumstantijs certioribus, atq; ex negatiua interdum ad locum & tempus præcisa, potius quam ex vita summuntur.

De octomestri, nonimestri, decimestri, duodecimestri, terdecimestri, & quatuordecim mensium partu. CAP. IX.



Ensis octauus, infelices partus aduehit, & foetui & matri, apud Aristotelem septimo libro de historia animalium cap. 4. quod voluit etiam Hippocrates, libro de septimestri partu, vbi inquit. Quod mulieres quæ iuditio præditæ sunt, semper dicunt, ac testantur nasci septimestres, & octimestres, & nouimestres, & decimestres, & vndecimestres, & ex his octimestres non superesse. Idq; voluit Hippocrates obscuris & aduersis verbis, libro de alimento, vbi ita scribit: Ad partum ducenti quadraginta dies, nō est, & est. Quo enigmate significat, quod natus mense octauo (nam ducenti quadraginta dies, octo menses conficiunt) aliquo quidem modo est, atque natus videtur, sed re vera non est, quoniam Paulo post intereat. Hinc Alexander Aphrodisiensis, quinto libro Problematū, problemate. 46. merito inquit, cur septimestres vitales sunt, octomestres vero minime? ex qua oratione nolim intelligas, octomestres nullatenus viuere posse, sed raro fieri vt viuant. Nam Aristoteles, septimo libro de natura animalium, cap. 4. adhuc modum scribit. Qui autem mense octauo nascuntur, viuere ac adolescere in terra Aegypto possunt, & quibusdam alijs locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosq; simul, & ferunt & pariunt, etiam si monstrosi sint. Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi per pauci seruantur. Vnde fit vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse. Viuunt ergo apud Aristotelem in Aegypto, & alijs locis quibusdam, octomestres fere omnes, in Græcia perpauci. Christianus vero Marcellus, vir apprime doctus. 2. libro traditionis de anima, cap. 143. in Italia quoq; octomestres superesse affirmat. Et Auic. 9. lib. de natura Animalium, idem in Hispania contingere meminit. Cordubæ sane vidimus dominā Antoniam de Bernui, octauo mense filium superstitem peperisse, cum tamen nouem mē sibus gestare quotānis sit solita. Et ex certa historia accepimus, quod domina doña Blanca, virgo deo dicata, filia illustris Comitis de Baylen, octauo mense nata, agit nunc annum suæ ætatis vicesimum. Et plura quotidie incidunt experimenta istius modi, quanuis ijs quæ intereunt cōparata, rara admodum sint. Hinc merito legislatores, nunquam hunc mensem a legitima hereditate excluderunt.

Nono atque decimo mense, maxime naturales partus fieri, nemo est qui dubitet, eam que ob rem, Varro duabus parcis, ab his duobus mensibus, inditum esse nomen prodidit. Parca enim (inquit) immutata vna litera, à partu nominata est. Sunt autem tres, morta, nona, decima: quarum quidem prior sic dicta est, quod qui octauo nascitur, magna ex parte moriatur: posteriores autem due, à partus tempestiui tempore nomen traxere, nam & apud Maronem legitur.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et Salomon decimo mense ab hora conceptionis in lucem prodiuit, vt ipsemet testatur, lib. de Sapientia, cap. 7. Non sunt autem omnes decimi mensis dies, æque tempestiui, sed primi decem reliquis præstant: quod voluit Hippocrates libro de carnibus, in hæc verba. Editur vero in lucem partus, mense nono, diebusque decem, qui & vitalis, vt qui legitimus hebdomadarum numerus (quatuor scilicet Decadas hebdomadarum) sit consequutus. Quin priores decem dies mensis decimi, nono mense præstare est verisimile, nam naturalissimus partus, & maxime tempestiuus, fit nono mense expleto, consentaneum ergo est, vt fiat primis diebus decimi. Hinc Hippocrates lib. de Natura pueri, decimum mensem probat, vt maxime naturalem, & à natura destinatum partui humano: quod non de toto decimo, sed de primis decem diebus intelligo: nam qui post priores decem dies nascuntur, serius editi mihi videntur, si quidem ad mensem vndecimum, partum nunquam producit Hippocrates. Ita enim eo loci scriptum reliquit. Quod vero plusquam decem menses, fœtus vtero gestari nequeat, ego dico, quoniam alimentum, incrementumque, quod à matre puerulus accipit, elapsis iam decem mensibus, fœtusque aucto sufficere non potest. Et rursus ibidem ita scribit. Quod si quibusdam visum est, se vterum plusquam decem menses tulisse (id enim iam sæpe audiui) falsæ quidem illæ sunt, eo quem mox dicturus sum modo. In summa autem dicit, flatum vtero receptum, aut menstrua etiam suppressa, vterum in tumorem solere attolere, vnde se tunc grauidas mulieres arbitrentur, quæ si postea concipiant, putant se plusquam decem menses vterum gessisse, non à conceptu, sed à tempore, abs quo, vterum intumescere, vel flatu, vel mensium suppressione sentiant, prægnationem supputantes. Non obstat autem huic Hippocratis sententiæ, quod libro de septimestri, & libro etiam de octomestri partu, vndecimestrium meminerit: nam per eos, non intelligit rem diuersam à decimestribus: iuxta diuersam enim rationem supputandi menses, naturalissimum tempus partionum, (quod ducētis octuaginta diebus constat) in mensem cadit decimum, pariter atque in vndecimum, vt mox dicemus, si Hippocratis prius verba retulerimus, is enim libro de septimestri partu, ita scribit. Porro mulieribus de partibus fidem derogare non oportet: dicunt enim omnia, & semper dicunt, & semper proferunt: neque enim aut opere, aut sermone, persuasæ sunt, sed ex eo quod cognouerunt accidisse in corporibus suis: quæ vero iudicio præditæ sunt, & victoriæ de hac sententiâ pronuntiant, semper dicunt, ac testantur, nasci septimestres & octimestres & nonimestres, & decimestres, & vndecimestres.

Libro

Libro quoque de octomestri partu, adhuc modum scribit, qui decimo, & vndecimo mense, eduntur partus, ex septies quadragenis, eodem modo constituentur. Atque hæc ipsa verba, si quis recte aduertat, monstrat eosdem appellasse decimestres, & vndecimestres, eos nimirum qui septem quadragenis, id est diebus ducentis & octuaginta eduntur: tot enim dies resultant, si quadraginta per septem ducas: & si in menses solares partiri velis, nouem menses, & dies decem compones, quem terminum maxime naturalem, & tempestiuum esse diximus ex Hippocrate, quoniam quatuor decades hebdomadarum, dies sunt ducēti & octuaginta. Hunc ergo terminum nouem mensium solariū, & decem dierum, comprehendente dies ducētos & octuaginta, maxime naturalem, tempestiuum, & efficacem esse, voluit Hippocrates, quoniam legitimū hebdomadarum, & quadragenarum numerum comprehendit: fit enim omnis actio, & commotio valida, in vteri gestatione, atque partu, per septenos, & quadragenos dies. Sed quorsum dices, hunc terminum commune posuit decimo atque vndecimo mense, si simul hi duo menses constare non possunt? Hoc sane fecit Hippocrates, vt varietatem mensium notaret, nam si menses solares, qui triginta diebus constat computes, ducenti octuaginta dies, incidunt in decimum diem mensis decimi: si vero gestationem, & partum, metiri malis, mensibus lunaribus proprie dictis, qui definiuntur profectioe lunæ, ex vno puncto Zodiaci, atque in idem redditu, quod viginti septem diebus, & horis octo fit: ducenti & octuaginta dies, incidunt in septimum diem mensis vndecimi: quod si mensem civilem, qui est à coniunctione in coniunctionem spectes, qui constat diebus viginti nouem, & horis prope tredecim, mulierque post plenilunium concipiat, ante scilicet quam ipsa purgetur (solita enim sunt purgari decrescēte luna, apud Arist. 7. de hist. anim. cap. 2.) ducentis & octoginta diebus natus, vndecim lunas attinget, & decies menstrua sibi defecisse oportet, quare vndecimum mensem agere arbitrantur mulieres, tum ex menstruorum cohibitionibus præteritis, tum etiam ex lunis quas attingunt. Atque hoc est quod conceptis verbis, voluit Hippocrates, lib. de octomestri partu, vbi ita scribit. Ex his igitur omnibus, necessarium est plerasque mulieres, circa plenilunium, & ultra in ventre concipere, vt ducenti octuaginta dies, sæpe vndecimum mensem apprehendere videantur, tot enim dies septem quadragenarios constituent: nam cum ultra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum vndecimum mensem attingere, ac apprehendere, quoad vltimum circuitum perueniat. Merito igitur communem hunc terminum fecit Hippoc. siquidem diuersi, diuersa ratione supputant, & ex varia supputatione, in decimum, & in vndecimum mensem, idem dies cadit. Ex quibus luce clarius apparet, vndecimestres nullatenus recipi ab Hippocrate, si per menses solares fiat computatio. Aristoteles præterea. 10. sect. problematum, problem. 41. & Alexand. Aphrod. sect. 5. problem. 46. ultra decimum mensem, non progrediuntur. Idem tamen Arist. 7. de natura animalium, cap. 4. plerasque mulieres vndecimum tangere adstruit. Et Plin. lib. 7. naturalis historie, cap. 5. vestigia refert, Cai Herdici conjugem, Gillum rufum vndecimo peperisse mense. Et conciliator diff. 49. qui vndecimo (inquit) nascitur mense, quia tunc ad potestatem reuer-

reuertitur solis, poterit viuere, licet partus non sit naturalis omnino, Et Aulus Gellius libro tertio Noctium acticarum, cap. 17. de Varronis sententia scribit, undecimo mense aliquando nasci hominem posse: idque à Varrone libro 14. rerum diuinarum proditum esse. Quin & usu hoc quoque venisse Romam cõperit, faminã bonis ac honestis moribus, nec dubia pudicitia, in undecimo mense post mariti mortem peperisse, factumque esse negocium, propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset: quoniam decem viri, in decem mensibus gigni hominem, non in undecimo scripserunt. Sed causa postea ad diuum Adrianum delata, ac cognita, decreuisse: in undecimo quoque mense, partum edi posse, idque statuere se, requisitis veterum Philosophorum, & Medicorum sententijs. Cui tamen decreto, contrarium factum est aliud, ab Imperatore Iustiniano, qui epistola quadam, quæ in nouis ipsius constitutionibus habetur scribit, idem suis accidisse temporibus, natumque mulieri filium, anno post mariti mortem, nondum quidem confecto, sed affecto, sub fine videlicet undecimi mensis: de quo cum apud eum quæstio esset instituta, pronunciauit partum illum non esse legitimum, nec dici posse ex defuncto viro susceptum, quoniam foeturam in tam longum tempus, trahi posse non existimaret. Sed Iustinianum maxime demiror, atque omnes Legislatores moneo, ne quod fieri potest, impossibile fore ducant: Gaudet natura sepe huiusmodi varietate, quasi nobiscum ludens, & non solum undecimo mense, verum & duodecimo, & decimo tertio, & decimo quarto, interdum partus profert, siue ob imbecillitatem, ante perfici foetus nequiverit: siue ob frigiditatem temperaturæ, aërem externum non ante postulauerit, nec respirare statuerit: siue copia alimenti, non defuerit, sed sibi suppetierit abunde. Quod si cum his, facultas vteri renetrix iungatur valida, & expultrix imbecilla, serius quam aliter edetur in lucem infans. In summa quod fuit olim, & nunc contingere poterit non minus, idque natura duce, & hac in re si qua in alia, maxime est credendum historijs, & mulieribus probatæ virtutis, & pudicitie non ambiguae. Ad duodecimum autem mensem partum produci posse, visum fuit Homero, summo non modo Poetæ, sed etiam Philosopho, scripsit enim Neptunum dixisse, puellam à se recens compressse,

Gaude hoc complexu, nam cum se voluerit annus  
Formosum puerum paries, haud irrita diuum  
Connubia.

Et Hieronymus cardanus lib. 1. Contradictionum, tract. 3. cap. 8. refert patrem suum, decimotertio mense natum fuisse. Et Auicenna lib. 9. de Natura animal. cap. 5. ita scribit. Iam dixit mihi vnus fidelis, quod vna mulier peperit post decimum quartum mensem, & bene dixit. Et Plinius secundus, lib. 7. cap. 5. refert, Lucij papirij prætoris edicto, honorum possessionem infanti datam esse, contra secundum hæredem, cum tamen mater partum se quatuordecim mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur. Et hercle si mulier honestis moribus, & probatæ pudicitie, de qua nemo ambigat, ante aut paulo post mariti mor-

tem

tem, vel absentiam, concepisse se perhibet, & vterus indies, magis ac magis attollitur, postea vero partus producitur, in undecimum, duodecimum, decimum tertium, aut decimum quartum mensem, iniuste admodum vocabitur in ius, aut à marito redeunte, aut ab agnatis, ipsam ab hereditate mariti excludere volentibus: ratio enim naturalis, præponi debet, cuiuscumque quantimuis frequenti supputationi.

Tempestiuus partus causa ex astrologia petita irridetur.

CAP. X.



ED ne huic tractationi aliquid deficere videatur, quatuor sunt inquirenda. Primum, qua de causa tempestiuus partus, nono fiat mense & decimo. Secundum, cur quidam partus anticipent, & alij postponant, legitimum pariendi tempus. Tertium, cur octimestres raro viuunt, cum tamen constituantur, inter septimestres & nonimestres, vitales utrosque. Quartum, sit ne supputatio in vteri gestatione, faciendâ per menses solares, an per lunares. De primo, diuersi diuersa sentiunt, & vnusquisque ex professione quam tractat, causam tradere studet: Astrologi ex astris, arithmetici ex numeris, medici atque philosophi ex natura. Astrologi sane, qui nec me iere nos, nisi ad id nos astra vocent existimant, omnium septem planetarum vim, atque actionem, per singulos menses, foetum debere experiri tradunt: & incipiunt à saturno, qui primo mense, semen vtero conceptum, frigiditate atque siccitate sua cogit, & firmat, ne sine eius actione difluat ac excidat. Secundo mense iupiter afflat, & calore atque humiditate temperata, genituram fouet, dilatat, & eius augmento præesse dicunt. Tertio mense mars, calore atque siccitate, intemperatioribus, humidum superfluum absunit, & depascitur: cuius ratione formatis magis membris, motum concedere statuunt. Quarto mense accedit sol, cuius beneficio & efficientia, ossa excantur, meatus corporis euadunt ampliores, & vniuersæ formationi, postrema manus imponitur, & anima atque vita foetui largiuntur. Quinto mense venus, temperata sua frigiditate, atque humiditate, temperat martis, atque solis, calorem ac siccitatem foetui impressam, simul & venustatem, decoremque conciliat infanti. Sexto mense cum nihil reperissent, quod ageret mercurius, ne infantem insalutatum relinquat, iubent ei ut solidas partes vehementius exsiccat, & motus instrumenta expoliat, quo agilior reddatur ad motum. Postrema accedit luna, mense septimo, quæ frigiditate atque humiditate sua, infanti copiosius nutrimentum ministrat, humores, & humiditas partes, carnem pinguedinem & medullas auget, vterum humectat & parti præparat. Superiorum quoque astrorum vires, quoniam infima est recipit: & quoniam nobis valde proxima, cumulatiuis ipsas in foetum regerit, & refundit. Hoc ergo tempore si nascatur infans, quoniam omnium planetarum beneficium sensit, & per singulos profecit, & auctus est, vitalis prodit: qui si non exeat, ad saturnum rursus redit imperium, non quoniam saturno indigeat conceptus, frigidus enim ac siccus, et vitæ contrarius est: sed quoniam ita postulat circulationis, aut ordo, aut verius ludus ridiculus. Ob id sane inquit, octauo mense natum non viuere, quoniam afflatum habet ex regnante planeta, vitæ contrarium: donec mense nono, nostri misertus iupiter, calorem et humiditatem, vitæ congruas, rursus aspires.

! Que



Quae sane omnia erroris plena sunt, quoniam planetis imperat, ut voluit: & sane imperite ac stulte. Nam conceptio calore perficitur, non frigore, male ergo saturno, ut conceptione inerat primam imperat: Semine sane quod ei aculatur, in utero calido concipitur, & caloris ope chorio vestitur, quem admodum placentae, & reliqua omnia quae pistores, in aliquo vase calido, amploque conficiunt, crusta vallantur, ut ex Hippocrate libro de natur. i. pueri, & Galeno priori lib. de Semine superius diximus: hanc ergo actionem, ab ipsis missus saturnus impediret, non inuaret. Ioui quoque praecipit secundo mense, ut humiditate impertiat, qua sane non indiget conceptus, humidissimus existens: & nihil aequae primis mensibus, formatrici facultati impedimento est, ac humiditas & fluxibilitas, quae quo magis exiccatur, eo propius ab spiritu formatore tractatur: Diximus enim ex Gal. i. de Semine ante finem, quod sicut liquidum lutum impressione, ac fictione vlla non admittit, mediocriter induratum admittit, ita prima atque receti futurae accidit, quae lacti receter coagulato similis est: ac quemadmodum illud, casearij nondum formare aggrediuntur, priusquam satis idonea coagulatione concreuerit, eodem modo, animal, non antea natura effingere conatur, quam convenientem duritiam adeptum sit. neque, etiam si conaretur, quicquam efficeret, cum materia nondum firma subiaceat, sed instabilis adhuc & tremula subterfugiat. Videant ergo ne iouis humiditate, relaxent & deliterent, quae spiritus nostra corpora fingens, siccitatis ope procurat effingere. Martis quoque actio, qua superflua humiditate exiccatur, necessaria non est, si iouem humefacientem non premisserunt: & si exiccata est, non affatim, & per vehemens qualitates, quales tribuit marti, sed paulatim, et modice (quod a calore nativo fit) desiccata veniet: Omne enim nimis, etiam in reddito ad naturam, naturae est inimicum. Nec multum facit mars, si tertio iam mense, motum concedat infanti: secundo enim mense, ante martem missum, mouentur plurimi, si matribus (se se velut muscae titillatione, aut passeruli volitatione exigua in ventre deprehendisse dicentibus) fides est habenda. Solis efficientiam, non modo quarto mense, verum & toto gestationis, atque vitae tempore agnoscimus: qui veluti causa vniuersalis, particularibus omnibus, & proximis causis, motu & lumine est adiumento, & haec fere inferiora regit, accessu atque discessu: quod voluit Arist. secundo physicae auscultationis dicens: sol & homo generat hominem. Et libro de generatione: accedente sole fiunt generationes, & recedente corruptiones. Ver enim, aestas, autumnus, & hyems, a sole sunt: ex quibus & nos, & nostra omnia pendet: agens autem immediatum, nunquam est sol, spiritus enim formator est, qui ossa proxime excavat, et meatus corporis reddit ampliores, & qui foetus formationi & gubernationi, primam & postremam manum impendit, non sol. Animam quoque, & vitam, sensum, atque motum, ante hunc mensem, habuit foetus. Venerem duo facere statuunt, temperare calorem, atque siccitatem a Marte impressam, & venustatem, atque decorum conciliare: quorum primum superfluum est, si Martem non praemittat: secundum vero impossibile, nam venustas, & decor, ex compositione pendet, & qualitas est quae consurgit, ex proportionem partium adinuicem: quare quando partes primo mense fuerunt formatae, tunc venustas aut deformitas accessit: nec enim

enim ad eas qualitates est motus, nec aliqua actio per se, uti nec ad sanitatem, sed aliorum mutationes, sequuntur necessario. Mercurium dixerunt sexto mense, nihil aliud agere, quam expolire, exsiccare, & postremam manum imponere, ijs quae ab alijs planetis acta sunt: quare si priores ab efficientia destituas, aut si sua forte opera perfecisse statuas, otiosus accedet mercurius. Lunae efficientiam, uti & solis, cum primis, tum postremis mensibus non negamus, ut causa enim vniuersalis, agit & generat astrum, interuentu scilicet particularium causarum, quae nobis sunt proximae: natura namque statutum est, ut vniuersalia agentia, adiumento sint particularibus, & proximis causis, sine quibus tamen nihil efficiunt: demonstratum siquidem est a philosophis, quod ubicumque, vnius effectus, plures sunt causae eiusdem generis, certo ordine illum efficiunt, gignuntque, ita ut alia prior sit, alia posterior (Alioquin hoc sequeretur incommodum, quod vnius effectus, sint duae causae eiusdem generis, per se proximae & immediatae, & sic vnum a pluribus proficeretur, in eodem genere, ac modo causandi) Sol aut luna, aut quoduis aliud astrum, non generat, non format, non auget, nec factum immediate attingit: sed in genere causae vniuersalis, causas magis proximas mouet, calidum scilicet innatum, & spiritum formatorem, qui nos a principio format, & in posterum auget, atque gubernat, ut. i. Aphor. com. 15. Gal. est autor. Reditum saturni octauo mense, & aliorum planetarum suo ordine, per menses qui deinceps sunt, diximus ridiculum esse, & valde iocosum: nam si primum mensem, ob id concesserunt saturno, quoniam semen tenue & fluidum, eo indignum ad coactionem, idque sapienter a natura, sic fuisse institutum praedicat, insulse & imprudenter admodum, mense octauo redire consueantur oportet: siquidem vsum alium non praestat, praeterquam, quod septimestre naturae in homine formado, atque expoliendo artificium, vnius mensis spatium pessundat. At reditus hic saturni, non producit necessitate, nec vtilitate aliqua, sed ne astrologi viderentur ignorasse causam, quare octomestres intereant, saturnum intereptorem statuere satagerunt. Haec praeterea astra, cum sint agentia naturalia & semper adstent, semper operabuntur, prout cuiusque natura tulerit: ita ut ab initio & per singulos menses, in semine atque foetu, omnium astrorum actio reperiat simul, non per vices, aut per menses quod volunt: nam primo mense cum operatur saturnus, cur non operabitur sol, aut quis eius actionem remorabitur?

**Tempestiui partus causa, ex arithmetica & pythagoreis exploditur. & vera causa ac naturalis traditur. CAP. XI.**



**SENT** sane astrologi, maxime omnium deliri, nisi gens alia accederet, quae multo minus congrua, & naturae conuenientia traderet. Arithmeticos dico, qui effectricem vim, adscribunt numeris: minorem paribus, imparibus maiorem, atque frequentiore: eo quod impar, perfectio est pari: partim quia est principium paris, partim quia diuiditur in par & impar, quod par non facit. Hinc imparem celebrantes, finitum, masculinum, perfectum,

& formam esse prædicant: Contra parem, infinitum, feminam, imperfectum & materiam esse definiunt. Ac proinde factum est, ex septenarij, atque nouenarij natura cum impares sint, ac proinde perfecti, ut partus perfecti, atque vitales, septimo, atque nono mense edantur: octimestres contra, imperfecti & qui mox intereant, quoniam octonarius sit par. Cum vero de mense decimo, illis obijciatur, quod sit par, & vitales ferat: & de tertio quod sit impar, & perfectior septenario, & nouenario, minime tamen vitales edat: Respondent, decimum inter pares, maxime perfectum esse, est enim numerorum omnium perfectio, & complementum: vnde omnes per denarium numerant, continentque omnia numerandi genera, par, impar, quadratum, logum, primum, compositum, & nescio quæ alia vocabula ab ipsis efficta. Ternarius vero licet sit impar, & perfectior, non edit partus vitales, propter materiam indispositionem: neque enim ut crisis fiat, satis est diei naturam adesse, sed materiam etiam coctam, & præparatam esse oportet, ut tuto morbus iudicetur. Hinc dierum decretoriorum rationem, & efficientiam in numeros ipsos referunt: & quod crises in imparibus diebus, magna ex parte contingat, ob imparis perfectionem: & quod febris quæ diebus paribus reliquerit, rediret soleat, quæ vero in imparibus, certiorum salutem ostendat: & quod morbi qui repetunt per pares, sint longiores, qui per impares breuiiores. In summa numeris tantum tribuunt Pythagorei, ut ex illis constare omnia dicant, & in ipsis miram quandam vim, & facultatem, tam ad bonum quam ad malum, inesse prædicent: mundum enim, quatuor cubalibus numeris constare aiunt: animam quoque, & unamquamque rem, certis numeris constituunt. Hinc superstitiosa multa orta sunt, pentaphylum enim herbam, quinary virtute venenis resistere, & pellere demonia existimant: eiusque folium unum, bis quotidie ex vino sumptum, ephemeram, tria folia tertianam, quatuor quartanam sanare existimant, virtute unitatis, ternarij & quaternarij. Item masculum quemque septimum, sine femella intermedia editum in lucem, solo tactu, vel verbo, curandarum scrophularum facultatem habere, & septimam quamque filiam, nullo masculino intermedio natam, mirabiliter partum sua presentia adiuuare, virtute septenarij. Huc etiam referunt, dies chymacterios, qui sunt vitæ, fortunarumque hominum, difficilia pericula, qui per ternos, septenos, & nouenos, vitam hominis quasi per kalendas id est gradus quosdam agunt. Inter quos annus vicesimus primus iuuenibus, & sexagesimus tertius senioribus, cum periculo vitæ, aut morbi grauioris, venire obseruauerunt antiqui, ut scribit Gellius lib. 15. cap. 7. quod non alia ratione venire affirmant, quam numerorum efficaciam vi valida: Fit enim vicesimus primus, ex ductu septenarij per ternarium: & sexagesimus tertius, ex ductu septenarij per nouenarium, & ex ductu vicesimi primi, per ternarium. Quin si recte aduertimus, omnes grandes mutationes, recipit homo per septenos: si septem horis à concubitu, femina semen contineat, certum est concepisse. Hic autem conceptus, primis septem diebus figuratur. 7. libro de historia animalium apud Aristotelem. Septimo mense completur fetus, & si partu fuerit eiectus viuet. Septimo die à partu, grandem obitus euasit

euasit periculum, ut Arist. loco citato: septimo mense dentiunt, ut refert Paulus Aegineta, lib. 1. cap. 9. septimo anno redentiunt: Quarto decimo pubescunt, & hircire incipiunt, semen emittentes infæcundum: Vicesimo primo, grande vitæ subeunt periculum, & semen fæcundum, usque in decimum septenium accipiunt, quando iam vitæ periodus adest vltima, reliquum enim vitæ tempus, labor & dolor est, apud psalmistam, psal. 89. Numerorum præterea efficientia, non paruam fidem accipit, ex musicis consonantijs, nulla enim alia ratione diapason, diatesaron, & diapente consonantiæ sunt, nisi ob numerorum proportionem, duplam, sesquialteram, & sesquiterciam: sicut ergo consonantias efficiunt, certa proportione, & dissonantas si ab ea excefferint, alia quoque multa efficere, absonum non erit. Mirum sane est, quod ob numeri & consonantiæ conuenientiam, festuca decidat ex chorda, in eodem puncto temperata: quod nisi ex numero contingat, non vident. Hanc numerorum præstantiam, & efficientiam, agnouit præter Pythagoram, Plato in Epinomide, & Parmenide: hanc recepit Arist. 1. lib. Celi, cap. 1. vbi numero ternario tantum tribuit, ut ipsum appellet, legem quandam naturæ, secundum quam naturalia omnia disponantur: in hanc etiam admirationem, ductus Virgilius dixit, Numero Deus impari gaudet: & alibi in laudem septenarij, O terque quaterque beati. Quin si Hippocratis sententias, de tempore partus expendamus, vniuersam rationem partuum vitalium, in quorundam numerorum vim, & efficaciam ipsum reiecisse comperiemus: eius autem sententiam, melius fortasse, Hippocratis verba nobis recitantibus, quam aliter omnes intelligent. Sic ergo scribit lib.

de carnibus ad finem. Puer septimo mense natus, pro ratione natus est, & viuit: habet que rationem ac numerum, ad hebdomadas vere & exacte respondentem: mense autem octauo, nullus unquam vixit. Nouem vero mensium, & decem dierum, partus fit & viuit, & habet ad hebdomadas, numerum exactum. Et lib. de septimo partu, ad hunc modum. Septimestres nascuntur, diebus centum & octuaginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particula. Eodem præterea libro de carnibus, in hunc modum scripsit. Quatuor denarij hebdomadam, dies sunt ducenti & octoginta: in denarium autem hebdomadam, septuaginta dies incurrunt. Habet autem & septimestris partus, tres denarios, siue decades hebdomadam: & in vnaquaque decade septuaginta dies: tres vero hebdomadam decades, ex toto sunt dies ducenti & decem. Libro quoque de octimestri partu, sic scribit. Ceterum decimestres & undecimestres partus, ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, velut ex dimidio anno septimestres. Ex quibus locis manifestum est, vniuersam partus rationem, referri in numeros, & quanti faciat quadragenos, & decades septimanarum Hippocrates. Multo vero apertius id edisserit libro de septimestri partu, vbi acutorum morborum liberationem, partum, & maxima queque in natura, septenario numero perfici docet, & alijs numeris alia. Morbi (inquit) & sanitas, & mors, conceptus, abortus, & partus in mulieribus, hæc omnia partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annuum significationem sui præbent. Et eodem lib. In omnibus his temporibus

insunt ad unumquemque & utilia multa, & hostilia multa. Et infra, dies (inquit) maxime insignes in plurimis sunt primi & septimi, multum potentes in morbis. Et eodem libro, Menses (inquit) mulieribus sanis singulis mensibus apparent, tanquam peculiarem in corporibus vim mensis habeat. Et paulo post subdit, eadem ratio est etiam in decretorijs diebus. Id est sicut menses, peculiarem in corporibus vim ac potestatem habent, qua immutare corpora, certa quadam ratione possint, & menstrua deturbare: ita decretorij dies, eandem in morbis potestatem habent, quoniam par in mensibus atque diebus ratio subsit. Et eodem libro ita scribit. Medicum qui aegrorum salutem recte coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies: ex paribus vero decimum quartum, & vicesimum octauum, & quadragesimum secundum: hic enim terminus ponitur a quibusdam pro harmoniae ratione, & integer ac perfectus numerus: verum ob quam causam longius fuerit in praesenti exequi. Qui sane Hippocratis locus vel eo maxime est aduertendus, quod a causa tradenda dierum decretoriorum abstinere decreuit (& utinam ita fecisset Galenus) quoniam longum, laboriosum, & inutile id fore est arbitratus.

Sed haec Pythagoreorum sententia de numerorum efficientia, adeo est ridicula, ut Galenus. 3. libro de diebus decretorijs, cap. 8. miretur: quo modo pythagoras, huiusmodi nugae numeris tribuens, in tantam sapientiae venerit opinionem. Et cap. 11. deridet eos, quod in tantam venissent insaniam, ut numeros, Mineruae, Dianae, atque Apolinis nomine, pro ut quemque, minus magis de laudare, vel etiam vituperare libitum est, insignirent. Eoque stupiditatis venerunt, ut septenarium magnificentibus dicant, pleyadas septem, & utramque Ursam septistellam, immo & thebarum septem portis, & septem ostiorum nili meminerunt: ac si Dion pleureticus, aut theon perimneumonicus, septimo ob id die fuisset iudicandus: at hic interdum quarto & quinto, ille nono aut decimo iudicabitur. Sed rationibus istorum opinionem praeterea couellamus, ne aliquid hic deesse videatur, primo sane, si imparitas esset ratio & causa efficiendi, nunquam perfecta crisis fieret quarta die, nec in decima quarta, nec maxime naturalis partus, fieret decimo mense, deficiente imparitatis ratione. Secundo, quoniam impares etiam horae diei, creticae essent, tum ad iudicandum morbos, tum etiam ad excludendum partus, & ad quiduis aliud faciendum: & cum undecimque posset incipere numerus, fierent omnes horae efficaces, simul & inefficaces ad effectum. Tertio, nam ex numeri paritate, non recte demonstratur imperfectio numeri: octonarius enim, de quo non ob aliud sinistre sentiunt, & loquuntur, quam ut ponat eum intereptorem partuum octomestrium, iuxta ipsorum dogmata maxime perfectus est, nam ipsi ipsorum autoribus, solidum ex eo corpus, & vere perfectum componitur: ergo singulariter quoque plenus perfectusque iure dicitur, propter corporeae soliditatis effectum. Est enim ille de his (ut ipsi dicunt) qui nec generatur, nec generat, ex monade & septem constitutus: et ex eo quod tum generatur, tum generat, nepe quaternario duplato consistit: quin etiam octonarium pythagorici, iustitiam vocauerunt, quia primus omnium, ita soluitur in numeros pariter pares, hoc

hoc est in bis quaternas, ut nihilominus in numeros aequae pariter pares, diuisio quoque ipsa soluat, in bis bina: eodem etiam modo contexitur, bis bina bis, octo componunt: quare cum eius compositio, pari aequalitate procedat, & resolutio aequaliter reddeat usque ad monadem, merito propter aequalem diuisionem, iustitiae nomen accepit: qui ergo tam iustus est, non erit saetui tam iniquus ut volunt: & hercle si Galeno credimus. 3. de diebus decretorijs, cap. 11. non modo octonarium, sed quouis etiam numerum, iuxta ipsorum dogmata, aut laudare, aut vituperare, ipsi per facile fuit, & promptum. Quarto, nam pares statuunt imperfectos esse, & ob id exigua aut nulla vi agendi praeditos: non pauciores autem decretorios, pares quam impares obseruabis. Quinto, aut per numerum qui vim habeat efficiendi, intelligunt numerantem, aut numeratum: si numeratum nihil noui tradunt, numeratus enim numerus non est aliud a rebus numeratis, quibus nemo est qui actionem auferre tentauerit: oporteret tamen res ipsas prosequi, & ordinem causandi earum declarare, quod nec faciunt nec tradunt: si vero de numero numerante intelligat, qui proprie numerus est: nequibit agere, nullam enim habet extra animam existentiam: anima enim est, quae ipsum a rebus abstractit, & eo ipso anima numerat: ens autem in anima agere, & res ipsas extra animam immutare, dicit nemo. Sexto, nam accidentia non agunt, nisi recta a substantia, & veluti substantiae instrumenta: numerus ergo cum sit accidens, non potest agere quia numerus est, & seorsum, sed tanquam instrumentum substantiae alicuius: hanc ergo nobis interpretentur substantiam, quae numeris tanquam instrumentis indiguit ad actionem. Omnia praeterea quae aliquid efficiunt reducuntur ad primas qualitates, & eas quae ex primis ducunt ortum: numerus vero nihil horum est, sed in categoria quantitatis constituitur: quantitas autem licet necessaria sit ad actiones, ipsa tamen omni actiuitate caret. Si numeri praeterea agunt, deberent communicare in materia, cum rebus in quas agunt, & ab eisdem aliquid repati oporteret, ex principijs philosophicis: Cum ergo omni careant materia, & repassione, omni quoque efficientia destituantur oportet.

Sed age quid in causa fuerit, ut praeter Pythagoreos, probati auctores, vim agendi numeris concedere videantur, consideremus: Fit magna ex parte (ita volente natura) ut perfectiores numeri, perfectiorum rerum, causarum, ac euentuum sint comites: Causas quoque rerum, ob ignorationem, & tenuitatem nostram nescimus, ob idque ad comites numeros confugimus: non quoniam ipsi sint earum rerum cause agentes, sed quoniam coniuncti sunt cum causa ignorata. An putas quoniam natura, corpus omne triplici dimensione creauit, longitudine, latitudine, & altitudine, numerum ternarium aliquid in ea creatione fuisse operatum? minime sane: sed fuit hic numerus lex, regula, comes, & exemplar naturae corpus creantis: quod voluit Aristoteles primo caeli, capite primo. Mutationes & euidentis progressiones, quae in corpore nostro per septimum apparent, a nostri corporis natura fiunt paulatim, per septenes vero euidentius emergunt: nec id semper, quae enim concipiunt, statim a concubitu



concepisse dicemus. Multis quoque post septē horas, semen ab utero decidet inconceptum, licet frequentius, quæ septem horis continuerint, concepisse credamus: nec tamen cui sex horis contigerit continuisse, semen facile corruiet, nec senarium ob id magis, minus ve commendamus. Ante septimum quoque diem, iecur, umbilicus, & venarum atque arteriarum lineamenta, rudem formam habuerunt, in genitura quam puella psaltria, iussu Hippocratis corruptit: post septimum vero, usque in tricesimum diem, nemo est, qui integram conformationem acceperit, ut supra ex Hippocrate retulimus. Multi quoque recens nati, ante septimum moriuntur, post septimum non pauciores: nec tamen veto, septimum diem permutationem aliquam afferre, fœtui, & matri, sicut & in morbis solet afferre. Pueros quoque nouimus, qui postquam annū exegere, dentitioni, & nono ætatis anno, redentitioni principium dedere. Ante annū præterea decimum quartum, semen fecundum quosdam habere, testis est beatus Hieronymus, qui refert, puerum decem annorum, nutricem propriam impleuisse: natura enim est, quæ huiusmodi facit progressiones, non numeri. Si in his, ubi manifestior causa est, nobis cedis: in alijs ubi ignoratur, cur non cedas non video: Quorsum enim septenarius numerus decernet de morbo? Lunam sane, aut naturam, aut causam aliam ignotam nobis, quæ vires habeat agendi, & per septenos aut quaternos progrediat, & immutet magis, ponere nihil est absconi. Causam quoque aliam esse, quæ vitam nostram per gradus agat, & annum vicesimum primum in iuuenibus, & sexagesimum tertium in senioribus, faciat magni discriminis, alienum non erit, si modo de observationis veritate constet, mihi enim fabulosa huiusmodi scala videtur, & quoad mihi licuit obseruare, non infrequentiora pericula, & mortes, contingunt annis extra scalam, quam in ipsa scala. Quod præterea dicunt, numeros consonantiam efficiere falluntur: nam consonantia pœdet ex sonis, certo numero & proportione, à proferente aut concinente dispositis: ubi sonus aut aër sonans, est materia: numerus & proportio certa, est forma, & ratio consonantiae, sicut improportio dissonantiae: concinens vero, est eiusdem efficiens, & autor. Festucam vero non deicit numerus ex chorda, sed aër percussus tali sono, qualē ederet altera chorda si percuteretur, & ob cōuenientiam mouet ipsam, qua mota facile decidit festuca: quāuis adeo chordæ motus sit, exiguus, quod sensum maxime lateret, nisi ex festuca decidēte, chordā moueri, & affici coniectaremus. Reliqua vero omnia superstitiosa sunt, & proculdubio falsa, & à medico præsertim Christiano reiicienda, nisi cum ob causæ manifestæ ignorantiam, numeris comitibus utimur, clarioris doctrinæ gratia. Qua licentia sæpe utimur in ceticis, in partibus, in repentibus febrium, & si placet in climactericis, res tamen probè & ut decet est intelligenda. Sic Hippocrates nullam efficientiam numeris tribuit, sed causis alijs, quæ numeris quibusdam, lege quadam, atque naturæ statuto, coniunguntur: Non enim existimat numerum esse causam, aut partus, aut crisis, aut permutationum in vita contingentium: sed quod causæ immutantes, quāuis abditæ, & abstrusæ, agunt ex natura sui, secundum illos numeros atque periodos.

Non

Non enim mensis, operatur in mulieribus menstrua, virtute tricenarij, aut alterius cuiusquam numeri, sed quoniam aut luna, aut expultrix facultas, aut causa alia ignota, eo spatio, secundum naturam suam mouet. Septimus quoque, & omnes septeni, similiter & quaterni, licet magnam vim habeant in iudicandis morbis, itidem & in numeranda uteri gestatione, per septimanarum decades: non id habent ex vi septenarij, sed quoniam causæ quæ id habent efficere, per septenos ex sui natura progrediuntur. Plura autem huiusmodi in natura esse, quæ per septimum, & mouentur & immutent, non dubitamus: id enim obseruauit Hippocrates, & vniuersi qui de natura scripsere. Quod vero non ad numeros quos memorat, sed ad causas comites retulerit Hipp. constat primo ex loco citato, libri de septim. partu, ubi abstinet à traditione causæ dierum decretoriorum, ob longitudinem & difficultatem eius: si autem causa esset tradenda, ex vi numerorum, nec longa esset, nec operosa nimis. Et eodem libro, naturæ necessitatem, cur septenario numero, tam magna in natura dispensentur, alijs locis declaraturum pollicetur, quod tamē aut non præstitit, aut eo caremus: non ergo ex vi septenarij, id esse censuit. Pythagorici præterea, numerum agere ob imparitatem (in qua eius consistit perfectio) tradunt. Hippocrates vero non pauciores ponit decretorios pares, quam impares: & tamen quando causæ aliquam mentionem habet, non ad paritatem aut imparitatem numerorum recurrit, sed ad varia naturæ opera, quæ illis diebus fiunt. Dixit enim libro quarto de morbis, quod febris dimittit in imparibus diebus, quoniam videlicet in diebus paribus, trahit corpus de vetriculo, in imparibus vero dimittit. Et libro de natura pueri, causam tradit naturalem, quare partus nono, atque decimo mense fiant, & ultra decimum non progrediantur: Quod sane primum erat quaesitum, & hucusque eius interpretationem protraximus. Sunt autem Hippocratis verba, longiora quam ut hic commemoremus, eorum tamen summa est, quod omnia animantia, terminum habent statum, atque præfixum, quo fœtui parcius suggerant alimenti, quam pro nutritione sit opus: quod ad nonum, & primos dies decimi mensis, in mulieribus extenditur: puer enim tunc multum adauctus, cum mater satis alimenti, ipsi suppeditare non possit, se se iactando membranas abrumpit, & foras prodit. Eadem ratio est & pecoribus, & feris, cur secundum naturam partio instet, quibusdam maturius, & serius alijs: nam quæ diutius nutrimentum præbēt, serius gestant utero: quæ vero breuius, tēporius pariunt. Auis quoque intra ouum, eadem nascēdi ratio est, cum enim auis testam contundit, & foras prodit pullus, nihil penitus in ea humoris, cuius ratio vlllo pacto haberi debeat, inesse videtur: quippe qui totus in pullum, viginti dierum spatio absumptus sit. Hinc vnicuique animantium generi, & gestationis & partus, certa assignat temporum spatia Aristoteles. 6. libro de natura animalium, cum de brutorum partu, ex professo agit. Animal ergo quod utero gestatur, cibum vberiore postulat, quoniam grandior, firmior, atque calidior euasit, quod cum non reperiat, penuria laborat, & ob id vehementer dimouetur, & calcitrat donec membranas abrumpat, & matri det initium

l 5 pariendi.

pariendi. Sed quomodo puer, sentit penuriam alimenti, ut ea victus calcitret? nam alia membra à ventriculo, eo sensu carent, 4. lib. de Usu partium, autore Gal. pueri vero in utero, cum non capiant ore alimentum, eius defectum, non egre feret ipsorum ventriculus. Respondet Thadeus, vir apprime doctus. 5. Aphor. com. 38. quod sine sensu indigentia, naturali appetitu more plantarum, puer conatur ad attrahendum, & præ conatu rumpit membranas. Quod sane non placet, quoniam nisi egre ferret, & moleste sentiret, non calcitraret, & varijs motibus moueretur. Quare satius dicendum, quod hæc naturalis indigentia, cuius sensu carent reliqua membra, mouet sensum tristcm, in pueri ventriculo, quem famem veram appellamus. In eius autem famis remedium, & exitum, & cibum externum procurat infans. In fœtu enim grandiori, ventriculus iam requirit alimentum externum, perinde atq̃ cor externum aërem, per respirationē thoracis attrahendum, quæ altera causa est naturalis partus, apud Auic. 21. 3. cap. 2. Sic ergo pepigit natura, quod toto gestationis tempore, cuius animanti, alimentum, & spiritus ex matre, per vmbilicum, sufficeret nutritioni corporis, & attemperatiōi caloris, vsq̃ ad eam magnitudinem, firmitatem, & consistentiam, quam pro sui nature ratione, vnumquodq̃ animal postulat, ut suo regimine viuere possit, & augeri sine magno labore: quod in muliere septimo quadragenario (quod comprehendit nouem menses, & decem decimi mensis dies) contingit. Tuncq̃ partus est maxime naturalis, quoniam puer ipse nulla actus violentia, sed ex natura iam indigus alimento, & aëre externo, calcitrat, membranas abrumpit, & expultricem vteri facultatem incitans, initium partus matri affert. 5. lib. Aphor. com. 37. autore Galeno. Qui sane locus est aduertendus, nam partus nō tam est actio infantis, quam matris, vteri scilicet & musculorum ventris pellentium, quod sibi molestum est, & graue, ob molem & pondus, ut autor est Gal. 3. lib. de naturalibus facultatibus: puer vero ipse ob motum, calcitrationem, & membranarum rupturā, dat matri initium pariendi, factus gradior, atq̃ molestior. Tria ergo ad partum prorsus naturalem, requiruntur, statutū à natura tempus humane partioni, motus infantis, & vteri degrauiatio. Motus quidē infantis necessarius est, tū vt inuertatur, tum vt membranas quibus obuoluitur disrumpat. Debet autem hic motus oriri ex causa naturali puta ex necessitate alimenti, aut aëris externi ut diximus. Vteri autem degrauiatio necessaria est, non queuis, sed ea quam facit fœtus suo pondere, & mole, quanq̃ auget fœtus, ob commotionem, ita vt pariendi ob id præstet initium, ut diximus. Statum quoque tempus requiritur, nam quanuis fœtus quinto aut sexto, aut septimo, aut octauo mensibus moueatur, & ob agitationem vteri expultricem incitet, adeo vt fœtum excludat, partus non erit naturalis omnino, nec legi nature tribuendus, sed illatæ violentiæ, aut ab externa aut ab interna causa: quoniam vt natura no iudicat morbos perfecte, nisi cocta materia, & in die crisimo, ita nec partum prorsus naturalem, nisi vbi fœtus maturierit, & in tempore à natura præfinito, operatur.

Vnde

Vnde fiat vt quidam partus anticipent, alij postponant, tempus à natura statutum: cur etiam octimestres non viuant examinatur.

CAP. XII.



Ed vbi externa causa deficit, quod inquiri secūda dubitatio, vnde est quod quidā partus anticipāt, alij postponunt, tempus à natura statutum. Alimenti copia & vbertas, non deficiens in matre: frigidior pueri natura, quæ ventillatione per aërem externum nō indigeat: fœtus imbecillitas ad calcitrandum, se inuertendum, & rumpendum membranas: vteri sensus hebes, ad percipiendam degrauiationem: & eiusdem imbecillitas in expellendo, & robur in retinendo, faciunt vt ultra legitimum tempus, partus extendatur ad vndecimū, duodecimum, & quod monstrosius est, ad decimum quartum, vt superius nos ex Auicenna retulimus. His prorsus contrariæ causæ, facere possunt, vt legitimum tempus anteuertant: alimenti inopia, quæ cibum, ante tempus statum poscat: calidior pueri natura, quæ ad respirandum incitet: pueri robur ad calcitrandum: acumen sensus in vtero, qui ex quauis leui molestia irritetur, & prouocetur ad expellendum: imbecillitas retentricis, & robur expultricis ipsius vteri. Non parum etiam facit, vteri ante tempus expletio, aut ob fœtus magnitudinem, aut vteri breuitatem. Prætereo causas externas, concubitus, cingulum, motus corporis, & animi perturbationes, de quibus egimus superius: talem enim naturam hæc omnia habent, tam interna quam externa, vt ante legitimum & statum pariendi tempus, partus excludant. Adde quoque si placet priuatam naturam, & proprietatem seminis, cuius ratione citius, aut tardius maturescit: sicut enim in tritico est trimestre appellatum, quoniam terra iactum, trium mensium spatio prouenit, & aliud quod in annum fructum proferat: sic inter hominum semina, non repugnat semen quodam esse, quod septimo mense, & aliud quod nono, aut decimo maturescat, ex seminis ipsius proprietate particulari, quod notat lib. de Symp. thia Hieronymus Fracastorius: nam vestilia, ex diuersis maritis, fœtum alium octauo, alium septimo, & alium vndecimo mense genuisse, testatur Plinius libro. 7. naturalis historie, capite. 5. priores tamen causæ, hac posteriore, sunt magis cōsentaneæ.

Hinc tertij quæsitæ expeditio, non est difficilis. Septimestris enim ob seminis, proprietatem, & particularem naturam prouenit mense septimo, & nouimestris nono: ob idq̃ merito viuunt vterq̃. Octimestris autem raro viuunt, quoniam cum nullum sit semen, quod octo mensibus maturescat: qui octimatu nascitur, aut anticipat nonum, aut retardat à septimo, quorum vtrumq̃, innaturale est. Dicendum secundo, quod septimestris, licet non sit naturalissimus, vt nouimestris, & decimestris, qui septem constāt quadragenarijs, est tamen naturalis & viuunt: habetq̃ rationem ac numerū, ad

ad hebdomadas vere & exacte respondentem, ut libro de carnibus, autor est Hipp. Utq; in morbis septimo die fit crisis, & nouo, non autem octauo, sic septimo & nouo mensibus, fit partus naturalis: octauo autem si fiat, erit ex violentia, & non lege naturae, quare raro uiuet: eandem enim rationem, quanquam occultam, esse in partibus & decretorijs diebus, conceptis uerbis docuit libro de septimestri partu, idem Hippocrates. Nec magis mirandum est apud Alexandrum Aphrodisiensem. 5. sect. problematum. problemate. 46. quod octimestres non uiuant, quam quod non uiuant mostra, neutrius enim ortus, ex naturae prouidentia fuit: sed ut haec propter redundantiā, & materiae fluctuationem, in aliam formam fuere conficta, ita octimestres ex violentia, alio tempore quam natura decreuerit, fuerunt eieci: neutrum enim a natura fit, quare ne diuturnū quidē est. Respondet tertio, uniuersa schola medicorum, propterea octimestres mori, quoniam fieri nequit, ut duas sibi inuicem succedentes afflictiones, pueri tollerent: mense enim septimo, ab utero conceptabilis, exitum affeclat, & sibi parat, ac in id plurimum colluctatur puer: qui si tūc non excidat, & rursus mense octauo, non refectis uiribus, eundem petat conatum, imbecillus, fatigatus, & oblaesus nascitur, & intermoritur: superstes futurus, si octauo mense quiescens, in nonum produceretur partus. Hanc causam recepit Auicenna. 21. 3. tract. 1. cap. 2. in haec uerba. Mouetur ergo tunc apud septimum ad exeundum, cum in eo comple-  
tur uirtus, & cum deficit, aduenit ei debilitas quadam, & non salit ad ipsum, cum  
ea uirtus usq; ad nonum: quod si egrediatur in octauo, egreditur & est debilis, &  
non exprimitur a uirtute faciente nasci, immo ex causa alia exprimente, laedente de-  
bile. Huic tamen uidetur obstare experimentum, mense enim octauo, non quiescunt  
infantes, nec matres, sed inquieti magis uagantur: quod nos in plurimis mulieribus  
obseruauimus, & ab Aristotele atq; Hippocrate accepimus: libro enim de octome-  
stri partu, Octaui (inquit) mēsis gestatio, onerosa, molesta, ac perdifficilis est, tum ma-  
tris ratione, grauiter ob pueri natus conditi, perturbatos motus affecta: tum ra-  
tione uteri incommodius se habentis, ac quodammodo ingestabile onus respuen-  
tis. Et Arist. 7. de hist. animalium cap. 4. Octauo mense agitari, & infestari mulie-  
res summopere dixit: sique pariant & moriatur foetus, ipsas quoq; facile perire, quo-  
niam eo mense sunt debiliores, & intraneo sanguinis profluuio, plurimum agitantur.  
Quae sane non improbabilis, sed tanquam experimentis plurimum respondens, mortis  
octimestrii causa est aduertenda: nam si ad bonum partum (ut scribit Galenus. 5.  
lib. Aphorismorum, com. 55.) duorum corporum vigore est opus, & grauidae mulie-  
ris & infantis, si eorum uterq; male habet octauo mense apud Hippocratem, Ari-  
stotelem, & quotidianam obseruationem, merito qui octauo nascitur mense interit,  
superstitibus septimestri & nouimestri: quamquam causam cur octauo mense, peius  
quam septimo & nouo, habeant infantes, & mulieres intraneo sanguinis profluuio,  
tunc agitentur magis, inexplorata habeamus. Sunt qui causae, ab Auicenna tradi-  
tae addant, quod pueri ex fatigatione, quam septimo mense contraxerunt, laborant  
morbo

morbo, quodam quadraginta diebus terminando: si igitur (inquiunt) illis quadraginta diebus (quibus totus octauus mensis continetur) prodierint, moriuntur, nouo labore partus, adueniente pristinae agrotationi. Quae sane mihi salua doctissimi hominis pace, non placent. Primo, quoniam septimo mense, omnes infantes moueri ad exitum, & plurimum in conuersione laborare, necessarium esse non iudico. Secundo, quonia etiam si in id maxime colluctentur omnes, non oportet omnes, ex defatigatione agrotare. Tertio, quoniam etiam si omnes, ob laborem & luctam, in conuertendo se se agrotent, non eodem morbo corripientur omnes, sed unus lassitudine tensiua, alter febre ephemera, alter biliosa, pituitosa alius, & alter altero morbo occupabitur. Quarto, quoniam quauis in eundem morbum inciderent omnes, quadraginta diebus non semper duraret, ex differentia enim temporum, regionum, naturarum, & victuum diuersos terminos acquirunt morbi: sic aestiuae quartanae magna ex parte breues sunt, autumnales uero longae. Quinto, nam si ex abundanti demus tibi, omnes infantes septimo mense, in unum met morbum incidere, qui quadraginta diebus, in omnibus terminetur, non modo octauum mensem, sed decem etiam primos dies, mensis noni infelices reddis ad partus, si morbi principium a fine septimi mensis computare uelis: quod si a septimi mensis initio, puerum dicas agrotasse, iam omnes octaui mensis dies, praeter decem priores, felices statuas oportet. Hic tamen praetermittenda non est ratio, quam Auicenna, & Arabicae familiae uiri recipiunt, & ab Hippocrate manasse uidetur, libro de alimento. Nam cum tempus conformationis sit uarium (masculi enim & calida natura praediti, citius: feminae & qui frigida consistat temperatura tardius formantur) ex eius uarietate, totius reliquae gestationis uarietatem, perdere existimant: par enim est, ut qui citius formantur, citius quoq; ab eodem agente absoluantur, & edantur in lucem: contra uero qui tardius. In hac autem ratione, statuunt, tempus motus infantis in utero, duplum esse ad tempus formationis: & tempus absoluteionis & partus, esse triplum ad tempus motus: qui ergo triginta quinque diebus formantur, septuaginta mouebuntur, & ducentis & decem (septimi scilicet mensis fine) nascentur: qui uero quadraginta diebus formantur, mouebuntur octuaginta, & nascentur ducentis & quadraginta, scilicet ad initium noni mensis: qui uero quadraginta quinque diebus formam accipiunt, nonaginta mouentur, & ducentis & septuaginta prodibunt in lucem, scilicet ad initium mensis decimi. Ex qua supputatione, nullus partus naturalis, incidit in mensem octauum. Haec autem ratio quauis probabilia dicat, non placet: Primo, quoniam ex ea ratione, in diem certum semper incideret partus, magna autem est latitudo: septimestris enim est, qui quotocumq; die mensis septimi nascitur, & nonimestris, qui nascitur aliquo die noni. Secundo, nam si quidam foetus formantur triginta quinque diebus, quidam quadraginta, & alij quadraginta quinque: necessarium quoq; erit, ut alij formentur diebus intermedijs: qui ergo trigesimo sexto die formam acceperit, septuagesimo secundo mouebitur, & ducentis supra sexdecim diebus edetur in lucem, & ex consequenti incideret partus naturalis



ralis in octauum mensem. Tertio, quoniam ut monuimus supra, multo ante duplum id tempus, fœminæ quædam, infantis motum deprehendunt. Quarto, quoniã fœmina & qui frigida tēperaturam nanciscuntur, tardius formantur, & mouentur, ob imbecillitatē calidi inuati, & spiritus formatoris: non tamen ob id tardius edentur in lucem. Nã si calida natura & masculositas, est lōg. euior suis cōtrarijs, lōgiores omnes etates habeat par est: longiorē pueritiã, longiorē adolescentiam, iuuentutē atq; senectã, & longiorem quoq; eam etatem quam in vtero agunt: frigida vero contra, omnia post formationem, & animationē, habeat breuiora oportet. Nec est quod subterfugas, hæc extra vterū, non intra vera esse: idē enim calor natiuus, qui puerū extra vterum format: alit, & auget fœtum in vtero: si ergo extra, citius ad suum peruenit finē, cur intro nō perueniet? Vnde si quæ nos oculis vsurpauimus fidē faciūt, fœminarum quam masculorū partus, breuiori tēpore accelerant, quod citius ad suū terminum perueniant: sicut enim breuiores sunt fœminæ maribus, nec in tantã proceritatem assurgunt: ita etiam minores nascuntur, & citius minorem illam quantitatem, sibi debitam, maiori ex parte consequuntur: qua sane in re, nos rationi & experimento, nostro, malumus credere, quam dictis quorumcumq; autorum.

☞ An in vteri gestatione, computatio sit faciendã, per menses solares, an per lunares. CAP. XIII.




N vero in vteri gestatione, computatio sit faciendã, per menses lunares, an per solares, dubium est non contemnendum: quod vltimo disquirēdum duximus. Existimat autē maior medicorū pars, ex lunæ motu gestationem esse metiendam. Primo, quoniam lunæ motum menstrua sequuntur, & quibusq; lunationibus renouantur, solitæ enim sunt mulieres purgari decrescēte luna, apud Aristotelem. 7. lib. de hist. animalium, cap. 2. Et apud Gal. 3. lib. de diebus decret. cap. item. 2. luna stato tempore menstrua mulieribus sollicitat. Adhæc conceptus per lunæ quadras commoueri, autor est Gal. 3. lib. de diebus decretorijs, cap. 5. Nam si luna (inquit) in tauro existente, genitura retenta fœtus concipiatur, vel in lucē partus edatur, vel etiã alia omnino res, tunc capiat initiū: certe cū in leone, scorpio, & aquario, zodiacum percurrens fuerit, insigniter ipsa eã rem immutabit. Tertio, eandē rationem, quanquã occultã esse in partibus, & decretorijs diebus, conceptis verbis docuit Hipp. lib. de septim. partu: decretorij vero gubernantur ex luna, ut constat ex Gal. 3. lib. de diebus decretorijs: ergo partus & vteri gestatio, pendet ex luna. Quarto, nã luna, in re humida, qualis est cōceptus, qui vtero gestatur, dñiū suū exercet, & maxime in homine animaliiū humidissimo, ut latius in tractatu nostro de lunæ efficiētia & causa creticorū diximus. At si Hippocratis sentētiæ standū est, per menses solares, qui triginta dies impleāt, metiri vteri gestatio debet: nã sicut luna omnia quæ

intra

intra mensem fiunt, per quadras suas, septimo quoque die commouet, ita & sol quæ mensem excedunt, & annuo spatio geruntur gubernat, & per quadras suas commouet. Sic anni temporis mutatio, diurnos affectus discutit, adeo ut hyeme genitum, ver dissoluat: in vere excitatum, æstas: in æstate, autumnus: in autumno vero ortū, hyems. Vteri ergo gestatio, ad partum vsq; cum mēsem excedat, & tribus anni quadris, nouem scilicet mensibus expleatur, nō ad lunam, sed ad solem spectat: quanuis nec luna sit prorsus negligenda, ex commotione enim quam in humido suapte sponte facit, partum interdum accelerare erit potis: Cum præsertim aut retērix vteri est imbecilla, aut fœtus præ alimenti inopia, vel caloris copia, exitum affectat. Nō erit tamen adeo naturalis hic partus, ac si solis integrum cursum et benignitatem experiretur. Hinc Hippocrates, ut omne dubium tolleret, numerum dierum apposuit: Libro enim de alimento, triginta quinq; soles, ad figurationem poscit: ad motum septuaginta: & ad perfectionem ducentos & decem. Et libro de carnibus, Septimestris (inquit) partus, tres habet decades hebdomadum, & in vnaquaq; decade septuaginta dies: tres vero hebdomadum decades, ex toto sunt dies ducenti & decem. Ex quo loco aperte constat, septimestrem septem menses habere, quorum singulus triginta diebus constat: nã si ducentos & decem, per septenarium partiri velis, triginta ex partitione surgent. Apertius vero hoc idem docet, libro de octomestri partu, cum dicit, nouilunium quod dies vnus extitit, esse trigesimam mensis partem, duos autem dies, quindecimam, & tres dies partem esse decimam, & reliquos iuxta horum rationem.

☞ Quod partus initium puer afferat, & quod ossa pubis & caudæ, non ex articulentur matri. CAP. XIII.



M dies iam partitionis instat, fœtus ore nutrirī, atq; respirare amans, egre fert vtero contineri, membranis obuolui, & vtero illigari: manibus ob id ac pedibus calcitrat, & amnion tunicam sibi proximam rumpit: qua rupta, reliquæ fiūt imbecilliores, & rumpuntur etiam ut illa. Quādo à vinculis iam puer est absolutus, & in caput vertitur, foras prodire curans, sudor & vrina intra amnium & allantoidem conclusa, sanguis quoq; & sanguinei ichores, ex ruptura membranarum, & vinculorum copiosius emanant: atq; collum matricis, & partes circumuicinas humore perfundunt, & laxant, ut facilius fœtus elabatur. Fertur autem in caput, quoniam supernæ ipsius partes, ex vmbilico tanquam ex librâ appensæ grauiore sunt, autore Hippocrate libro de natura pueri: quæ tamen grauitas, quanuis tanta non sit, ut per se ad inuertendum fœtum sufficiat: (sic enim toto gestationis tempore, fœtus in caput propenderet) motus infantis & matris accedit, qui naturæ prouidentia, non modo in caput ducit, sed manus etiam atq; pedes ita coniungit,

iungit, & reliquo corpori applicat, ut nusquam in hanc aut illam partem diducantur. Magnum enim periculum erant incursum, atque matri incussuri, si aliter prodiret in fantes. Hinc ex foetus imbecillitate, & ad se se inuertendum impotentia quadam, difficiles interdum partus fiunt, apud Auicennam. 21. 3. tractatu. 1. cap. 2. non valente scilicet, superiorum partium grauitate per se, puerum inuertere: nascunturque aut in pedes, aut in latus, aut in duplum, autore Galeno, in definitionibus medicis: ad eas enim tres, omnes innaturales partus figuræ reducuntur. Omnium innaturalis sima figura est, quæ fit in duplum, à qua nemo forte euadit, quæ in latus, huic est proxima, & à docta obstetrice sæpe reducitur: quæ in pedes, innaturalis quidem est, & frequentius secundum eam nati viuunt, enecta vi enixus matre, & cesares aut cesones, à ceso matris utero appellatur: agrippas quoque eos qui in pedes nascuntur appellant, ac si ægre partos dicerent.

Quantumuis autem partus sit naturalis, & feratur in caput, mater in enixu toto corpore laborat uehementissime, & præcipue lumbos coxasque dolor occupat: si quidem coxæ illi diducuntur, ut scribit Hippocrates libro de natura pueri. Mirum autem est quod uterus, qui adeo erat occlusus, ut nec cuspidis magnitudinem admitteret: in partu tantum aperiat, ut totum animal per eum exeat, non vulnerata aliqua particula, nec osse aliquo exarticulato. Qualiter hoc fiat nescimus (inquit Galenus. 15. libro de Usu partium) nec aliud quam admirari possumus naturæ sapientiæ, & potentiam, quæ huiusmodi sopsismata atque commenta, circa parturitionem animantis machinatur. Nec contrarium est quod scribit Auic. 21. 3. tract. 1. cap. 2. in hunc modum. Et quando separatur, aperitur matrix apertione tali, cuius similem effigere non valet in suo simili: & necessarium est ut separentur quedam iuncturæ, & sustententur adiutorio Dei excelsi post illud, & propter illud redeunt in proximo ad continuationem naturalem: & est operatio illa de operationibus fortibus naturalibus. Quæ sane verba, Galeni sententiæ non sunt aduersa ut aliqui existimant, nam per separationem quarundam iunctarum, intelligit ipsarum laxamentum, non exarticulationem: quod declarant verba illa & sustententur adiutorio Dei excelsi, ne scilicet exarticulentur: ita namque ossa caudæ, cum osse sacro articulantur, ut reflecti possit cauda in partem exteriorem, & foramen in partu, Dei beneficio sine exarticulatione latius reddere, nec aliud maius in hac separatione Dei adiutorium percipimus, quamuis multa in partu mirabilia præstet.

In partu ergo naturali, infantis caput primum prodit, facie si femina sit in matris podicem, & si masculus in abdomen magna ex parte versa: deinde membra alia consequuntur, omnium autem postremus umbilicus est, ex umbilico, secundæ propendent: post hæc sanguineus humor, qui ex uniuerso corpore ad partem dolentem accurrit. Hic apud Hippocratem libro de natura pueri, purgamentorum educationi parat, sicut aqua in mensam effusa, reliquæ aquæ fluxuræ vi in sternit, quidquid enim postea superfuderis, iisdem ductibus defluet, quos aqua primum effusa designauerat.

Ad

Ad eundem modum, prima hæc vacuatio sanguinis, ad partem dolentem accurrētis, ductum & viam parat purgationi vitiosorum recrementorum, quæ gestationis tempore in venis acceruata sunt. Quæ quantum expediat vacuari, & quanta mala inferant, si retineantur docet eleganter Hippocrates. 1. lib. Prorethici, parte. 2. sent. 48. & in commentario Galenus. Quot præterea diebus purgari debeant, tum quæ femina peperere, tum quæ masculum, ut plena perfecta que, & nihil habens periculi sit purgatio, desuper ex Hippocrate docuimus. Hic iam umbilicum longius protensum, & peritonæo plus satis hic crassescente obuolutum, obstetrices considerant, & nodos computant, totaque filios, deinceps nascituros promittunt, quot nodi fuerint reperti: quod etiã Nicolao Florentino, video non displicuisse. Fabulam tamen narrat, quoniã huiusmodi nodi, sunt venarum atque arteriarum umbilicalium contorsiones, factæ ut sanguis ad foetum deductus, cunctetur, & ceset quodammodo in ipso cursu, ne subito incursum, foetum obruat, sanguinis accurrentis multitudine: unde non pauciores sæpe nodi in postremo, quam in primo partu reperiuntur. Tanta autem est horum vasorum, quæ umbilicū constituunt longitudo, ut per sinistram scapulam ascendentes, ad infantis ceruicem tendant, quam comprehendentes, & per alteram rursus scapulam descendentes, laqueū collo inditū representent, & male ob id quidam infantibus, ominatur: quos tamen ita nasci magna ex parte curat natura, ut exiens infans, secundam cum alijs tunicis, secum attrahat.

Unde fit, ut a partu lac feratur in mammas, & puer ubera statim sugere sciat. CAP. XV.



**R**E CENS exclusus infans, ab utero iam, & matris regimine absolutus, sui iam iuris prorsus factus, alia ratione dispensatur: ore enim, & spiritum, & alimentum summit. Alimentum autem sibi idoneū, lac comparauit natura, cum enim tenera adhuc sint, atque imbecilla, recens nata animalia, edulia solida, non dum possunt conficere. Ob idque natura, perinde ac si utero adhuc gererentur, alimentum ex matre, ipsis artificiose comparat, & eadem die, in mammas eius quæ peperit, lac ducit. Cuius sane causa fortuna non est, sed docta & artificiosa natura, quæ ob hanc utilitatem, communibus vasis, utero & mammis est usa. Cum enim partes utrasque ad unum opus obeundum comparasset, ipsas per vasa coniunxit: atque sola hæc in animalibus vasa, partim quidem ex partibus quæ sunt supra phrenas profecta, ad inferna corporis feruntur: partim ex inferioribus sursum, quod prædictas solas particulas, per vasa coniungi erat necesse: ut quando in matricibus foetus augetur, ac conformaretur, illi soli, venæ communes ex utrisque, alimentum affundant: quando vero natus fuerit, mammis rursus alimentum totum adfluat. Hinc mutuus & multiplex, uteri atque mammarum, per vasa dicta consensus pendet.

pendet. Apparet enim perspicue quotidie, mammaram cum matricibus communio, non modo cum fœtus intereunt, de quibus Hippocrates nos docuit. 5. Aphor. sent. 37. & 38. Verum etiam ante id, cum adhuc animal habet secundum naturam: semper enim utero crescente, augentur mammae, & decrescente, decrescunt. Ab anno duodecimo, usque ad quinquagesimum crescunt, & roborantur, uterus & mammae foeminarum, non ante, nec post. 7. lib. de hist. anim. cap. 1. autore Aristotele: quia (ut ait Galenus. 14. libro de Usu partium) in iunioribus, sanguis consumitur in nutritione, & augmento totius corporis, in senioribus, sola nutritioni sufficit ob paucitatem, in medio autem tempore, quod à duodecimo, usque in quinquagesimum annum protenditur, cum iam corpus parum, aut nihil augetur, multus sanguis auget dicta membra. Sed quare uterus & mammae, ante duodecimum annum, non augentur ad proportionem reliquarum partium? nam si animalia attentius dissecueris, reperies ante annum duodecimum, vesicas multo matricibus esse maiores, in perfectis autem matricibus vesicis? Huic sane dubitationi, respondet Galenus, quod vesica ad portionem aliarum partium augetur, quoniam omnibus ætatibus æqualiter seruit: matrix vero, neque dum augentur adhuc animalia, neque cum iam consenuerunt, rite potest, actionem suam obire: Cum primum vero duodecimum attigit annum, in quo uteri magnitudine fuit opus ad conceptus, uterum confestim auget natura, & ad perfectionem præpropere trahit: cum quo pariter, auctiores atque pulchriores redduntur mammae, ob dictum consensum & communitatem vasorum. Sic dum fœtus augetur, exiguae sunt mammae, quomodo & matricibus: cum autem perfecti fuerint, & pariendi tempus insisterit, simul cum matricibus, quod satis est intumescunt, Nam venae quae ad matricibus sunt (autore Gal. 14. libro de Usu part.) latitudine ac longitudine sunt tanta, ut fœtum non modo affluenter nutrant, verum etiam superfluum quidpiam semper coegerant. Quod cum toto conceptus tempore, in his communibus vasis, ceu promptuarijs alimenti, acceruatam ea attollit, ac omnino distendit, & veluti exundat, locum in quem transferat se se requirit: quem reperire non potest nisi in pectore, in quod simul venae distentae ac grauatae id immittunt: simul autem ventris totius moles, quae propter conceptum, ipsis incidit ac premit, ad locum cedentem propellit. Quae sane tam docta Galeni sententia, non placuit Vesalio, non enim ei videtur sufficiens ea communio vasorum: quoniam vasa (inquit) ascendentia, ab utero ad mamas, gracilia sunt & ascendunt: grandia autem vasa, & descendunt, sunt rami cauae venae descendentes ad crura, cum ergo eadem sit communicatio inter utraque vasa, superfluus uteri sanguis, magis regurgitabit ad crura: & tumor uteri, postremis mensibus, sanguinem deorsum magis premet. Sed dicendum est, quod communicatio vasorum, est causa partialis augmenti & decrementi mammaram: præter quam est altera causa, instinctus scilicet naturae, vel insita doctrina in utero, excernendi magis in mamas, quam in crura: quem instinctum, communicationi vasorum addere debuisse Vesalius, nam & membra principalia, per venas maiores possent euacuari in venam cauam facilius, quam per minimas in propria emunctoria, in quae frequentissime se

exo

exonerant, ob instinctum naturae iunctum communioni vasorum. Utque plantae, hyeme radicibus curam gerunt, ut ubere ipsae nutriantur, vere vero germinant, & ramos folijs vestiunt, inde ad flores gignendas prodeunt, quas postea negligunt, & deciduas relinquunt, ad fructus versae, quibus demum ornantur, ob instinctum atque doctrinam insitam, qua creatori parere didicerunt (non enim sine hac, sufficeret, hyemis frigus, quod natium plantarum calorem ad radices detrudit, nec vernus calor, qui eundem ad ramos euocat, ad tanta tamque mirabilia præstanda opera) Ita uteri tumefactio, sicut & vberum inanitas ac laxitas, quam etiam huius euentus, causam ponit Aristoteles quarto libro de generatione animalium, capite tertio, sine hoc instinctu non sufficeret ad mamas sanguine implendas, in prægnantibus: quoniam uteri tumefactio sola, infra magis detruderet, tum quoniam venae quae ad crura feruntur, sunt maiores, tum quoniam fœtus degrauians, deorsum magis quam sursum premere est aptus: ob idque in hydropicis deficiente hoc instinctu, uteri tumor ad pedes remittit humorem non ad mamas. Instinctu vero, & naturae nomine adiuncto, nec si maiora & magis admiranda fiant, causa alia est requirenda. Si enim post partum, cum abundans adhuc sanguis, ex utero decurrit, & purgatur, mammae affluenti sanguine replentur, ex sola hac lege naturae, cur non magis, ante partum repleti incipient, accedente uteri tumore, simul & sanguinis abundantia? Vis etiam quae ad fœtum, dum utero gestatur, sanguinem mittit pro alimento, cur cum idem fœtus iam exclusus, ex vberibus pendet, sanguinis cursum ad vbera non conuertet? Et si vis eadem, ad duodecimum annum, & non ante, mamas simul cum utero auget, & in senectute diminuit, contrahit, atque spernit: quoniam in iuuenta, usque ad senectutis initium, ceperunt ex usu esse: cur non eisdem, lac dabit, ante partum incipiens, & post partum exhibens affluenter? Quod enim nihil referat, siue vim formantem, siue discretiuam, siue regitiuam, siue instinctum, siue naturae impetum, siue naturalem sensum eam appelles, lib. de animae facult. cap. 6. docuimus. Haec est quae summa sagacitate, & eximia doctrina, animantia gubernat, quae gressibilibus lac præbet, alitibus vero, non minori prudentia negauit, ob naturae siccitatem, quae lac gignere nequiuit, ut scribit Gal. 14. de Usu part. cap. 4. Quae sane causa, partialis est, & citra hanc facultatem, & instinctum, minime sufficeret: multa enim gressibilia, sicciora quibusdam alitibus, lac habent, quare minor siccitas, huic instinctui iuncta, lac impedire valuit in alitibus, ne lactis & vberum grauitate offederetur volatus: qua etiam ratione alites destituuntur vesica, et multitudine intestinorum: eorumque usum alijs natura suppleuit: multitudinem nepe intestinorum, suppleuit eorumdem caecitate, quae difficile transitum, præstat alimentis, donec à iecore sugantur: defectum mingedi, suppleuit plumis, exercitio, & excretionem stercoris humidioris, ut scribit Alexand. Aphrod. problemate. III. lib. 4. lac vero suppleuit alis, rostro, & amoris stimulis, quibus undecumque volantes, aduehunt alimenta, quae prius ore conterunt, & rostro in filiorum ore indunt. Quod vero apud Hippocratem, libro de natura pueri, lac prægnantium, ex adipe omenti, ab uteri tumore, ad mamas presso gignatur, verum non est. Nec enim omnia scire, primus ille



medicinæ p̄rens potuit solus. Fuit autē deceptus, ex similitudine lactis, ad liquidū adipem, in pinguitudine, albedine, & suauitate, & quoniā mulieres pinguescere credidit, dum vtero gestant, ob alimenti abundantia, ex cibis, & retētis mensibus, ortā: quare ex omento pinguiori factō, ab vteri tumore presso, pinguitudinē nō pauca, in māmas regurgitare, fuit ratus. Sunt autē Hippocratis verba, quæ sequuntur. Est autem hæc gignēdi lactis causa. Quum vterus fœtu tumens, ventrē mulieris presserit, si cōpressio illa, eo pleno fiat, pinguisimū quodq̄, tam à cibis quam à potibus, in omentum & carnem resilit. Nam quemadmodū si quis, pellem copioso oleo inunxerit, ipsūq̄ inibi suerit, ac postea pellem presserit, illa hoc compressu oleum resudabit: sic certe vbi venter, continens in se, quidquid in cibis, & potibus, pinguedinis erat, premitur ab vtero, in omentū, & carnem. Pingue resudat: ac si mulier quidē, carne sit rariore, celerius, eo quod inde resilit, fruitur: sin autē minus, tardius. Quin & pecora ipsa p̄egriātia, nisi morbida fuerint, potu cibōq̄, eā ob causā pinguiora redduntur: nec vero diuersa est in muliere ratio. Namq̄ pingui cōcalescente, & candido factō, quid quid matri eū valore dulcescit, exprimitur, & conscendit in māmas: siquidem tum hæ, tū aliæ per similes venulæ, in māmas atq̄ vterū protenduntur: quum autem peruenit in vterū, iam speciē lactis induit, eoq̄ exiguo, puerulus fruitur. Māma v̄ro, vbi lac exceperūt replentur & extuberāt: atq̄ postea quidē, quam mulier pepererit, principio motus factō, lac se se in māmas recipit, si mater puerū lactet. Quibus verbis, quam parum, solæ antiquorum autoritati, in scientijs liberis, sine experimento, & vrgenti ratione, sit tribuendum, legentium relinquo iudicio. Quod eo magis fatebere, quo idem Hippocrates, senior factus. 5. Aphor. sent. 39. ab hac recessit sententia, in hæc verba. Si mulier quæ nō concepit, neq̄ peperit, lac habet, menses ei defecerūt. Quibus verbis, lac ex mēstruo gigni, ad māmas ab vtero cōfluēte, significat: idq̄ absq̄ v̄llo cōpressu, siquidē nec grauidā esse, nec peperisse mulierē statuit.

Frustra natura, lactis alimentum pueris comparasset, & tam mirando artificio ad māmas conduxisset, nisi pueris etiam ipsis, conatū, instinctum, & doctrinā insitam, ad huiusmodi succū capeffendum indidisset. Nam si quis papillā ori infantis indiderit, confestim quidem eam suis labijs costringet, protinus autem buccis dilatatis, succum attrahet: post autē curuata lingua, in fauces propellet, perinde ac si id mul to ante tempore didicisset. Inde autem stomachus, in ventriculum deducit & ipse velut edoctus. Deinde ventriculus vbi eo est vsus, mittit intestinis, quod sibi est superfluum. Hæc autem deinceps sibi mutuo dissipant, vsq̄ ad postremū. Producentur autē postea in infante dentes, ne is semper matri esset molestus: & cum dentibus mādendi actio accedit, quæ & ipsa vt cæteræ actiones à nemine est edocta, vt lib. 15. de Vsu partium doctissime Galenus edisserit. Sic puer digitum vnūquemq̄ porrigit, & inflectit, linguā conuoluit, & membra contorquet, etiam si nec norit, nec didicerit, quibus musculis, ad singulas motiones sit opus. Et animal vnūquodq̄ videmus, ea se parte corporis tueri, quæ p̄ cæteris plurimū valet: cornu enim petit vitulus, etiam

etiam ante nata cornua, & equinus pullus calce, nondum satis firmis vngulis: sic & catellus mordere conatur, etiam si adhuc infirmos habet dentes: & auium genus omne volatum molitur, & si per infirmitatem non dum potest. Quæ sane Galenum libro de fœtuum formatione, cogit fateri, quod facultas quæ nos formauit olim, in nostro corpore manet, membra suæ admonens operationis, vnde prodit instinctus, conatus, & insita quam diximus membrorum doctrina.

☞ An fœtus in vtero, nutriatur menstruo sanguine: & lac post partum, an ex eodem ad vbera recurrente gignatur. CAP. XVI.



AC maternum, vtile alimentum pueris existit, ipsis enim est quam simillimum, & sanguini quo in vtero nutriebatur finitimum: de quo an menstruus fuerit, an alter dubium est. Sunt enim quidam, qui menstruo sanguini, tantam perniciem, & vim tam pestiferam tribuunt, vt nunquam credant, in fœtus alimentum cedere posse: nec hunc (inquiunt) natura, in prægnantibus intus contineret, nisi ob periculum, ne cum eo vtile alimentum, & fœtus deturbarentur: ob idque eum purgandum in horam partus custodit in venis, quæ circa vterum sunt, & in reliquis etiam vasis puriori sanguini permiscetur. Hinc menstruo sanguine purgata, facilius cōcipere posse rētur, quoniā scilicet vitiosa & maligna qualitate præditus erat. Hinc ex eius cohibitione in prægnantibus malacia, varices, lienis tumores, corporis grauitas, fœdus faciei color, & innumera fere mala succrescunt: à quibus tūdem liberantur, dū post partū statuto tempore purgantur. Quod si cuius minus perfecta succedat purgatio, ea mala oriuntur quæ memorat Hipp. 1. Prorbet. parte. 2. sent. 48. & Gal. in eius sententiæ cōmentario, in hanc aperte videtur ire sententiā bis verbis. Absumpto quidē in fœtus alimētū, vtili qui in ipsis erat sanguine, sed per manente vitiosiore, qui singulis mēsis, antea per vterū exercebatur. Cū igitur is vacuatus non fuerit, à mulieris puerperio, aut vterū ipsum in phlegmonē agit magnam, aut ad superiorē aliquā sedē delatus, parti excipienti propriū affectū, periculū infert. Quinto quoq̄ Aph. com. 37. cōceptū nutriri, dulcissimo quod in sanguine est, Gal. scribit. Nō ergo nutrietur mēstruo sanguine, adeo venenoso, vt de eo referat Plinius & alij, eius cōtactu acescere musta, sterilefcere fruges, mori insita, exuri hortorū germina: & quod mulier prægnās si alterius mēstrua supergrediatur, aut illis circumlatur, abortū facit: quodq̄ ei quæ vterū nō gestat, concipiendi sp̄e adimat. Mulierum quæ purgatur spiritus, & vapor ab ore, specula obscurat. Gustatus hic sanguis, canes in rabiem agit, & homines miris cruciatibus affligit, comitialē morbū, pilorum effluuiū, effascinationem, præstigiaturā, obliuionem, amentiam, aliāq̄ elephanticoꝝ vitia infert: ob idq̄ à Petro de Spono, trac. de venenis, cap. 73 pari malignitate existimatur, atq̄ sanguis elephantici potus. Et nisi menstrū perniciosum esset, dum in

m 3 muliere

muliere supprimitur, tam grauiā incommoda non afferret: viscerum scilicet ob-  
structiones, tabem, cancrum, morbum comitiale, huiusq; perniciēi quamplurima.

Contra vero est censendum, nam foētū nutriri, sanguine mēstruo, auctor est Gal. 5.  
Aphor. com. 60. & libris de semine passim, & Arist. 1. de generat. anim. & Auic.  
21. 3. Aētius & Paulus, & omnes fere qui de re medica scripserunt: vnde. 5. Aph.  
com. 37. & 1. Prorhet. parte. 2. com. 48. non aliud voluisse Galenū existimo, quam  
quod foetus, nutriatur praestāiore purioreq; sanguinis menstrui parte, & quod eius  
altera pars excrementosa & magis vitiosa, seruetur vsq; ad partum. Quin ex parte  
ea vitiosa, & impuriore, cum auctior est foetus, aliquid accipit in alimentū, vt auctor  
est Gal. 1. lib. de causis symph. cap. 7. vbi ita ad verbum scribit. Hoc tamen auctius  
redditum, tum ipsum ampliori nutrimento vtitur, tum non solum quidquid optimū  
in venis est, id trahit (ceu prius dixi) sed etiā quia plus indigeat, eius quod vitiosum  
est, aliquid vnā cōtrahit: atq; ita totū corpus, tū plenitudine laborare desinit, tū mi-  
nus vitioso est succo. Ipse autē foetus, alimēti quod attrahit excremēta, in duplicibus  
mēbranis reponit: ac fit quidem magna ex parte, ipse quoq; & vitiosioris succi, & in-  
tēperatior, vt pote, ex vitioso nutritus sanguine: nisi si quae eū gestat, in reliquo ge-  
stationis tēpore, salubribus vtatur alimētis. Quibus verbis patet, impuriore etiā san-  
guinis parte quadā, omnes foetus nutriri: ex quo ceu principio, Arabicae familiae au-  
tores, pendere putāt, quod morbillis & variolis omnes homines postea corripiantur.  
Excrementū enim menstrui, quod cessit in alimentū, malicia quadā infectū, postea  
efferuescentiā molitur: cū scilicet assequutus fuerit determinatū, tum modū, tū gra-  
dum caloris: sicut enim nō statim à vinaceorū expressione, ebullit mustū, ita pueri ca-  
lor, humidi multitudine obrutus, donec per etatē, aut causam aliā, internā, vel exter-  
nam, talē modum & gradū consequatur, nō facit ebullire: & contra cū eum assequi-  
tur, eius sanguinis efferuescentiam mouet, & subinde variolas & morbillos creat.  
Quod vero venenū esse praedicāt, cum Plinio fallūtur, nā si menstrui naturā specte-  
mus, nulla ratione venenū erit: Primo quoniā generatur in iecore sanae mulieris, cū  
reliquo sanguine, & ex alimēto salubri, ergo nec ex materia, nec ex efficiēte venenū  
erit. Secūdo, nā sanguis huiusmodi, ob id singulis mēsi- bus purgatur, quod minor eius  
quātitas, absimitur in nutrimentū, quā generetur in iocinore: nā cū plus absimitur,  
vt in iunioribus & viraginibus, aut cū minus generatur vt in senioribus, mēstrua de-  
ficiūt: eiusdē ergo rationis mēstruū est cū reliquo sanguine. Tertio, nā si venenū est,  
foeminae quae toto mēse mēstrua cōgerūt, venenatae interirēt: & foetus qui nouē mēsi-  
bus, in vasis prope ipsum situs, venenū habet pximū, nulla ratione superesse posset.  
Quarto, nā ex mēstruo generatur lac, eaq; causa est apud Galenum, decimo quarto li-  
bro de Vsu partium, cur eodem tempore, mēstrua belle procedere nequeant, &  
mulier lactare: esset ergo lac improbum alimentum, & enecandis potius, quam  
enutriendis pueris aptum. Nam si caprae tithymalis, aut scamoniū, pascantur,  
lac reddunt purgatorium, tertio libro de alimentorum facultatibus, auctore Galeno,  
cur


cur si ex mēstruo venenato ducat ortum, lac ipsum veneno carebit?

Nec obstat, quod mēstruum epotum amentes faciat (vt ferunt) hoc enim nō est  
essentia veneni, sed necare. Adde quod auctores, inter venena numerant vinum, &  
aquam frigidam, & alia quae licet venena non sint, intempestiue & liberalius sum-  
pta, homines in magna trabunt discrimina: sic forte mēstruum, noxiū erit, & non  
quodcumq;, sed mulierum biliosarum, & facile rixantium vt referunt. Canes vero  
ex mēstruo, in rabiem agi, aperte esse falsum, & quodā satis impudico experimento  
probatum, testatur Mathiolus Senensis in suis epistolis. Quod praeterea mulier praeg-  
nans, quae alterius mēstrua supergreditur, aut illis circumlinitur, abortum faciat,  
& quae vterum non gestat, reddatur sterilis, plane est falsum. Nam praeter id, quod  
experimentis talia non ostendent, rationi esset magis consentaneum, vt omnes quae  
mēstruant mulieres, quoniam intus & extra circumlinuntur mēstruis, redderen-  
tur steriles: & omnes quae vtero gestant, ex mēstruo quod seruant in partum, abor-  
trent: plus enim est in se seruare, quam supergredi. Quod vero ex menstrui conta-  
ctu, nouella vites, vel insita, vel germina, vel fruges, intereant & vrantur (si res ita  
habet) veneni naturam non arguit, idem enim praestant, oleum, acetum, muria, vri-  
na, & multa alia quae venenū nō sunt. Quod vero mensium tēpore, specula multum  
inficiant, & obscurent mulieres, ex vapore sanguinis commoti, & vndique exha-  
lante prodit: nec mirum esset, si mulier male sana, menstrui tempore, pueros teneros  
inficeret, atq; effascineret. Musta vero ex eius contactu acescere, forte est verum,  
quoniam sanguis putrescit facile, & acetum putredine prouenit. Sed quauis haec  
omnia faceret menstrū, aut excretum, aut in corpore putrescens, ea minime facere  
oporteret in corpore, dum natiui caloris beneficio gubernatur.

De similitudine filiorum ad parentes, auos &

proauos, de dissimilibus, & monstris.

CAP. XVII.



clusus in lucem infans, magna ex parte alicui parentum, aut  
ambobus similis est, auos interdum, proauos, & attauos refert,  
patruo interdum, & alicui ex consanguineis fit similior, rarius  
extraneis, rarissime fit monstrum, quod ne cum hominibus qui-  
dem similitudinem gerat. Considerat autem Galenus, similitudi-  
nem hanc in tribus, in genere, sexu, & effigie. Praeter haec ve-  
ro considerari potest, in temperatura, in colore, in animi moribus, in magnitudine cor-  
poris, salubritate quoque & insalubritate, ac deniq; in his aut illis accidentibus. Ho-  
mo sane homini toto genere est similis, equus equo, & canis cani à quo generatur:  
ob specificam varietatem, facultatis formantis, quae actum edit sui generis. Proue-  
nit autem apud Galenum haec similitudo, potius à materia quā à facultate formate.

in 4 Nam

Nam licet facultas certa, sit necessaria generationi (sine ea enim, fieret mola, aut monstrum) species magis sequitur materia: quoniam natura, eam semper exhibet, generationi preparatam, & opportuno temperamento dispositam ad formam, & formae mores consequendum: non enim omnia, fieri ex omnibus nata sunt, sed singula ex singulis, id est ex materia disposita. Hinc quoniam mater, copiosior est materia ministrat foetui, species magis refert matrem, quam patrem: ut ex oue & hirco, ovis gignitur, pilis duris, & longis consita, contra vero ex capra & ariete, capra fit, pilis mollioribus, haecque proportio retinebitur, si canis & vulpes, vel asinus & equa coeant: semper enim quod gignitur, secundum speciem magis attingit matri quam patri. Similitudo in effigie (quae nihil aliud est, quam alienae formae expressio in altero) ex partium corporis, simili conformatione pendet: haec autem, ex virtute conformante, a generante decisa, & derivata in foetum: quae more agentium naturalium, sibi simile procreare curat. Quoniam autem utrique parentum similis redditur partus, & quandoque patrem, interdum matrem refert, ab utroque vim procreantem, & conformantem, quae communi aliquo principio insit, duci est necessarium. Principia porro duo sunt, menstruum & semen: menstruum commune non est, sed feminae proprium: ergo commune principium mari & feminae, in quo procreans facultas, ab utroque derivatur, semen est. Sed objicit Galenus, libro. 2. de semine, quod cum patris semen, sit semper validius, atque fecundius, semine materno: foetus nunquam similis erit matri, sed patri. Cui respondet, quod maternum semen, interdum praepollet, propterea quod novem mensium spatio, vim plurimam sumit ex menstruo. Nam ut neque semen facultas tantum est, sed materia etiam quaedam, ita neque menstruum (inquit) materia solummodo, sed etiam facultas est. Quae sane Galeni solutio apprimè falsa videtur. Primo, quoniam in menstruo, vim formatricem reperiri, vix est credibile, nec enim est animatum, nec ultimae nutritionis actionem perpeffum, ut semen. Nec est a quo, eam vim menstruum acceperit, oportet enim, a parte aliqua eam desumpsisse, quae esset destinata a natura, ad hanc vim & formam inducendam: quomodo dicimus, testes natos & factos esse, ut semen conficiant. Menstruum insuper, aut est purum excrementum, aut alimentum, quorum utrumque, solam vim habet patiendi. Quod si vim agendi habet, quomodo auget eam solam, quae in muliebri semine est, siquidem exacta seminis utriusque permixtio, in utero facta est, ita ut unum sine altero afficere, sit impossibile: quin immo virile semine, magis iuuabit, quam femineum, ad id enim enutriendum, validius trahitur, & maiori copia, quoniam calidius est: quod si utrumque demus, vim scilicet formantem habere, & femineum semen iuuare, non autem virile: iam fateri cogentur, omnes foetus, similes matribus, esse necessario creandos, ob copiam menstrui, & moram in utero. Accedit quod semen feminae, non oportet esse inualidius, quod supponit ceu notum, sed quandoque vincit, fiuntque foetus similes matri, interdum vincitur & fiunt similes patri, nonnunquam feminei pars altera vincit, & altera vincitur a masculo, redditurque foetus, facie si fors tulerit similis patri, & cruribus

bus matri. Sexu praeterea patrem & reliqua effigie matrem emulatur, non enim vi deo, cur genitalium partium effigies, non pendeat ex eodem principio, ex quo pendent reliquae partes: ita quod vincente, iuxta eam partem, semine viri, generetur masculus, & feminae semine superante, fiat femina: vix enim ulla ratio capit, quod semen, & formans quae in ipso est facultas, nasum, & aures, similes parentibus a quo profuxit, curet effingere, pudenda autem omittat: sed in parte potius seminis, ex qua viri genitalia creantur, vincit formans facultas, ex masculo deducta, quam masculositatem non inepte dixeris, & a femineitate, vincitur & obruitur, cum femina creatur. Harum sane facultatum diuersarum, instrumenta sunt etiam diuersa, calor enim, siccitas, & spirituum copia, instrumentum masculositatis est, eorum enim adiumento foras erumpunt virilia, sicut eorum defectu, muliebria intus delitescunt: praesertim si non aliter quam positione, differrent in masculis & feminis pudenda, ut apud Galenum scriptum legitur. Formas ergo facultas, omnium similitudinum est autor, sine ea enim nec homo formaretur, nec perfectum aliquod animal, ex materia quantumvis preparata: non tamen ad formandum hominem, aut leonem, ex muliere & leona, validissimum formantis facultatis robur, expetiuit natura: quantumvis enim inualida sit, formans facultas, raro fiet ex homine, nisi homo: quoniam commune, particularia consequitur omnia: ob idque materiam potius, quam facultatem, similitudinum in genere, causam fore statuit Galenus. Maius autem robur formantis, requiritur, ubi non modo genus, sed similis etiam effigies, est referenda. Maximum vero, ubi non modo effigies exprimitur, sed etiam sexus, praesertim ubi masculus est creandus: nam femina, masculositatis imbecillitate sola, forte proveniet. Roboris autem mensura, & latitudo dicta, in hac aut illa similitudine exprimenda, adeo est necessaria, ut sine ea nunquam fiat, sed in aliud dissimile solvatur motus, autore Arist. 4. de generatione animalium, cap. 4. Si enim roboris mensura, necessaria generando mari deficiat, femina fiet. Et cum minus valet formans facultas, quam ut effigiem patris, aut matris efformet: in aui, aut proavi, formam soluitur motus, nam & parentes ex illis ducti, vim quandam ab ipsis acceperunt, quae in semine servatur. Patruo vero similes redduntur interdum, licet patruus nihil in ipsos deriuat, quoniam patruus aliquem ex aui & proavis referebat. Risu quoque, voce, & gestu, parentes aut consanguineos, interdum referunt filij, ob persimilem organorum structuram, a qua persimiles operationes fiunt, necessarium est: barba etiam & canis, quibus carebant quando gignebantur, nam ex certa temperie, quae aetatis decursu accedit, depedentiam habent. Ad quam etiam refertur longevitas, aut vitae breuitas, quae saepe transeunt ad posteros: quasdam enim familias, videbis viuaces, & alias brevis vitae: sic etiam biliosus biliosus gignit, procax, procacem & continens, continentem: haec enim, & similes corpore affectiones, nativa sequuntur temperamenta, & in semine transeunt ad posteros. Morbose etiam intemperies factae, haereditarie sunt, non autem sientes, quoniam istae, pugnant cum nativo temperamento, illae autem, in habitum abierunt, & conaturales iam sunt. Sic



Microcephali qui manu formari ceperunt, Macrocephalos gignunt libro de aere & aqua, sic etiam podagrici, nephritici, & tabidi, sibi similes creant. Mirum etiam est, & ex eadem causa ortum, quod interdum videmus, & Aristoteles refert contigisse, in Helide, quae cum Aethiopo concubuerat, & peperit filium, non forma Aethiopsis, sed natus ex filio erat aethiops. Simile est, quod nepos podagrici, laborat interdum podagra, qua filius nunquam fuit correptus. Si vero omnis haec vis exoluatur, nullam consanguineorum effigiem referet, sed in humanam effigiem, generationis motus soluetur, nam homo etiam erat, uterque parens, qui si minus valuit quam ut effigiem, vel suam vel aeorum exprimeret, at certe eatenus valet, ut hominem exprimat: exigua enim ad id facultate est opus, ut diximus. Quod si forte aut materiae impedimento, aut ipsius met facultatis maiori defectu, a communi & naturali hominum effigie variet, monstrum id est: in quo omnes iam naturae motus solvuntur, siue diuersorum animalium speciem gerat, siue forma prodeat multi membri, aut pauci membri. Refert enim Aristoteles. 4. libro de generatione animalium, cap. 3. puerum ortum capite arietis, & vitulum capite pueri, & ouem capite bouis. Plinius quoque, autor est. 7. libro naturalis historiae, cap. 3. Alcippem mulierem, elephantem peperisse, & inter initia marsici belli, ancillam quandam serpentem enixam: quosdam etiam caninis capitibus nasci, qui pro voce latratum edant, & unguibus armatos, venatu & aucupio vescantur: quosdamque sine cervicibus, oculos in humeris habentes: sicut arismaspos, monoculos nasci tradit. Puerum quoque bicipitem, & alium ex vno capite bicorporeum, se vidisse testantur multi, in quibus omnibus, seminis motus omnis, & naturae in pangendo foetu, robur soluitur, & impeditur, quo minus formam humanam exprimat, non oblesam. Cum enim diuersae vires sint, gignens & formans, cum huius imbecillitate, stare potest gignentis robur, quod in foetu bicorporeo, aut sexto digito contingit, in quo vis forte procreans valida fuit, non secus ac in ordeo, quod in tres aut plures propagatur spicas. Sed cur si in ordeo, plures spicas crearet, utraque facultas, tam procreans, quam formans, valida est: non ita erit in digito addito, non enim diuerso modo ac planta, ab anima vegetante, dispensatur homo? Dicendum quod formans dum valet, omnia quae attinent perfectioni eius quod formatur, debet perficere: ordei autem perfectioni attinet, plures spicas, easque magnas ferre, ut ingens inde fiat ordei proventus: sicut perfectioni hominis, hominem ex pluribus partibus, a fabre conexis creare, a quibus, si quidpiam detrahas, aut addas, imperfectum, & inter formatum reddes. Sed cur naturae motus ita solvatur, ut a parentibus in auro, degeneret nonnunquam similitudo, & ab auro in extraneos, & in tantum quandoque, ut fiat monstrum, dubium est. Cui nos respondemus, Primo, id fieri ex imbecillitate formatricis, quae nequit materiam subigere atque tractare ut oportet, quare tum generatur dissimile, & quod non oportet. Sed quomodo, si non valuit, parentum qui proximi sunt, formam cudere, valebit aui, aut ab aui, remotam & obsoletam, quae tandem, neglecta iacuit exprinnere? Dicendum, quod quauis effigies paterna, sit con-

iun-

iunctissima, imbecillior interdum est, vis quae eam debet effingere, quae ut possit euincere, soluiturque motus in proximam, quae minori formatricis robore indiget: quoniam cum homo sit creandus, alicui ex hominibus, similis euadat est necessum, & si non valuit, figuram parentum effingere, alijs similibitur hominibus: inter alios autem, facilius est motum degenerare, in auros, & proauros, quorum etiam vis, in semine quadantenus seruatur: nam ut species rei, post multos annos visae, fereque antiquitate iam oblitteratae, nostram interdum mouet phantasiam, nihil tale efficientibus speciebus recentibus, quas ea ipsa die, ex rebus, quae sub obtutum cecidere formauimus: ita similiter credemus, quod motu, qui est ad imaginem patris non succedente, in auum cuius etiam aliqua inerat similitudo, degeneratio fiat: & hac euanescente, in extraneum. Vnde videmus famalias quasdam, quae per multas successiones, naso sunt simo aut adunco, ore lato aut angusto, corpore procero aut breui: quae tandem oblitterantur, & in extraneorum similitudinem degenerant. Fit secundo ea degeneratio ob rebellionem & contumaciam materiae, ex qua, & in qua, foetus creatur: siue enim semen sit generando parum aptum, maiori aut minori quam decet quantitate: siue uterus sit contortus, ita ut declinatione & obliquitate sui, inaequaliter semen in eo effundatur, monstra creantur, ut scribitur libro finitionum medicarum: perinde enim fit, atque cum ex liquato plumbo inaequaliter affuso, inaequale atque deformem conflatur opus. Tertio, ex ijs quae facultatem quae nos format, a suo fine distrahunt: & ex ijs quae materiam immutat. Materiam sane immutat, alimenta ex quibus nutritur, et oblesum infantem reddere possunt, multitudine, paucitate, aut prauitate: motus quoque externi, & arcta matris cingula (quibus praemitur infans, contorquetur, dilaniatur, & in prauam figuram vertitur) & alia huiusmodi, sunt ex ijs quae foetus materiam immutant. Formatricem vero facultatem, distrahit a suo fine, imaginatio valida atque intenta: cuius tanta est potestas, ut conceptum semen tenerum & facile passibile immutet, distracta scilicet formante facultate ab imaginatione, quae in aliud diuertit: vnde Plinius lib. 7. naturalis historiae, cap. i. sic scribit. *Hausta imago sub ipso conceptu, similitudinum reputatio est. Cogitatio enim utriuslibet parentis animo subito transuolans, effingere similitudinem existimatur. Hinc alios auis similes, alios patribus enasci videmus: nonnunquam ex albis parentibus, in Aethiopem partum ipsum degenerare. Suntque plures in homine, quam ceteris omnibus animalibus differentiae, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas, multiformes notas imprimit: cum cunctis animalibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque, in suo cuiusque genere. Huc attinet, historia a Galeno recitata, libro de theriaca ad pisonem, capite 14. quod cum deformis quidam, opibus potens, formosum velet procreare filium, depinxit in lato ligno, elegantem alium puellum, dicebatque mulieri, inter coeundum ut illam picturae figuram inspiceret: haec autem, defixis oculis intuens, & ut ita dicam totam illuc mentem aduertens, infantem non quidem patri, sed picto similem peperit. Sic Albertus & Auicenna, nono libro de animalibus referunt, pullum prodysse, ceruice*

ceruice accipitris, eo quod inter concipiendum, valde timuit gallina, viso accipitre. Hinc filij adulterini, ex imaginatione viri, redduntur falsis parentibus similiores, Plinio autore, lib. 7. cap. 12. vnde in adagium cecit, quod filius ex adultera, excusat matrem à culpa. Aristoteles etiam. 10. libro problematum, problemate. 12. dum reddit rationem cur minus filij hominum quam belluarum, parentibus suis similes reddantur, in hominum imaginationem refert. Hinc Iacob decepit Labā socerum suum, ponens baculos decorticatos, vbi pecudes bibebant: quos cum coeuntes spectarent, procreabant agnos non parentibus, sed ligno quod præ oculis habebat persimiles. Hinc referunt autores, quod si mulieri quæ recens cocepit, in sinum effundatur, vinū, aut cerasum, aut fragum, & animo id grauius ferens, vehementer apprehendat, ibidē in fanti nota inuretur: & quod si grauida eo cuius flagrat desiderio minime potiat, in fans illius signum geret: & quod pauo, dum ouis suis incubat, si linteis albis circumtegatur, albos omnino pullos, nō gemantis coloris edet: & quod gallina colore varios emittet, si varie picta oua foueat: & mulierem albam, prolem nigram genuisse, hinc duntaxat, quod fixis oculis, intentoq; animo, diu Aethiopsis imaginem comprehendisset. Hinc detegitur error doctissimi Fernelij. 7. lib. physiologiae, cap. 12. vbi vniuersam causam, similitudinis aut dissimilitudinis, refert in imaginationem: nam vis formæ effectrix (apud eum) cogitatione ducitur, & ab ea sola regitur. Sed fallitur aperte, quoniam cogitatrix non format: sed formatricem immutat, vt ab effigie formanda, diuertat in eam quam cogitatione apprehendit: formans ergo facultas nisi impediatur, formam aliquam habet, in quam suo sponte tendat: quam autem aliam habeat, præter parentum effigiem, non video: hac vero dissoluta, aut propter imbecillitatem ipsius facultatis formatæ, aut propter materiam quæ formatur indispositionē, aut propter ea quæ immutant materiam, aut propter ea quæ immutant facultatem: in effigiem extraneam, & quandoque in monstruosam degenerat. Adde quod ex imaginatione, auos & proauos nunquam referrent infantes: nam quis vnquam auorum in concubitu recordatur? Hinc plantarum procreatarum, ad plantas procreantes, certissima similitudo obseruatur: sola enim terræ, aut pabuli ineptitudine, potest obliterari. Minus certa brutorū, quoniā duorū seminū efficientia procreatur, quorū vtrūque, alterum obscurat, dum suam figuram, cudere studet: in quibus etiā imaginatio rerum presentium, ad diuersum colorem, & figuram diuertit. Hominis vero ad parentes similitudo, incertissima est, quoniam dictis causis incertitudinis, addit imaginationis transcursum, & cogitationem vtriusque parentis subito transuolantē, etiā ad ea quæ absentia sunt: nihil enim tam remotum est, cuius interdū spectrū, phantasia non reuoluamus. Ea tamē quæ præsens in concubitu intuemur, & phantasia valide apprehendimus, adeo vim formantē immutat, vt nihil magis quam ipsorū similitudinem ea vis cudat (siue homo sit siue monstrum, id in quod imaginatio figitur) cuius mirandum exemplum, præter ea quæ nos diximus, & autores memorant, subdemus in partu quodam diabolica effigie edito in Indiæ occidentalis oppido sancti Laurentij

tij, cuius testimonium multis & fide dignis testibus comprobatum (à Tulancinco, cuius pagus atq; districtus est, duabus leucis distans) ad excellentissimum dominum Illesonsum Perez de Guzman, Ducem de Medina Sydonia fuit allatum, simul cum formidanda pictura. Hic vt est publicæ vtilitatis amator, & omnis virtutis sititor, me vocat, literas donat, vt id exemplum in publicam vtilitatē vertam, omnes que monstruosæ huiusce partitionis conscios faciam. Natum est monstrum hoc mortuum, vi enixus post semihorā interēpta matre, sexto diē Aprilis, anni proximi millesimi, quingentesimi, septuagesimi tertij: lōgitudine triū dodrantium, facie vero decē & sex digitos longā. Ore constabat rotundo, & hiante, lingua hircina, naso resimo, sursum reuerso, & nulla formatum cartilagine: oculis cauis, prorsus albis, sine pupilla, & palpebris. Fronte extra in modum galleæ antè cristatæ protuberante. Ad frontis latera, duo inerant cornua, hircinis erumpentibus valde similia. Aures parua, ijs quas scyurus habet valde similes: Ab occipite cutis supra caput protuberans, diadematis effigiem representabat. Capillorum merges, decem digitos lōgus, è medio erumpibat capite, collo breui, breuibus etiā brachijs insigniebatur. Digni dextræ manus breues, & indistincti erāt. Sinistra vero manus, affabre fuit formata, in eaq; sonaliū carneum, valde simile, ijs quæ ex ligno, & æreis laminis sonantibus, parari solent in fuit: laminae enim carneæ, in interseptis quibusdam, & carneis diuisuris; hinc inde mouebantur, vt nihil à nostro sonalio discriminis interesse iudicares. Imus venter quadrimi pueri ventrem æquabat: vmbilicus in ipso duobus digitis extra prominebat. Cingulo carneo duplici, quasi duplicato intestino, præcinctus erat, ita vt cingulū à cingulo, & cingulus vterque, à corpore essent distracti. E cinguli parte dextra, pendeat crumena pyramidalis, ijs quas in cingulis collocare solemus valde similis. Penem habuit exiguum, scrotum vero magni aurantij amplitudini æquale. Crura erāt breuia, albis ocreis ex ipsa carne, à crure tamen diuisis contecta. Dextri quidē ocrea, supra genu explicata: sinistra vero, infra ad maleolū reuersa, & rugata erat, quæ facilem tū reuersum, tum explicationē admittebat. Dextrum etiam crus, ligatū erat, simplici compedi carneo, posteriori parte vtrinq; perforato, vt duo illa foramina carneā sera penetrans, instrumenti ferrei, quo pedes irretiri solent, phantasia exhiberet. Totaq; monstri effigies, diabolica specie, demonis cuiuspiam tripudiantis constabat. Maximam enim indorum, cum prauis demonibus consuetudinem, & horrenda ipsorum visa, certissime narrat historia: quibus animo vehementer conceptis persimilia monstra, si vtero formentur & in lucem edantur mirum non est.

De multiplici prole ex vno partu, & de superfætatione.

CAP. XVIII.

Eadem



Adem est plurium foetuum, atque vnus formandi ratio: In caeteris ab homine animantibus, cane, sue, fele & huiusmodi alijs tam frequens, vt aut raro, aut nunquam vnum pariat, sed duos, tres & plures: In homine vero, vnus partus frequentissimus est, geminorum rarus, naturalis tamen: trium, aut plurium, vel impossibilis, vel monstrosus, & à natura lege exorbitans. Tot

nim vnumquodq; animal, ex natura concipere, & parere potest, quot in vtero habet sinus, & loculamenta: quibus etiam totidem māmā respoudeāt par est. Mulieri sane, duae dūtātaxat māmā datae sunt à natura, duoq; in vtero sinus, vnus dexter, alter sinister: quos facit, & separat, tenuis quaedam sutura, in intima vteri fundi facie extuberans, ei prorsus similis, quae in masculis scrotū diuidit. Semen ergo tam viri, quā mulieris, si vtrumq; sinum subeat, vtrobiq; membranam induit, vitamq; gemini accipiunt, non secus ac foetus vnus. Quod vero quidam referunt tergeminos, & septemgeminos, concipi & edi posse, praeternaturale est, rarum, & forte impossibile. Quod vero in vtero muliebri, plurima loculamenta statuāt, anatomis imperitia fecit. Quod vero ad vtrumque, suum semen deferatur, vt gemini inde procreentur, pendet primo, ex seminis ipsius multitudine, quae vtrumque sinum complet. Secundo, ex eiaculatione seminis, non simplici, sed duplici, aut triplici, non enim vir vniuersum semen, vnica eiaculatione semper eructat: sed fit interdum, vt prima eiaculatio in dextrum, secunda vero, aut tertia, in laeuum fiat sinum. Tertio, ex ipsius vteri motu, atque deglutitione non simplici, sed multiplici ad apprehendendum semen. Accidunt enim aliquando (inquit Auicenna) matrici apud attractionem, motus sequentes, sicut illi qui deglutit bucellam, post bucellam, & sicut respirat piscis, emittendo respirationem, post respirationem. Quarto, ex cauā distrabente, & separante semen, in duas, aut plures partes, quod posset facere flatus semini permistus: & hac ratione, possent concipi multi foetus praeter naturā, & à causa praeter naturali: nam & Auicenna, à fide digno audiuit 9. lib. de animalibus, quod quaedā mulier, abortiuit septuaginta figuratos, vno aborsu. Et Albertus magnus dixit, se habuisse à fideli medico, quod quaedam mulier in Germania, abortiuit centum quinquaginta figuratos, in quantitate digiti auricularis, omnes vno panniculo inuolutos. Fit tamen interdum in tam minutas partes seminis diuisio, aut à flatu, aut à causa alia, vt nulla ipsarum formam humanā accipiat, sed in alterius animalculi effigiem degeneret: calor enim natiuus, in vnaquaq; seminis minutissima parte cōsistens, ne pereat, animalculū procreat, in quo cōseruari queat, pro quātitate & qualitate materiae in qua habitat, sic daretur in illustrationibus, ad librū de morbis internis, Hollerij cap. de mola, refert se vidisse mulierē, quae cū nouē mensū spatio vterū gestasset, omnibus quae in legitimo partu euenire solēt, mirifice respōdentibus, tandē nihil aliud praeter animalia quaedā, raris haud absimilia, cū multis purgationibus, cruetis & corruptis in lucē edidit. Ex geminis autē, notat Hippocrates, libro de natura pueri ad finē, alterū maiori,

ex

ex parte marem esse, alterum foeminam, non hominibus modo, sed cuius etiam animantium generi. Nam cū ex vno concubitu diuersaq; eiaculatione prodeant gemelli, non potest frequenter, prima atq; secunda eiaculatio, eiusdem esse roboris: sed prima validior masculum, & secunda foeminam creat: contingit tamen interdum, in sinu ambos validum semen subire, & vterq; mas fit, sicut foemina, si imbecillum vtro bique insit. Vnum tamen mirandum (quod an verum sit inexploratum habeo) notāt alij, quod scilicet gemelli qui vnus sunt sexus, ysdem secundis inuoluti, simplici dumtaxat membrana seiunguntur, & suam quisq; vmbilicum, propriasq; tum venas, tū arterias obtinet: qui vero diuersi sunt sexus, diuersas quoque secundas acceperunt, easq; prorsus diremptas. Haec sane de ijs qui vno concubitu concipiuntur, & simul postea eduntur, audiantur: nam vbi ex diuerso concubitu creantur, non gemelli, sed ea quae superfœtatio appellatur sequitur, in qua non vno tempore, sed dierum interiecto numero, eduntur in lucem foetus. Nos hercle duas iam superfœtasse vidimus, quibus vt concipiendi, sic & pariendi tempus fuit varium: & autores, testatissimis experimentis, id ita euenisse alijs comprobant: inter quos, Nicolaus Florentinus, historiam recenset huiusmodi. Ego noui (inquit) vxorem Zachariae descarparia, quae peperit masculum, & hinc ad tres menses peperit alium masculum, & bene vixerunt ambo. Nec obstat os matricis praegnationis tempore adeo occlusum, vt nec acus cuspidem admittat, ad semen enim prolektādum, quadatenus aperiri nihil obstat: praesertim quod illis quae superfœtatio non valde clauditur, vt libro de superfœtatione docuit Hippocrates, in haec verba. Superfœtant autem haec, quarum vteri os, post primitū conceptum, non clauditur ita valde. Fallitur ergo Valuerde medicus de Amusco, qui in sua anatome (quam ab Andrea Vesalio vniuersam furatus est) superfœtationem ceu impossibilem de medio tollit. Sed iam hic, huius tractatus de hominis procreatione esto finis: Ex quo vtinam aestimemus & intra nos met ipsos reuoluamus, quam tenuis, caduca, & friuola sit (vt Pliniana conuersione vtar, libro septimo naturalis historiae, cap. septimo) animalium omnium superbissimi origo. De quo tamen an perfectione & fortuna, reliqua superet animantia, an ab ipsis superetur, dubium extat, sequenti capite diluendum.

De hominis excellentia atque dignitate, quantumque reliqua superet animantia. CAP. XIX.



Natura sapientissimum artificium, admirandamque doctrinam, in hominis procreatione, atq; partu, qui recte expēderit, summam Dei prouidentiam, diuinumque opificium agnoscet: Epicurumq; & sequaces eius post habebit, qui quo prouidentiam deleant, & omnia fortunae committant, naturam rerum accusant & criminantur, quasi homini fuerit nouerca, reliquis vero animantibus pia mater.



mater. Conquaruntur sane, quod hominem matris dolore, ingentiq; periculo, parturi uerit infirmum, nudum, inermem, vagientem, sortemq; suam, in ipso uitae introitu plorantem. Ante quam nascatur, medicam curam poscit, ne abortiatur: in ipso partu, artis obstetricandi est indigus: editus in lucem, omnis pietas minor est, quam sua requirat infirmitas. In finitis deinceps morbis, & morti exponitur immatura, adeo ut aut rarus, aut nullus sit, qui ultimam senectam, extremumq; marem attingat. Inter eius quoque miseras memorant, quod is solus inter omnia animantia, propriae sepulturae curam gerit. Bruta uero, nulla fere opera concipiuntur, gestantur utero, in lucem eduntur, editaque statim gradiuntur, luxuriant, & tumultuantur, suasq; matres sequuntur, ipsarum uera sugunt, herbisq; uilibus pascuntur, & noxia quaeq; sine doctore uenena refugiunt. Cute dura, pilis, plumis, aut testis teguntur, quod aut caeli iniurias tollerent, aut aduersus incidentia & contudentia, ceu congenita lorica muniantur. Unguibus, cornibus, dentibus, spinis, chelis, rostris, aculeis, infinitisque prope armorum generibus offendunt, & uictoriam, palmamq; de inimicis reportant. Quae uero timida erant futura, aliorumque animantium praeda, ne cum ipsis natura esset auara, agilitate magna insigniuit, ut incommoda quaeque, fuga deuitaret. Morbis quoque paucissimis conflantur utraq; ad aetatis perfectionem salubriter ueniunt, & nisi hominis gula & carniuora ingluuie interirent, ultimam quoque fatorum metam assequerentur. Accedit, quod multis animae necessarijs functionibus hominem superant, lince visu, canis odoratu, elephantibus mira idiomatum intelligentia, lupus appetentia, struthiochamcelus coctione, & alia alijs pro ut sua cuique contigit fortuna.

Friuola tamen haec sunt, ut genus humanum pessudent, ceterisq; animantibus postponant. Est enim homo, diuinum animal, quod intellectualis anima, & corpus tam affabre constitutum componit, in Dei societatem & obsequium creatum, in quem cetera creata ordinantur, non modo corporea ut geneseos primo capite legitur, uerum & incorporei spiritus, angelique custodes, qui hominibus seruandis semper assistunt. Estque ipsi etiam Deo, humana natura tam grata, tamq; expetibilis, ut eam assumpserit ipse in unitatem suppositi, summasq; delicias cum filijs hominum habitare fuit ratus. Sed age singulorum naturas huiusmodi Dei gratia praetermissa aestimemus. Cetera quidem animantia (ut primo libro de Usu partium, apud Galenum legitur) natura magis & instinctu quodam artem aliquam exercere uidentur, quam ratione: Apes uidelicet fingere alueolos, thesauros & labyrinthos formicae, nere & texere araneae, in haec aut illa alimenta ferri, haec aut illa uenena deuitare animantia cetera, cornibus petere vitulus, etiam ante nata cornua, equus calce mollibus ad huc ungulis, aper genis, cum adhuc magnis dentibus caret, minoribus uero dentibus quos habet, & quibus mordere posset, non mordet, quoniam animi facultas, quae exercitis ad genas dentibus est usura, ipsum impellit, ut ea utatur parte, non alia. Sunt enim ipsorum animis, huiusmodi artes, instinctus, aut impetus, natura insiti quibus

guber

gubernantur, & animi quodam motu, impetu ue feruntur: taliaque ipsis, aut arma, aut instrumenta, tributa sunt, qualia ad animi dictum impetum, dictasque artes exequendas idonea fuerunt. Homo uero politicum, & pacificum animans, ratione potius, quam animi impetu gubernandus, nec arte aliqua ingenita opus habuit, nec aliquo armorum genere, quo eiusmodi exequeretur arte: sed rationem habuit imperatricem & inuetricem omnium artium, & quae merito ars ante artes appellatur: & manus cui in obsequium rationis, omnium artium instrumenta, tum bello, tum paci idonea, parare facile potest. Ob idq; merito, organum ante organa manus appellatur: manu enim omnia arma parat, ense, hasta, balistam, sclopetrum, atque bombardam, quibus cominus & eminus uulnerat: lorica, galeam, brachialia & femoralia ferrea, quibus corpus suum munit: domus & alta moenia quibus secure dormit: equum domat, quo utens uelocitatem & feritatem leonum superat, & sedens ex alto, quacumque feram tuto percutit: laqueos & retia neclit, quibus quae in mari, terra, & aere sunt expiscatur, uelut omnium eorum dominus: nauem facit, lyram, forcipem, & alia artium instrumenta: lanam tondit & texit, diuersisque operimentorum & uerimentorum generibus, corpus suum ornat: leges scribit, simulachra & templa dijs erigit, commentarios speculationis componit, nobisque licet modo colloqui cum Platone, Euclide, Hippocrate, Mose, Paulo, Hieronymo, Cicerone, & alijs ueteribus: quoniam quae ipsorum ratio excogitauit, eorundem manus scripsit. Huius etiam beneficio, arma omniumque artium instrumenta, assumimus & deponimus, induimus & exuimus, iuxta rationis dictamen, quod nullatenus liceret facere, si aliquod operimentorum & armorum genus, nobis esset innatum ut brutis: nec enim illud deponere, nec aliud assumere fas esset. Quare praestitit (ut Galenus aduertit) pro corporis nuditate manus, & pro animi inertia, imperitiaque, rationem accepisse.

Durum autem corpus, atque adamantinum, non decuit obtinuisse, quoniam ad sensus & intellectiones esset ineptissimum: nam & inter homines, qui duri admodum atq; densi sunt, rustico sunt intellectu, molles uero carne, esse aptos mente, experimento didicit Aristoteles. Nec uero si aliqua functione, praestet animans homini, statim perfectius homine euadet: non enim melius cum lince factum est, quonia uidenti praestet acumine, aut cum struthiocamelo, quoniam lapides & ferrum coquat & exterat, deest enim ipsis rationis usus, manus atq; lingua, quae hominem illustrant, & diuinum reddunt. Nec inter homines etiam ipsos, rationis usum habentes, statim ac aliquis aliqua praestat functione, reliquis praeferi debet: corpus enim temperatum (ut scribit Galenus, libro de optima nostri corporis constitutione) singulis intemperatis, aliqua in re inferius est, ante omnia tamen potissimum est deligendum: Quod uero plurima indigeat opera, tum ne abortiatur, tum ut educetur, & sanus degat, ex perfectione dependet: quae enim imperfecta sunt, suapte sponte seruatur, caret enim perfectione quam amittat: quanto uero perfectiora sunt, tanto pluri indigent apparatu: quae

11 autem

autem multis indigent, pro salute & custodia, nihil mirum si pluribus morbis, & à multiplicibus causis confluentur. Plura enim sunt in quibus deficere possunt, qui plurimus ad integritatem habent opus. Nec plus admirationis habet, mors immatura, siquidem hæc morbos sequitur. Nuditas ergo, imbecillitas, morbi, atque mors immatura, ad hominis perfectionem attinent, tantum abest ut ab ea quidquam detrahant. Necessè præterea est, ut qui sua natura est mortalis, per omnes ætates sit mortalis, nunquam enim est conditio mortis aliena, ab eo qui aliquando moriturus est, nec immortalitas cum mortalitate coniungi vlla ratione potest: nec si coherere possent, decuit hominem, ante senectutem mori non posse: fieret enim insolentissimus, & humanitate omni careret. Nã fere iura omnia humanitatis, quibus inter nos coheremus, ex metu, & conscientia fragilitatis oriuntur, ut eleganter docet Lactantius firmianus, libro de opificio Dei, cap. 4. quia enim imbecillus est homo, nec per se potest sine homine vivere, ideo sociatus alijs, mansuetus & minime ferox fit. Quod vero de sepultura sua cogitet, sumptuosa sepulchra, mausolea quæ ædificet, quò corpus suum reponat, honestatis & immortalitatis est inditium. Si enim cæsar dum occideretur, cavuit ut honeste caderet, cur non ut honeste reponatur providebit? Qui item surrecturus est, & in carne propria iterum victurus, consulto propriam carnem, quæ rursus est accepturus, templis Deo sacratis custodire curabit. Quo fit ut qui hominem infirmari, & debonestare student autores, proprias voces ignoret, eius enim ingentem nobilitatē, vel ipsa augent ipsorum ludibria. Ridendi quoque sunt ij quibus nulla vitæ ratio placet: nam sunt qui commoditatibus non exiguis, in vnoquoque vitæ genere gaudent, ut duo sequentia è Græco in latinum, per Erasmmum versa, iocantur Epigrammata.

Quod nam iter, humanæ cupias insistere vitæ?

Quoquo te vertas, omnia plena malis.

Litigij causis quæ forum strepit usque molestis.

Perpetua cruciat, sollicitudo domi.

Enecat assiduis rus triste laboribus, undas

Et freta si sulces, mille pericla præmunt.

Viventi peregre, si res tibi suppetit ampla,

Cuncta miser metues, nec bene tutus æges.

Rursum si vacuæ pendebunt æræ crumenæ,

Ut durum ac miserum est, hospitem egere viri.

Coniugium sequeris, quanta hic te cura sequetur?

Desolatus eris, si sine coniuge eris.

Si tollis sobolem, multo educanda labore est.

Non tolles, orbi lumine vita vacat.

Si iuuenis fueris, vaga & inconsulta iuuenta est.

Viribus effæta est cana senecta suis.

Ergo

Ergo quid reliquum est queso, nisi sanus ut optes  
Alterutrum, aut nunquam tristibus è sinibus  
Materni prodijisse uteri, aut ubi protinus illinc  
Exieris, stygias abdiere in latebras.

Quamlibet immo viam vitæ ingrediare licebit

Vndique blanditur plurima commoditas.

Concio si placet atque forum, hinc uberrima famæ

Materia, hinc ingens gloria colligitur.

Hic bene tractandis prudentia callida rebus

Exeritur, rursum vita quieta domi est.

Rura petis, vario illic oblectamine mentem

Naturæ facies pascet, amœna tuam.

Dulcia prædines lucra, suppeditaerit æquor.

Si peregre viuis, resque tibi superest,

Multus honos comitatur: habes nihil, ergo pudoris,

Est minus, ipse tibi conscius vnus eris.

Vxor ducta tibi est, domus optima proinde futura est.

Non ducta est, curis exoneratus æges.

Si tibi dulce patris cognomen, pignora nata

Donant, & quod ames, vnde & ameris erit.

Orbus æges, orbi est sine sollicitudine vita,

Quam patribus sobolis ferre alitura solet.

Ut constant viridi, roburque vigorque iuuentæ:

Commendat pietas sic sua canitiem.

Nil igitur video causæ, cur alterutrum optes,

Aut nasci nunquam, aut interijisse statim.

Quando quidem humanæ, quæ tandem est portio vitæ

Non optanda bonis, atque adamanda suis?

### Ex Cornario.

Non ego fortunam, nec spem, nec denique curo

Fraudes, optatum portum ego contineo.

Nam sum homo, sum pauper, libertatemque reseruo

Diuitiæ nullæ quam violare queant.

Libri de hominis procreatione à conceptu  
usque in partum, finis.

quid naturale, quid ve miraculosum, in conceptione, & partu, domini nostri Iesu Christi interfuerit.



**M** de hominis procreatione, atque partu tractauit: eo fluxit oratio, ut de hominis perfectione, quantumque reliqua superet animata mentio esset. Inter ea autem quae hominem nobilitant & strenuum reddunt, praeter ea quae sibi ex natura insunt, Dei gratia in humanatione filij Dei impartita, principatum tenet. In quacum multa fuerint naturalia, & multa supra naturae vires, philosophi fuerit Christiani inuestigare quid naturale, quid ve miraculosum in conceptione, procreatione, atque partu filij Dei interfuerit: quantumque haec à conceptione & partu naturali distent, quod hic dicere paramus: à prima inchoantes differentia, quod beatissima virgo concepit sine viri semine, & peperit filium perfectissimum, & praefilijs hominum speciosum: conceptio autem atque naturalis partus, sine masculino fieri non potest. Gallinae sane oua suapte sponte gignunt, subuentanea tamen, & imperfecta, pullisque creandis inepta. Faeminae ex se, nullo externo auxilio accedente, niolam & informem carnem concipere possunt, factum autem perfectum minime. Videtur tamen obstare, quod semen faeminae (apud Galenum) non modo praestat materiam generando foetui, sed vim etiam & efficientiam: quare si in faemina adest vtrumque principium, actiuum (inquam) & materiale, videtur etiam posse fieri, ut ex se ipsa generet sine viro. Hanc difficultatem vidit Galenus, secundo libro de Semine, & respondit, quod viragines, quae calidae adeo sunt, ut semen crassum, calidum, & foecundum obtineant, licet concipere possent, nequeunt factum absoluere, & in finem vsque gestationis vteri alere: menstrua enim talibus deficiunt, ex quibus foetus alimoniam capiunt. Frigidiores vero quae semen tenue frigidum, & minime glutinosum habent, quanuis efficientiam praestent aliquam, exigua tamen est, & quae generando foetui minime sufficit. Quae sane mihi semper displicuit solutio. Primo, quoniam si viragines illae concipere possunt, nullumque nec actiuum nec passiuum ipsis deest principium: nihilque deest ad foetus exactum complementum, praeter alimentum nouem mensibus suffecturum: poterit mulier, saltem cum magno sui detrimento, plurimum videlicet emaciata, tot mensibus foetum enutrire. Secundo, quoniam viragines, robore virium & calidi innati praestant reliquis, quare plurimum alimentum conficient pro se, & pro foetu enutriendo. Tertio, nam viragines dictae validissimae sunt, ad tollerandas venae sectiones, & largas sanguinis profusiones ob virium robur, ergo & ad foetum nutriendum sufficient. Quarto, nam ex Galeni oratione infertur, quod viragines promptius concipiant, siquidem ex se se sunt

sunt sufficientes sine adiutorio masculi ad concipiendum, cum tamen nulla ex experimento quotidiano, sint ineptiores ad conceptum, etiam viro nuptae. Quinto, nam viraginem nouimus, quae filios & filias peperit plures, citra damnum aliquem aut sui iacturam, toto enim praegnationis tempore valida erat, colore viuido praedita, & ad actiones solitas prompta, & expedita permansit: tantum abest, ut alimentum defuerit enutriendis conceptibus. Vnde sine menstruis mulierem cocepisse, & peperisse, tradit Hippocrates. 2. libro Epidemiarum, parte. 2. sententia. 16. quod etiam experimento edocti, notarunt Forliuensis, prima primi, & Gaynerus, tractatu de aegritudinibus matricis: cum enim per aetatem non est negatum parere, qualiscumque vteri irrigatio, sufficit ad conceptum. Sexto, nam Galenus putat, admodum frigidam, principium actiuum habere inefficax, & plurimum calidis, deesse sanguinem pro alimento, medios tamen status non percurrit: quis autem vetat, mediam dari temperaturam, quae nec caloris copia, vniuersum sanguinem absummat, nec eiusdem inopia sit inefficax? Vltimo, nam si testes habeat calidos faemina, & quales pro crasso, lento, calido, & foecundo semine generando requiras, reliquo corpore potest frigidior, atque humidior esse, & more aliarum faeminarum menses habere. Haec igitur habens principium actiuum, & passiuum, & sanguinem abundantem (à Galeno requiro) cur suapte sponte concipere & foetum absoluere nequit, nullo accedente masculino? Quid ipse responderet haud scio, nobis vero dictum supra est, & nunc rursus repetere placet, quod huiusmodi mulier, sine masculino non concipiet, ob masculositatis defectum: vterque enim sexus, ad liberorum procreationem, in animantibus perfectis est necessarius, quod scilicet mas, & faemina, in vnum commisceantur. Diuersitati autem animantium diuersa respondet commistio, prout cuiusque natura poscit: quaedam enim ante coeunt iacencia, ut homines: alia inuersa, ut quadrupedia cuncta: quaedam amplexu quodam, ut serpentes inter terrestria, & inter aquatilia sepiae: & pene infiniti sunt modi, quibus congregiuntur, inter quos erinaceorum non est omissendus, erecti namque venerem agunt, quoniam superuenire non possunt propter aculeos, ideoque ocysime coeunt: estque omnibus qui comiscentur, ea communis conditio, ut mas, faeminis membrum imponat, & semen in eius vterum deriuat, ut utroque sexu, atque semine commistis, nascatur proles. Imperfectissima vero animantia, quae putredine prouenere, nullum sexum, nec masculum, nec faemineum requirunt, sed solum innati caloris vim, quae constare faciat, segregata per putredinem, ut quarto libro Meteororum, & 3. libro de generatione animalium, loquens de animalibus, quae sponte oriuntur, Aristoteles est autor. Haec autem quae putredine prouenere, si pariunt, non sine semine & commistione parient: mures enim ex putredine genitos commisceri & parere videmus, quanuis secus visum fuerit Aristoteli. Media quoque animantia, quae ortis sponte sunt perfectiora, & maxime perfectis comparata, imperfectiora, licet non commisceantur, nec duorum congressus sit necessarius, ambo tamen sexus, concurrant oportet, nam Aristoteles in plantarum seminibus



Utramque vim permixtam statuit, & masculam & foemineam. Quod etiam in apu genere statuere oportet, de eis enim sacra, sic canit ecclesia, O vere beata & venerabilis apis, cuius nec sextu masculi violant, foetus non cessant, nec filij destruunt castitatem. In conceptione ergo domini nostri Iesu Christi, Maria virgo praestitit materia, & sexum foemineum: pater vero omnipotens, spiritus sancti operatione, masculositatem (alioqui ex natura necessariam) suppleuit: & ideo virgo concepit, & peperit, filium suum atque Dei.

An vero Maria virgo, eandem specie materiam praebuerit, ad generationem Christi, quam aliae praestant mulieres, ad generationem proles dubium est. Cui respondendum est, ex beato Thoma. 3. parte, quaest. 31. artic. 5. in responsione, ubi inquit quod ad naturalem modum generationis Christi pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiae, quam aliae foeminae subministrant. Primo, quoniam multiplicatio miraculorum sine necessitate, non est admittenda. Secundo, quoniam nisi ex materia eadem specie, cum illa quam aliae matres subministrant, Christus fuisset ortus, non esset filius naturalis Mariae virginis, sed solius Dei patris, qui ex quavis materia, posset eum producere in utero virginis. Quod vero materia qua reliquae mulieres generationi praestant, sit semen (ut Galenus voluit) & non sanguis, (ut Aristoteles) dictum a nobis lib. de Semine est. Quare quae apud Thomam sequuntur verba, non probamus, postquam enim dixit, quod ad naturalem modum generationis Christi pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiae, quam aliae foeminae subministrant, ad conceptionem proles, haec subdit ad verbum. Hic autem apud Aristotelem, est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quandam ampliolem digestionem, per virtutem generatiuam matris, ut sit materia apta ad conceptum, & ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum. Quae non placent, Primo, quoniam nihil aliud est semen, quam sanguis ulterius coctus, atque elaboratus adeo, ut aptus fiat generationi, quare latenter incidit in id quod vetare studuit. Secundo, nam ex puris sanguinibus Mariae, corpus Christi fuisse formatum, adstruxit ibidem beatus Thomas: sanguis autem coctione ulteriori subactus, a sanguinis puritate tantum recedit, quantum ad substantiam membri coquentis, & assimilantis accedit magis. Nec obstat altera ratio, quam subdit Thomas, in hunc modum. Semen foeminae cum quadam concupiscentia resoluitur, sicut & semen maris: in beatissima autem virgine, nulla fuit concupiscentia, quare nec semen praestitit Christo generando idoneum. Sed debile admodum est argumentum, Primo, nam interdum semen eiaculatur, sine concupiscentia, ut in profluvio seminis fere continuo, & paulatino: quod non modo sine oblectatione, verum etiam sine sensu fit. Secundo, nam sanguinem etiam cum concupiscentia elili, manifestum fecere, salacissimi quidam homines qui adeo veneri operam dedere, ut semine uniuerso prius exhausto, deinceps sanguinem, & animam postremo, magna cum delitia & oblectatione dederint. Quin nec mictioni vrinae sua deest delitia, tanta est illarum partium ad oblectationem

per-

percipiendam insita vis. Tertio, nam in Maria virgine non fuit eiaculatio, aut seminis, aut sanguinis, sed ab spiritu sancto, huius aut illius clā fuit in utero facta collectio, sine libidine, aut oblectatione aliqua, omni virginitate, corporali, & mentali, illaesa seruata: nam qui Euam sine dolore, de costa Aedae secreuit, melius sine voluptate, de virginis corpore, semen secernere, & in utero colligere potuit.

Secunda differentia, huius conceptionis & partus a reliquis, est virginitatis ante partum, in partu, & post partum. Ante partum quidem, tempore scilicet coceptionis, possibile est mulierem non deuirginari, sed conceptum fieri, ex solo obscenarum partium attactu, utriusque semine effuso ad os uteri externum: tunc enim contingit saepe, ex uteri aueritate, trahi intus semē ad cavitatem, & concipi, etiam si penē ad uteri ceruicē non indat masculus. Clausa etiam quae deuirginari nequit, hac ratione concepisse est visa, tantillo scilicet viri semine (in roris, aut forte vaporis formam) attracto, ut autor est Auicenna, vicesima prima tertij, tractatu quarto, capite primo. Quod autem refert Auerrhous, de foemina vicina sua, secundo libro collectionum, capite decimo, quae cocepit attracto semine virili, ex aqua balnei, impossibile esse dico. Primo, quoniam utriusque semina sunt necessaria, quare ipsa non effundente, non fieret conceptio. Secundo, nam semen in aqua effusum, etiam calida, necessario vim genitricem, & spiritum amittit (ex minori enim occasione solet amittere, nam si quis longo admodum sit pudedo, aut si semen non adeo viriliter eiaculetur, sed paulatim magis seminis vis gignendi extinguitur, ob moram ex longo spatio, aut ex motus tarditate contraetā) Multo ergo magis in balneo derelictum eam vim amittet. Quanquam autem sine corporali deuirginatione, fieri ex natura ad dictum modum possit coceptus, fieri tamen nequit, sine concupiscentia, & carnis oblectatione: falsum enim est quod Auerrhous, ex multarum mulierum testimonio affirmat, ipsas concepisse sine oblectatione, & seminis emissionem. Ita enim loco citato scribit: Et postquam legi libros Aristotelis, ego quaesivi a multis mulieribus de hoc, & responderunt, quod plures in praegnatae fuerunt, absque spermatizatione, & etiam si displicuisset ipsis coitus, & etiam vidi plures ex istis impregnatas, quae fuerant a masculis violatae. Id tamen falsum nos esse scimus, testimonijs multarum, quae saepe saepius, huius rei fecerunt periculum. Nec sunt audiendae quaedam, quae castitatem simulantes, perhibent se se, nulla fuisse oblectatione detentas, sed omnia per vim fuisse perpeffas: Primo, nam obscenarum partium confricatio, etiam si inuoluntaria sit, voluptatem mouet: nam si scabiosum inuitum scalpas, non ob id dolore sed voluptate afficies. Secundo, nam uterus ex semine virili, quantumuis per vim & nephas indito, oblectatur: ob conuenientiam obiecti cum sensorio, quae potissima dilitiae causa est. Tertio, nam magna ex parte, quanuis actus violenter incipiat, prosequutio fit voluntaria. Non sunt ergo huiusmodi foeminae audiendae, nec in confessionibus admittendae, sicut enim dulce per vim, in linguam inditum, necessario gustatum dulcem facit, ita obiecta reliquorum sensuum, suis organis insidentia, si voluptuosa fuerint, voluptatem, & si infesta fuerint, dolorem mouebunt. Quanquam ergo sine corporali deuirginatione, fieri ex natura

De concupiscentia mulierum...

in concupiscentia...

possit conceptus, non potest tamen sine concupiscentia, & carnis oblectatione, à quibus mundissima virgo fuit immunis. Vnde angelo nuncianti respondit: Quomodo fiet istud, virum enim non cognosco, & destinaui nullum cum viro habere conjugale commercium. Deipara enim virgo, non modo virginitate corporali, verum intellectuali etiã ac voluntaria. supra omnes virgines insignita: naturæ modum, in concipiendo filium Dei respiciens, alium supra naturam quæsiuit, de quo angelum interrogat. Angelus vero dñi, ad eam respondit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ab æstu scilicet concupiscentiæ, umbra enim opus non est, nisi propter æstum qui esset non protegente umbra. Sacratissima autem virgo consensum præbuit, ijs solam, quæ angelus annuntiabat, scilicet ad spiritus sancti superuentum, obumbrationem, & virginem filij Dei conceptum: ob idq; Deo se tota subiiciens, dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum, quo grandia, virginis conceptus, mihi nuncias miracula.

Dum petulã aliqua, aut virgo, aut clausa, ex immundis cum viro contactibus concepit, & voluntariam virginitatem, castitatisque virtutem corrumpit, partus tempore, corporalis virginitas, velamina, & quod hymenæum appellant, necessario dirumpuntur, lacerantur, & uteri os, & ossa pubis aperiuntur, non sine dolore vehementi partium omnium, quarum soluitur continuitas. Fabulosum enim est, quod Plutarchus refert, matrem Ciceronis, sine dolore eum peperisse: licet leniorẽ dolorẽ fuisse perpeffam, non sit absolum. Nam conceptui exiguum semen, aut roris, aut vaporis forma attractum suffecit: in partu vero corpus grande & solidum pellitur, quare corporalis virginitas, seruata in conceptione, corrumpetur in partu, aut partus non fiet, interempta muliere simul & foetu, præ impotentia pariendi.

Si in partu (vt mox diximus) aut deuirginatur omnes, aut intereunt, quæ à partu superstites manent, virgines esse nulla ratione quibut. Hæc ergo fuit Mariæ virginis dos, hoc priuilegium, vt virgo esset ante partum, in partu, & post partum, virginitate corporali, voluntaria, & mentali. Nã à peccato & originali, & actuali, Dei beneficio domum sibi parantis immunis, ab omni concupiscentia, & carnis deordinatione, fuit libera: quare Deo se tota deuouit & tradidit. Pater autẽ omnipotẽs eam in sponsam accipiens, grande incarnationis, & filij Dei humanationis mysterium, fuit in ea clã operatus, & Deus homo factus est, sanctificatus & beatus. In tempore autẽ partus, sine disruptione, continui solutione, dolore aliquo, labore, oris uteri, & ossium pubis apertione, aut laxamento, peperit filium Dei patris atq; suum: nã qui in ascensione celos penetrauit, & non dirupit, is ipse ex Maria virgine nascebatur, & a sui initio, omnium dotum habuit complementum. Quare post partum mansit, non modo superstes & viua, sed prorsus sana, integra, & inuiolata: nulloq; indiguit externo presidio, nec lecto, nec domu strenue parata, nec ministrante aliquo: Ipsa enim media hyeme, & sibi & filio suffecit, Deum collaudans, filio ministrans, pannis obuoluens, angelis congaudens, pastores euangelizantes audiens, & reges adorantes, ac munera offerentes excipiens, laurea nunc in caelis, supra omnes virgines, ac cœlites insignita.

Aliud

Aliud statuunt theologi discrimen, inter conceptionem dñi nostri Iesu Christi, & nostrã: quod in hac, conceptum semen, paulatim organizatur, spatio scilicet quadraginta dierum, aut paulo ampliori: exactam autem conformationem, sequitur animatio. Dñs vero Iesus, statim ac virgo consensum præstitit, spiritus sancti operatione, fuit conceptus, integre conformatus, & animatus, & qui ab æterno Deus erat, in momento factus est homo, nulla organizatione quadragenaria præmissa. Quod probat sanctus Thomas. 3. parte, quæst. 33. artic. 1. dupliciter, Primo, ex infinitate virtutis actiue patris, quæ ratio tantum concludit de possibili, vt Gaietanus ibi. Secundo, ex persona filij, cuius corpus formabatur, indecens enim foret, humanum corpus accipere, nisi formatum. At cum in actu conceptionis, filius se humiliauerit, nescio quam indecentiam videt, in maiori humiliatione. Et certe minus decens foret, iniuriam, ignominiam & mortem pati, quæ pro nobis passus est. Post mortem item, persona filij, mansit cõforma cadaueris, quæ ignobilior est, anima vegetante embryonis, & concepti seminis. Aliam subobscurius rationem insinuat, quæ (me iudice) maioris est momenti, & quantum potui intelligere est huiusmodi. Conceptio attribuitur filio Dei, per solam naturæ humanæ assumptionem: natura vero humana, sine anima intellectuali constare non potest: hæc vero anima nisi in materia organizata non introducetur, ergo in instanti conceptionis, corpus Christi fuit animatum, & integre conformatum. Maius accedit ex symbolo testimonium, in quo Iesum Christum conceptum esse, affirmat ecclesia, nunquam autem fuit conceptus, nisi in illo primo instanti, ergo in illo fuit animatus, & formatus: & in eo plena veritate dici potuit, Deus est homo, & homo est Deus, & Christus qui conceptus est, & in utero clauditur, vere homo est, & vere est Deus, neque ideo minus homo, quia Deus, neq; ideo minus Deus, quia homo. In illo enim ipso instanti puncto, siue momento, diuinam naturam, cum humana natura, in vnum suppositum, in vnum indiuiduum, in vnã personam, mirabiliter coniunxit & coniunxit, quod sine animatione & integra formatione fieri repugnat. Obijcit autem Thomas, quod ad formationem corporis Christi, requirebatur motus localis, quo semen, aut purissimi sanguines de corpore virginis, ad locum generationi congruum peruenirent: nullus autem motus localis, est instantaneus, ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum. Respondet autẽ, quod formatio corporis Christi, fuit facta in instanti: quæ vero antecedunt formationem, vt cursus ille sanguinis ad uterum, necessario fuit in tempore, ob successionem necessario annexam motui. Sed contra est, quod cursus ille sanguinis ad uterum, non fuit ante consensum virginis, in instanti autem consensus, facta fuit conceptio, ergo cursus sanguinis, non fuit conceptioni præambulus: sed simul in eodem instanti, quo consensum præbuit virgo, materia corpori Christi formando idonea, cucurrit ad uterum, & idem Christus dñs noster fuit conceptus. Nec mirum, quod qui mundum in instanti creauit olim, motu præambulo conceptionem retardante non indiguerit. Hic autem aduertere expedit, quod quauis in hac filij Dei humanatione, atq; incarnatione, pater omnipotens supplens

vicem patris, nulla mora retardante indigeat, Maria virgo quæ actionem matris debuit exhibere, eam ex se, & citra miraculum, nequiret in instanti præstare, nisi is, qui vim patris suppleuit, sua etiam omnipotentia, efficaciam materni seminis, in infinitum auget: nam quæcumque finita virtus, tempore indiget ad actiones, nullaque tam celeris excogitari potest, vt in instanti perficiatur.

Sed dubium est, nam si in illo instanti, corpus Christi fuit formatum, & animatum, quadraginta dies, qui solent tribui organizationi, deberent detrahi, de mora gestationis in vtero: nouem autem mensibus, Mariam virginem vtero gestasse, recepit ecclesia: Ergo in illo instanti, non fuit integre formatum, & animatum, Christi corpus. Dicendum primo ex magistro, quarto libro sententiarum, distinctione tertia, quod integra formatio, fuit in primo instanti, ex corpore admodum pusillo, quod præ paruitate, vix appareret formatum: tempore autem quadraginta sex dierum augebatur, & perficiebatur, ad eam quantitatem quam habuisset, si in illis quadraginta sex diebus, foret corpus illud formandum: & propterea tot dies, in dominici corporis perfectione interuenisse, dixit Augustinus, quarto libro de Trinitate: Ob idque dies illi, non sunt à tempore vteri gestationis detrahendi. Dicendum secundo, quod quauis à primo instanti, quantitatem haberet Iesus, quam reliqui vnus mensis habent, non tamen ob id, eos dies detrahere oporteret, nam decimæ partus, maxime naturales sunt, & mediocrem magnitudinem non excedunt, vt supra docuimus. Ex quo altera iam consurgit dubitatio, nam si decimus mensis, est maxime naturalis: cur dominus Iesus, totius nature parens, non fuit decimo mense natus? Cui nos respondemus, dominum nostrum, non modo natum fuisse mense decimo, sed inter dies à natura statutos naturali partui, natus fuit in die maxime naturali: naturalissimus enim partus, fit nono mense expleto, quare necessario incidit in primos dies mensis decimi, puta in decem dies priores, vt ex Hippocrate supra retulimus. Non est autem credendum, omnes hos decem dies, æque naturales esse, sed inter ipsos, vnus est maxime naturalis, quintus nempe dies, qui cum teneat medium, inter duo extrema naturalia, maxime naturalis sit oportet. Dominus ergo noster Iesus Christus, fuit natus nouem mensibus, & quinque diebus: totidem namque dies intercedunt, à die vicesima quinta Martij, in vicesimam quintam Decembris diem, non expletam, sed affectam: & si numerum dierum spectes, ducentos & septuaginta quinque dies reperies, nouem autem menses, ducentis & septuaginta diebus expleantur.

Nō modo in instāiali cōceptionis momēto, dñs noster fuit cōceptus, cōformatus, & animatus, vt diximus: verū etiā tres tunicæ, amnios, farciminoſa, & chorio, & vena atque arteria vmbilicalis, & quæ ab his nascuntur venæ & arteriæ, cum venis atque arterijs beatissimæ virginis copulatæ, à Deo patre, spiritus sancti operatione sunt productæ: Nam persimilis factus est nobis, & sicut nos per venas atque arterias plures, ab vmbilicalibus enatas, nectimur matri, & nutrimentum ceu per

radices

radices quasdam trahimus, ita & dñs Iesus, per eadem vasa fuit ligatus, cum vasis vteri beatissimæ virginis, à quibus nutrimentum accepit: Et sicut ex nutritione nostra, necessarius excrementorum proventus fuit, & tunicas natura parauit, quibus colligerentur, & asseruarentur in partum: ita dñs noster, hæc excrementa nō fastidiuit, sed sudore intra amnium contento, & vrina in tunica farciminoſa acceruata, eius corpus alluebatur. Quauis autem hisce excrementis præeuntibus, vt reliquæ femine, pro partus facilitate, non indigerit beatissima virgo (erat enim diuinus, & omni humana facilitate, facilius futurus) attamen simul cum fœtu fuere expulsa: non enim est cur credamus, in vtero virginis relicta, aut à Deo in nihilum redacta fuisse. Nec video oportere, partum hunc, fuisse sanguinis prorsus expertem (nisi ecclesia aliter decernat) Corpus enim Iesu, ex puriore sanguine matris, more aliarum enutritū, faculentū, & excrementitiū sanguinē, reliquisse in corpore virginis, qui deberet expurgari est verisimile. Nam cū beatissima virgo, non esset sterilis, quolibet mense à duodecimo anno, more aliarum virginum, menstruassee est credendum: quod si ita erat ante partum, post partum cum vberior purgatio, & sanguinis magis excrementosi, maior copia esset deturbanda, verisimile est, aliquot dies menstruassee. Paulo enim minus necessaria, ac naturalis est fœminis, hæc purgatio, quam mictio, & alui exoneratio: quæ nemo verebitur in beatissima virgine, nec in dño nostro Iesu statuere. Et forte vt suspicatur Gaietanus. 3. parte. quæst. 35. artic. 6. in responsione ad tertium: Angeli in mirabili illo partu ministrantes, clam sunt operati, omnia excrementosa emundantes, absque ablutione alijs in partibus necessaria. Quauis (inquit) à ratione remotum non sit, vt mater ipsa edocta ab angelis, omnia perfecit. Primū autem rationabilius videtur, vt & manus virginis, ab huiusmodi obscuris, seruariantur immunes, & mēs ipsius, ad tāti gaudij fructus, magis vnita esset, & citius omnia expediretur, & Ioseph fidens, tā cito, tā mūde, tā expedite cernens, ventrem euacuatum, & infantem editum: impletum esse experiretur, quia quod in ea natum est, de spiritu sancto est, & cum expedita matre, adoraret natum mundi dominum. Et licet publica miracula, ab infante fieri non debuerint, ne phantasma putaretur illius humanitas: secreta tamen quæ ab hac suspitione aliena sunt, non dederet ipsum effecisse, ad virginis matris obsequia: vt suavis semper sit omnium dispositio, à diuina procedens sapientia. Hactenus Gaietanus. Quæ omnia non aliter affirmamus, quam si ecclesiæ, & dominis Theologis, visa fuerint, religioni nostræ cōsentanea: omnia enim quæ ab ecclesia Romana, & sana doctorum Theologorum sententia deuiarint, nos detestamur. Interim vero clarissime ac excellentissime dux, doctissimorum hominum, qui tibi semper assistunt, censuram optamus. nec sine te nobis fidimus, efficit enim nescio quo modo quædam vt omnes proprijs in rebus fallamur, & in alienis perspicaciores simus. Falli autē in rebus humanis, ac prorsus naturalibus, vt fastidiosum est, & valde molestum: ita in diuinis, de quibus nunc agimus, periculosum, & minime tollerandum.

Ad



## Quid naturale quid vè miraculosum

Ad eudoxum Theologum, qui ab autore quaesivit,  
quid naturale, quid de miraculosum fuerit in Concep-  
tione, qua Anna Virginem ma-  
trem concepit.



**I**NGENII credo mei experiundi gratia doctus Theologus cum sis, à me Medico, & omnis Theologiae experte, Theologā quaestionem sciscitaris. Et forte quod videris nostro tractatui de hominis procreatione, non exiguam gratiā fore allaturā, id facis. Nolē sane doctis chachinū mouere, quod videant me in mensum lapidē volutantem, in solo alieno. Si quid tamen vitij est, tibi potius imitanti, quam mihi obsequenti imputabunt: tu videris & si minus tuis auribus arriserit, & à nostrae sanctissimae fidei, vel tantillum deuiaverit oraculis, la cera, & igne concrema. Sin minus nostro tractui insere, vt fastidio ex tanta rerum naturalium lectione affectis, sit ceu diuerticulum, ali-quod leuamen allaturum.

Quid Mariae conceptio peculiare habuerit, quaeris mi eudoxe, an omnia scilicet fuerint in eius conceptione, ex cōmuni ordine naturae facta, an aliud quidpiā Deus, in matris suae creatione, clam fuerit operatus. praeter naturae legem & morem inuolabilem. Cui dicendum, quod supra naturae ordinem, fuit Ioachini & Annae sterilitas, in fecunditatem mutata, ob preces quas ad dominum frequenter fundebāt: nō fuit tamen Anna sola, hęc miraculo gausa, sed & Sara, & Elyzabeth, quae steriles & senescentes, supra naturae ordinē conceperunt: ex masculi tamen accessu carnali, pudendorum attritu delitioso, & seminum in vtero effusione, quae ab ipsius vteri facultate contentrice concepta, & plantatitij quibus in- gniuntur facultatibus vsa, in embriones fuere mutata, & vltimum apparatus ad animae rationalis superuentum acquisierunt: qua etiam introducta, sensus primo datus, est, deinceps motus, & maximo praeeunte dolore, Maria, Isaac, & Ioannes sunt editi: & secundae ac velamina, quibus tegebantur, & illigabantur vtero, simul cum sanguinis multa copia, mox fuere sequutae, ita vt omnia, quantum ad corpus attinebat conceptuum, & ad actiones, ac passiones, vtero gestantium & parientium, fuerint in ipsis prorsus naturalia.

Quantum vero ad animam, necessarium est vt credamus, Deum matri suae praestitisse, quidquid gratiae conferri potuit, vt immunis & munda esset, à peccati macula: nam in laudem Christi redundat, Mariae priuilegium, sanctitas, & ab omni peccato exemptio & absolutio: vnde Canticorum. 4. dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quo autem tempore hęc gratia fuerit Mariae facta, an ante animam semini concepto, & embrioni ex eo creato, an vero post animationem, dubitant theologorum praeciput, è quibus sanctus Thomas credit, ante animationem, non potuisse mundari, à peccati originalis culpa, id enim nisi per

in conceptione & partu dñi nostri contigerit. 101

per gratiam fieri esset impossibile, inanimatum vero & ratione carens, neq; culpa, neque gratiae est capax: ergo ante animationem mundari nequiuit. Ex quo colligunt, quod post animationem fuit sanctificata: nam si non fuit ante, ergo fuit post, & ex consequenti prius fuit animata quam sanctificata. In illo ergo priori, anima eius, peccati originalis maculam, ex carne infecta contraxit, quae per gratiam illico ipsi factam, fuit mundata.

Sed multipliciter peccant. Primo, nam si semen inanimatum mundetur ab infectione, quae animam esset infectura (quanuis illa infectio non sit culpa, neque eiusmodi emundatio mereatur nomen gratiae) animam ipsam post infundendam nunquam inficiet: quare non aliud quam de nomine gratiae & culpae disceptant. Male praeterea inferunt, quod post animationem fuit mundata, ex eo quod ante animationem, ob incapacitatem culpae, & gratiae, non potuit mundari: in ipso enim instanti animationis, quod primum esse appellant, potuit huiusmodi gratia, animae impertiri, ita vt simul acceperit esse animae, & beatae animae: & ita nullo momento fuit mortua, nec serua diaboli, cuius contrarium & fateri coguntur, & fatentur sponte: nam originale peccatum mortale est aut fere (mortiferum nempe) siquidem punitur aeterna poena damni. Adhuc si statim erat mundanda post primum instans, & Deus est potens, in primo instanti mundissimam creare, cur quaeso non talem creauerit in primo instanti, qualem & potuit, & decuit creasse? Quid peccatricem esse expediebat, quae statim post peccatum accitum, erat à peccato releuanda? Quid est praeterea illud statim post primum instans fuit mundata? siquidem nullum aut instans, aut tempus, sequitur deinceps ad primum illud, nisi ipsum primum annectas tempori: nam si seiungas, tempus aliud interiaceat oportet, quare nullum reperies deinceps positum. Quod si per temporis alicuius spacium, peccato subiacuisset, non putant esse indecens, cur statim illud, tam anxie procurant? parum enim interest, hora ne, an mensis, an annum (forte fortuna) procrastinata fuerit sanctificatio, dum modo constet sanctificatam fuisse. Sed dubium est, si caro Mariae virginis, erat infecta ante animationem, quomodo animam ipsam non infecit in animatione? Cui dicendum, quod caro simul fuit à Deo mundata: inter dispositiones enim necessarias ad suscipiendam animam mundam, carnis munditiam possumus memorare. Ex quo intelligere possumus, quod Maria virgo aliquantulum mortua fuit, quoniam radicem & causam mortis, in carne sua contraxit de facto ante animationem, & eius anima in tali carne infundenda, debitrice erat mortis, per relationem ad illam carnem, in qua debebat infundi. Accedente vero domini gratia, aut beneficio (si ita mauis appellari) quae carnem mundauit, debitum quoque ex anima fuit sublatum, & in illo instantiali puncto, anima munda, carni mundissimae superuenit. Sic loca scripturae, quae huic placito videntur aduersari quibusdam, non obstant. Qualia sunt, omnes in Adam peccauerunt, ad Romanos tertio

## Quid naturale quid ve miraculosum

Et per unū hominē, peccatū transijt in omnes, Et per peccatū mors, ad Roman. 5. Et si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt, secunda ad Corinthios 5. Nam quadantenus mortuam fuisse fatemur eam, quæ maculam contraxit in carne, ex qua necessaria animæ sibi infundendæ impēdebat mors, etiam si mors de factō non fuerit consequuta, propter gratiam et priuilegium sibi à domino indultum.

Neq̄ obstat, quod Maria non erat, ante infusionem animæ, ergo si Christus mortuus fuit pro Maria, Maria fuit mortua post animæ infusionē: nō obstat (inquam) nā sicut Maria erat concepta, ita etiam erat mortua ante animationem: iuxta cōmunem enim modum loquendi, et non per sophismata quæ machinantur loquendum est. Vnde Ecclesi. 1. Spiritu sancto admonita, celebrat diem Conceptionis beatæ virginis, sexto idus Decembris, et Natiuitatem eiusdem, sexto idus Septembris: quod spatium est nouem mensium. Ex quo infero duo, primum quod eo die conceptam fuisse beatā virginem statuit ecclesia, quo nequiuit esse animata, ut ergo potuit appellari concepta, sic potuit appellari mortua. Secundum vero, quod valde errant, qui in festo Conceptionis, non aliud celebrari ab ecclesia statuunt, quam eiusdem sanctificationē post animationem factam: nam ab animatione ad Natiuitatem, non deberēt nouem menses intercedere: quod tamē neminem huc, vsque aduertisse legi. Ob quod beatæ ac ab omni macula immuni, Mariæ virgini dominæ meæ, gratias ago, quod dignata est mihi (doctōri quondam offariensi, qui non semel ex illius academice statuto, iuravi sanctam ac immaculatam, Mariæ virginis Conceptionem, ab omni labe immunem fuisse defendere) gratiam ac summum fauorem, ex illo gratiarum fonte Iesu impertiri, non modo ut defendam ac iuratum præstem, sed ut litem ea ratione dirimam, ut nulus posthac sit futurus, qui offendere amet.

Merito vero dubitauerit quispiam, an sola Mariæ, hoc priuilegium, et gratia hæc, fuerit concessa? Cuius intellectus, ex collatione huius conceptionis cum reliquis, est vestigandus. De Sara constat, quod deuicta per miraculum sterilitate et senio, concepit Isaac, qui gratiā Domini habuit extra uterum, eo quod vir iustus fuit, ambulans in lege domini. Elizabeth vero, Ioannem sub peccati lege concepit, sed ante partum in ipso utero sanctificatus fuit Ioannes, et quidem post animationem. Nam quod Ambrosius super Lucam, dixit de Ioanne, quod non dum ipsi inerat spiritus vitæ, et iam inerat ei spiritus gratiæ, per spiritum vitæ, non intellexit animam, sed respirationem, quam non habent infantes in utero, donec in lucem edantur. Quod vero de Hieremia dicitur, Hieremiæ. 1. prius quam te formarem in utero, noui te: intelligitur de notitia prædestinationis: sanctificasse autem eum dicit, non ante formationem, sed ante quam exiret de ventre. Sola ergo Maria, mater domini Iesu, id priuilegiū obtinuit, ut sine peccati macula semper fuerit. Maius autem fuit filij sui priuilegium, quod de solo spiritu sancto, actione patris, ex purissimo et omni labe experte semine Mariæ, humanam naturam assum-

in conceptione & partu dñi nostri contigerit. 102

assumpsit, in cuius gratiam ipsa prius, sanctam et immaculatam animam acceperat. Vnde de solo Christo, vere et absolute dicitur, quod habuit similitudinem carnis peccati, nam virgo Maria, quanuis peccati maculam, non incurrit de facto, radicem et causam peccati, in propria carne habuit ante animationem, et eius anima, erat per relationem ad eam carnem, mortis æternæ debitor, et nisi sua gratia Deus præueniret peccatum, necessario ipsum incurreret.

## APPENDICIS DE CON- ceptu et partu virginis, ad gloriam Dei, Finis.

Quæ in septem folijs anterioribus continentur, de incarnatione Verbi, catholica sunt, et singulari eruditione scripta: ac proinde dignissima iudicio, quæ in publicam utilitatem excudantur.

Frat. Laurentius à Villauicentio.

Appendix alter, qua verâ methodus docetur, dignoscendi, qualis puer nuper natus, post modum sit futurus, et quanta vis in horoscopo astrologico sita sit.



OST librum de hominis procreatione, scriptum, ante quam alii ordiner, quo fructum aliquem studiosis afferem. Natus fuit nobis illustrissimus quidam infans, quarto nonas Martij, quando festum Lucij celebrat ecclesia, prope horam septimam pomeridianam: ex parentibus domino Francisco de çuñiga y Sotomayor, et domina Maria Andrea Coronel, comitibus de Belalcaçar. Huius autem sacro baptismati, cōpatres interfuerunt, illustrissimus et regia è styrpe natus, Illesonfus Perez de Guzman el bueno, Dux de Medina Sydonia, infantis ipsius patris maternus, et domina Anna de Cordoua Marchiona de Ayamonte, digni sane ut ad cælum laudibus efferatur vterq̄. Qui sane ut sunt ingenio viuacissimo, sic in perquirendis quæ infanti conuenirent fuerunt vigilantissimi. Inter alia vero de horoscopi vi, atq̄ significatione, qualisque fuerit astrorum positio, dum puer hic nasceretur, me interrogant. Sua enim astra exercere in nos regna; et syderum positionem, quando quis aut concipitur, aut nascitur, fatalem quandam monstrare rationem, omnium quæ in vita futura sunt (ut multorum fert opinio) arbitrabantur. Est enim ut multis astrologis placet, in nostra manu situm quid optemus, quid inceptemus: sed ubi incepimus (inquiunt) reliqua sunt fati. Ut integrū fuit laio, quenadmo-

## Puer natus, qualis sit futurus

dum Euripides dicit gignere filiū, at ubi genuit patiēda illi fuerunt, quæ erant ab Apolline prænuntiata. Quibus tamē ego vana prorsus esse, quæ genethliaci promittunt, & vaticinantur respondi: meq̄ iam olim rem hanc tractasse, prælo tamen nunquam cudisse: quod in tantorum magnatum gratiam nūc facio, eo tantum studio, ut quæ dei sola prouidētia fiunt, quæq̄ vel dæmones ipsi nesciūt, ab hominibus deinceps non petantur. A quo vel eo desistant, quod minime expediat scire, quæ ipsi poscunt: Nam aut vera prædicunt astrologi, aut falsa, aut ambigua: Si ambigua, perinde est ac si nihil prædicant: Si falsa, contumelia est deludi mendatio: Si vera, aut leta sunt quæ dicuntur aut tristia: si tristia miser eris ante tempus, & conduplicabitur malum, frequenter enim, metus impendentis mali, est ipso malo grauior: sic caesar male se mortem semel obire, quam toties timere dixit. Si felicia sunt, quæ promittunt, & cruciaberis ea expectando, & futurum gaudij fructum, spes tibi deflorauerit. Sat sit nobis intra naturæ limites consistere, & sapere ad sobrietatem, non plus quam oportet sapere. Genitus fuit hic infans, ex modestissimis ac christianissimis parentibus, qui ratione potius, quam animi motibus, semper feruntur: quare placidum, modestum, omni virtutum genere splendentem, & moribus bene compositum futurum fore credimus. Sic Diogenes aliquando conspicatus adolescentem lasciuū, atq̄ improbis moribus, ebrius te (inquit) proseminauit pater? Conceptus fuit mense Maio, amœnissima totius anni parte, quo omnia vernant & florentia spectantur: In lucem editur mense Martio, quando iam omnis hyemis rigor euanuit, nec dum calor cœpit esse molestus: die ac regione admodum tranquilla, à ventis silenti, non procellosa (quorum obseruatio, eatenus est necessaria, quatenus non corpus modo, sed & animum solent afficere: nam ubi frequentes ventorum, ac turbinum sunt varietates, difficiles atq̄ proteruos homines reperiri, perhibet Plato. 5. de legibus) quæ omnia temperatissimam infanti naturam tribuere sunt nata: quam qui consequitur, animi mores integros, & exactam adipiscitur salubritatem, quod Galenus eo libro docet, cui titulus est, quod animi mores corporis sequantur temperaturas. Partus adeo fuit facilis, infanti ac matri, ut non exiguum felicitatis initium, nascendo dedisse videatur. Non fuit huius partus immaturus, aut productior: sed numerum mensium, hebdomadarum ac dierum, quas Hippocrates expetiuit, in utero impleuit: ducentis enim octuaginta diebus, qui continēt quatuor decadas hebdomadarum, utero fuit gestatus: totidem namq̄ dies intercedunt, à vicesima nona die Maij, qua statim à mensium repurgatione fuit satus, ad quartam Martij expletam, qua fuit natus. Solent sane, ante diem editi, prodire inelaborati, deliri, animo plusquam oportet concitato & volubili, ac ut vergilianus ille sinon, in vtrumq̄ parati, aut versare dolos, aut isdem inuoluer ipsi: serius vero editi, segnes sunt, pigri, inertes, ac ad omnia fere inutiles: Omnium autem excessus, atq̄ intemperatias corrigit natura, diem suum seruans, & in nullo delirans: magnas etenim vires naturæ nomen habere, notauit Alexander Aphrodisiensis, lib. 4. problematū, cap. 40. Sed age natum puerum

## an ex horoscopo astrologico dignosci queat. 103

rum qualis prodierit consideremus, is sane corpore est bene vegeto, ac succulento, cōcine cōposito, colore florido ex albo rubescente, capillo subflauo, facie pulchra, honesta, non os distortum, aut frons tetrica & superciliosa: nō labra deformiter exporrecta & protuberantia, oculi neq̄ caui, neq̄ exerti, sed quod ad lineamētā, ac totius corporis speciem attinet, prorsus est amabilis, ac graciosus. Cuiusmodi constitutionis hominibus tēperamentum æquale, ac symmetron Galenus attribuit: quod omnes facultates, ac functiones, tum naturales, tum animales, inculpatas, inoffensasque soleant habere. Huic sane, si recta accedat educatio, per quam tēperamentum semper seruetur incolume, & mores cōponantur: nihil timenda erit Martis sæuitia, Saturni calliditas, aut Veneris procacitas: iracundiores enim, magisq̄ feruidos, reddit vini largius haustū, quā Mars, & salaciores, magisq̄ libidinosos, vita desidiosa & frugalis, quam Venus. Atque

Ut laus est ceræ, mollis cedensq̄ sequatur

Si doctos digitos, iussa q̄ fingat opus

Et nunc informet martem, castam de Mineruam,

Nunc venerem effingat, nunc veneris puerum:

Sic hominum ingenium flecti, duci q̄ per artes

Haud rigidas, doctā mobilitate solet.

Hæc sane ratio prænoscenti, qualis puer hic illustrissimus sit futurus, quidq̄ ipsi in vita contingere debeat, ex natura, ex temperie natua, & ex ea quæ per assuetudinē, tū corpori, tum animo cōparatur desumpta: certa est & quæ fallit neminē, Christianorū præsertim, quibus in baptisate, præter dictā naturæ vim, diuini recipiuntur afflatus: qui quantū faciunt ad longeuitatē, corporis salubritatē, intellectū & bonam fortunam, abunde sacræ demonstrant scripturæ. Altera vero ratio, quæ ex horoscopo pendet, quæ quidā astrologiam, alioqui sanctissimam contaminat: superstitiosa est, vana, ac inutilis. Quod forte dilucidius sequens caput monstrauerit.

## An ad Medici officium pertineat, astrologiam didicisse, quanti astrorum peritia sit habenda, & an in horoscopo, vis aliqua fatalis sita sit.



Accessu atq̄ recessu solis ad nos, isthæc inferiora variatur generationes, atq̄ corruptiones fiūt. 2. lib. de ortu & interitu, autore Arist. Vnde. 2. lib. Physicæ auscultationis sol & homo generant hominē. A sole, aëris nos ambientis qualitates permutatur, meridie; mane, vespere, plus minus ve calefaciente: sed & alio die plus, minus alio, aut torpere nos frigore, aut urgeri calore, sol in causa est. Luna præterea euidenter creat effectus, ex eius enim motu, maria & fluunt & refluant, atq̄ æstuant quandoq̄: conchilia & animantium cerebra, ac



meditullia replentur, & vacua fiunt. Crisimi dies ex motu lunæ pendent, à quo humores in corpore turbantur, atq; agitari solent. 3. lib. de ceticis diebus, autore Gal. Canis præterea effectus, tã sunt omnibus obuij, vt nullus iã ignoret illud Plinij. 2. lib. cap. 40. in canicule exortu, feruēt maria, fluctuāt in cellis vna, mouētur stagna, canes etiam toto eo spatio, maxime in rabiem aguntur. Quo sane tempore periculosas esse purgationes, scripsit Hip. 4. lib. Aphor. sent. 5. Syderum præterea aliorum ortus & occasus, considerandos pariter & cauendos esse, lib. de aëre, aquis, & locis, docet Hippocrates. Constat namq; ex Aëtio, lib. 3. cap. 174. & ex Plinio, libro. 18. cap. 28. quod astrorum insignium exortus, repente inducit pluuias, & serenitates, ventos certos, & calorem atq; frigus. Insuper quia ob immutationem, quæ ab astris fit, computant medici quatuor tempora in equalia, nō vt astrologi equalia. Nã æquinoctium verum, initium dat veri: exortus pleiadum, æstati: exortus arcturi, autumno: pleiadum occasus, hyemi. Ad hæc in quæ finem essent tot sydera, si nihil in nos operantur? Si sol præterea, & luna in nos agunt, igitur & cætera etiam astra, cum sint eiusdem naturæ, scilicet de natura lucis susceptæ, in parte orbis densiore. Quin & orbes ipsi, nedum astra, adeo in nos agunt, vt mundum hunc inferiorem, superioribus latitudinibus contiguum, dixerit Arist. 1. lib. Meteororum, vt scilicet omnis eius virtus inde gubernetur: Quo fit vt à cælo & stellis gubernantibus, inferiorum omnium effectus, non sine ratione petantur. Nam si status aëris, tranquillitas, tempestasq; si frigus, calor, humiditas, atq; siccitas, à constellationibus pendent: sequens est, vt ab eisdem, & sterilitas agrorum, & vbertas, & terræ motus, & pestilentia, & regionum etiam salubritas pendeant: siquidem hæc ipsa, à quatuor illis qualitatibus primis, ortum ducunt. Homines quoq; ipsi, cum eisdem constent qualitatibus, à cælo pariter moueri, & ab stellis gubernari, ac regi dicendum: vt salua scilicet arbitrij libertate, temperatura quæ ex illis conflatur, varie affecta, ad iram & contumelias (vnde postea bella & lites, & regnorum mutationes) ad mansuetudinē item & pacē (cuius beneficio tranquille degunt vrbes, & regiones) excitetur. Accedunt & præter qualitates primas, quibus cælestia corpora, isthæc inferiora immutat, astrorum atq; syderum occultæ quædã vires, quas inferioribus rebus comunicant: dum enim alicuius rei excellentem, adeoq; singularem dotem videmus, vt minime de elementari cōditione manasse credamus, cæli id munus esse, solemus arbitrari. Plin. autor est, lib. 2. nat. hist. cap. 41. & lib. 18. cap. 25. solstitio brumali, oleæ, populi, atq; salicis folia inuertit: pulegiumq; in carnarijs tectis, diu ante appesum, totumq; iam exuccum, aridumq; factum, nulla alimonie potestate, nullo humore præditum florere, ac si vim syderis herba sentiens repubescat, & exhilaretur. Hæc sane miranda opera sunt, quæ non in patētes elementorum vires, sed in admirabilem quandã, atq; abditã syderum vim, referri vnquã poterunt. Hinc forte inter homines, hunc ad philosophiã colendã, illum ad mercaturã, alium ad arma tractanda, propensum videbis. Et inter hos etiã mirã intueberis diuersitatem, vt hic feliciter, infelicissime illæ, propositum negotiũ

exequatur.

exequatur. Huc quoq; attinet, quod in medendi ratione astrologi aduertunt, quod aut vena secta, aut deiectionum pharmacũ, in grauissima discrimina ægrum agunt, dum aut luna geminos tenet, vel deliquitũ patitur, vel Saturno, aut Marti opponitur, vel cũ sole coit, atq; cōiuncta est: ex manifestis enim qualitatibus, nullũ tale periculum impendere visitur. Huc respexit Hipp. dñ lib. de aëre, aquis, & locis, solstitia, atq; æquinoctia, cauēda esse dixit: nã solstitia, manifesta qualitate noxia esse, existimari quispiã: æquinoctia vero, tēperatissima cũ sint, nulla ratione cauēda duxeris, nisi ob malignã, nocētē, atq; beneficã quandã, quam influunt vim. Nec obstat, quod. 3. lib. de ceticis diebus Galenus, lunã nihil in nos agere docuit, tribus diebus occultationis, quibus lumine orbatur: ex quo videtur, solo lumine, nō autē influentia, aut occulta vi, in nos agere. Nō obstat (inquã) quia aut luna solo agit lumine, aut sine lumine nō influit, quare nihil obstat, quo minus reliqua astra, quibus data est facultas influere possint, aut luna ipsa illustrata (quod sine lumine nequiret facere) influat: In meteorologicis enim Auic. & Albert. de somno & vigilia, lumē vocat vehiculũ, omnium virtutum cælestium. Nec obstat præterea, quod. 1. Epid. com. 1. dixerit Gal. quod si menses, omnibus gentibus ydē essent, per menses & nō per syderũ exortus, tēpora diuisisset Hippocrates: quare videtur, quod solũ tradat exortus syderũ, vt signa quædã accessus, & recessus solis ad nos: & nō ob alterationē aliquã, quã aëri disseminēt. Cui sententiæ fauet musa. 4. Aph. in com. ad. 5. sentent. inquiring, quod canicula propria non auget æstũ, sed est signũ maximi æstus: quia dñ canicula, cũ sole oritur, maxime sol accedit ad nos. Nã si ipsa, propria vi, æstũ auget (inquit musa) oporteret etiã eodē tēpore, æstũ vigere australibus regionibus, quo tñ tēpore hyems viget: Hoc idē sēsit Origenes, in cōmētarijs super genesim, illo loco. Sint luminaria cæli in signa. Vbi significare dicit, sydera nō esse causas: sunt enim (inquit) velut apertus quidã liber, omnia futura in se scripta cōtinens (quod vel ex eo argui potest, quod sydera plerumq; significat, quæ præterierũt, quorum iã causæ nequirent esse) cæterũ liber hic, legi ab humanis ingenijs, nulla vi potest. At vero, etiã si sydera per quæ distribuitur annus, babeant vim immutandi hæc inferiora, si menses tñ omnibus essent cōmunes, satius esset per mēses, quã per syderũ exortus, atq; occasus tēpora distinguere. Primo, quoniã menses essent omnibus magis noti, quã exortus & occasus syderũ. Secundo, quoniã syderũ exortus, atq; occasus, nō semper in idē incidūt tēpus: quotannis enim exigua quædã varietas adest, ratione motus octauæ sedis stellarũ fixarũ. Nã omnes astronomi ante Ptholomeũ opinarũt, octauã sedē stellarũ fixarũ esse immobilē: & ortũ caniculæ, esse ad certũ diē post solstitiũ: nobis vero cũ cōstet moueri ea sydera, cōstat quoq; fieri posse, vt ortus caniculæ, incidat quandoq; in hyemē. A Ptholomeo namq; ad nostra vsq; tēpora, aduertit Fracast. & alij, sydera omnia loca sua, viginti fere gradibus, plus, minus ue reliquisse: Nã vergiliæ à secundo, ad. 3. vsq; tauri gradũ, Ptholomei tēpore sita iacebãt: nostro vero tēpore, ad. 22. & 23. peruenere: Arcturus, fulgētissima bootis stella, à vicesimo septimo virginis gradu, in decimum septimũ libræ gradũ, se cōtulit: Canis præterea, præter eam quæ est in cauda, nullam

aliam habebat in cancro, sed omnes in geminis: hac vero ætate præter unã, quã gerit in vestigio pedis dextri, omnes alias mutavit in cancrũ. Procyon præterea, cũ antea suã sedẽ habuisset in geminis, nunc in cancrum mutatus esse conspicitur: atq; per similitẽ, omnes aliæ fixæ stellæ, luxationẽ sunt perpeßæ, nũc tardius, nunc celerius motæ. Inæqualiter enim hanc stellarũ luxationẽ factam fuisse, mōstrat Fracastorius in suis homocentricis: sicut & earundẽ motum, directũ esse, & non retrogradum, nec trepidatoriũ, sed potius subalternũ motui solis per zodiacum, monstrat: tũ quoniam per tot trãfacta tẽpora, nunquã stellæ retroactæ sunt visæ: tũ etiã quoniam stellarum latitudo, & distantia ab egyptica, nunquã mutatur, sed eadẽ semper persistẽs, declarat motũ stellarũ fixarũ, subalternũ esse motui solis, & mediũ circulũ stellati orbis, æquinoctialẽ ipsam secare in æquinoctijs pũctis, in quibus & sol illã secat. Luce ergo clarius fit, satius esse per menses, anni tẽpora partiri, si omnibus ydẽ essent menses, quã per syderũ exortus, aut occasus: Nec ex hoc vlla sequitur ratiõ, sydera nõ trãmutare isthæc inferiora. Nec multũ valet ratio musæ, qua probat, canẽ vi propria nõ augere æstũ: eo quod cõgrediens cũ sole, in Julio & Augusto, nos vicinos magis calefacit, & illos remotissimos, tunc minus infrigidat: sicq; dum tẽporis lapsu, in hyemẽ se transtulerit canicula, placidior minusq; cruda nobis continget hyems, australibus vero feruentissima aderit æstus. Stellæ igitur, & cælestia corpora, immutant nos, tũ abdita vi, tũ manifesta qua constamus qualitate: sicq; pro immutationis ratiõne, corporis nostri salus, aut in melius, aut in deterius verget. Et ex cõsequenti, ad medici officium, astrorũ exacta peritia pertinet: sic enim de anno qualis sit futurus prænoscit, indeq; & morbos vitabit antequã fiant, & factos recte curabit. Ciuitatũ quoq; varios situs, diuersosq; ad solẽ aspectus, contẽplabitur: & quid quæq; ciuitas, ex eo positu cõmodi, incõmodiq; nasciscatur, aduertet: quid in ea maxime vitandum, & quo in loco salubrius degendũ: quæ sane ad sanitatis obseruationẽ, & morborũ debellationẽ, necessaria sunt, autore Hip. lib. de aere, aquis, & locis. Vnde Gal. lib. 1. morborũ popularium, com. 1. Qui (inquit) astronomiæ imperitus est, hunc celatum nolim, ipsum non obsequi Hippocrati, ad illam ob magnum vsum cohortanti.

Non hæc dixerim, vt velim patrocinari genethliacis, atq; astrologis, qui omnium quæ gerũtur, futuros vaticinãtur euẽtus: nec medicis, qui astrologis tantũ fidunt, vt nec in vrgentissimis morbis, quorũ maxime præcepto occasio est, aut venã tũdant, aut pharmaca indicẽt, si luna deliquitũ patitur, aut cũ sole coit, aut Saturno, aut marti opponitur, aut cũ in Geminis posita est, aut vt Auic. refert. 1. lib. fen. 4. cap. de vëtosis: in principio, aut fine mēsis. Sed tantũ hæc intelligi volumus, vt ab his astrorũ cõcurribus, atq; aspectibus, indicatio aliqua sumatur cessandi à validis remedijs, eo quod, valida tũc fit in corpore cõturbatio, illorum aspectuum ratiõne: quare valida tunc non cõuenient remedia, sicut nec in die accessionis, nec in die critico, aut purgamus, aut sanguinẽ mittimus: nec intẽperatum corpus, aut actũali morbo laborãs, aut negotijs distriëtum, ad temperamentum reducimus: ne natura diuersis simul motioni

bus

bus acta, præter modum irriteretur. Vincitur tamen huiusmodi indicatio, à morbi magnitudine, quæ non dat indutias, procrastinandi remedia: quod sane sensit Hippocrates, libro de aere, aquis, & locis, vbi ita reliquit scriptũ. Maxime autem obseruare oportet, magnas tẽporum mutationes, vt neq; pharmacum quisspiam volẽs det. Non det (inquam) volens, id est nisi necessitate, & contraria indicatione, cogatur. Genethliacis autẽ, tantum abest vt fauere velim, quod nulla hominũ fors, à me magis irrideatur: nã ad astrorũ natalium vires, referunt vitæ periodum, fortunã, salubritatẽ, morbos, pericula, euentus, atq; mores: quorũ plurima à recto potius cõsilio, atq; animi deliberatione manant, alia à victu, atq; corporis temperie. Qui enim iudicio, rectaq; prudentia valent, nihil ante diligentem præparationem, & exactam cõsultationem aggrediuntur: sicq; susceptum negotiũ ad cõmodum finem semper deducunt. Ad hæc ergo referantur fortuna, vitæ pericula, atq; rerũ euentus. Ad victus ratiõnem vero, & corporis tẽperaturam: salubritas, morbi, animi mores, & ad bonũ vel malum propensionẽ referuntur, vt luculentissime docet Gal. lib. cui titulus est, An animi mores corporis tẽperaturas sequantur. Nam age consulat genethliacus principi, ne bellum ineat cum inimicis, quoniã Mars parum ei propitius sit: quero cũ Frãscisco Pico, vtrum quo tẽpore, hoc illi dederit consiliũ, nulla causa bellandi principi sit: aut si causa bellandi, nulla tamen occasio, opportunitasq; vincendi: an potius, & bellandi iusta causa non desit, & ad victoriã omnia suppetant instrumẽta. Si deris primum, iure non bellabit, sola duce prudentia, etiã si fileat omnino mathematicus: si secundũ, bellandum statim est, nõ enim sensum & euidentiã, ob ratiõnẽ atq; cõiecturam relinquere licet. Proponamus simile exẽplũ, in nostri corporis morbis, prædicat astrologus, Martẽ tibi hoc anno, febrem tertianã cõminari: excitaturam nõ pebilem, ex potestate quã in annua habet conuersione: quare vtendũ frigidis potius, & vitæ ratiõnem omnẽ, aduersus ardorẽ Martis instituendã significet. Hoc ipsum quod de celo ipse prænuntiat, aut ipsa signa, quæ à corporis tui dispositionibus sumuntur, indicant, aut non: si indicant, hoc tibi erit satis inditij, ad præcauendam futuram malã valetudinẽ: si non indicant, rogo recte ne factum putes, vt cum nulla erunt inditia bilis exæstuantis, sed lotium albicans & crassum, venarum segnes pulsus, facies plũbacea, membrorũ pigricies, & reliqua quæ pituitam, non bilem excrementẽ significant: tu tamẽ bilem euacues, quoniam Martẽ tibi de celo minantem, finxerit astrologus? potest quidem naturalis tua temperatura, potest vniuersalis ipsius anni dispositio, potest vitæ ratio, qua diu vsus fueris, ad contrariũ eius, quod plãneta minatur, te vertisse. Deniq; causam unã videt astrologus, quæ hoc possit efficere, & illam remotam, ac vniuersalẽ, & non vsq; adeo certam: medicus non modo ex proprijs, & ex propinquis indicat causis, sed rẽ ipsam percipit sensu, & quod ex omniũ simul causarũ cõplexione dissultat, id amplectitur. Hæc sane causa est, quod tã falsa frequẽter prædicat astrologi, nõ modo in abstrusis vitæ periodis, & euentibus, de quibus cũ nihil certo sciri possit, plurima fabulantur, verum & in nubibus, atq;

6 3 plunij;

pluuys quæ & celo magis subijciuntur, & sub obtutum maxime cadunt. Pluuie sæ penumero prædicuntur astrologis, sereni tamē sequuntur dies, quoniā celum causa vniuersalis cum sit, nisi particularis causæ interuentu, agere nequit: si vapores igitur, aut quæuis particularis causa desit, ab vniuersali nō fiet effectus. Tertianæ ac quartanæ prædicuntur febres, integræ sequitur salubritas, quoniā alijs ex causis, nec bilis, nec melancholicus succus accreuit. Plurimæ genituræ. fœlicium, infœlicium, fœlices prædicantur. Partus etiā gemini, qui simul eduntur, fortuna, ingenio, corpore, & salubritate, diuersissimi videntur: quales nouit quosdā, Aug. 5. de ciuit. Dei, cap. 2. quales etiā fuerunt Procles, & Cyresteus, Lacedæmoniorum reges, de quibus Cic. 2. de diuinatione. Esau quoq; & Iacob, lib. geneleos, cap. 25. ex Isaac, & Rebecca, sic alter, post alterū, nati sunt: vt posterior, prioris plantam teneret: quorū vnus, duxit mercenariā seruitutem, alius non seruiuit: vnus fuit matri charissimus, alius nō diligebatur: vnus honorē qui magnus apud eos habebatur amisit, alter adeptus est: in vxoribus quoq; in filijs, & ceteris rebus omnibus, admodum diuersa fuit vtriusq; fortuna. Nec valet ad nigidianam rotā confugere, in qua nō datur, bis eundem locū, atramēto signare. Primo, quia nō possunt ipsi, tam rapidi momēti, assequi differentiam: quare dam efficientiam celi, conantur defendere, propriam incitiam patiunt. Secundo, quoniā cum extra vterum eduntur fœtus, iam propriā sunt adepti naturam, quare nihil interest, simul ne in lucem edantur, an vnus post alium. Tertio, quia si obijciamus natos simul eodem momento, ex diuersis parentibus, sub eodē celi clymate, iam omnis respondendi ansula tollitur: nisi ad verticalem recurrant punctum, qui diuersis parentibus natis diuersus est. Sed ô ridiculum caput, ô delirationem incredibilem, nonne eadem linea, à quolibet celi puncto, ad cētrum terræ producta, potest duos, vel tres, aut plures mulierum vteros pertingere, si nimirū altera superam, altera humiliorem domus partem habitet? & quis vnquam credet, vim cœlitus afflatam, tam arctā, atq; indiuidua descendere via? Qua sane in re, diuum Thomam demiror, qui opusculo de fato, ppter ea esse geminis varia ingenia dicit, quod in locis maternis, non eodem momento, totum semen recipitur: tum etiam centrum cordium amborum geminorū, cum non sit idem, sed varia, varijsq; in locis: esse quoq; orientes varios necessum. Primum, quantula est illa mora partium seminis? quantum illud interstitium cordium? vt ea res totam naturam hominum mutet: Ergo non satis erit, ad mathematicum attulisse, natū esse aliquem Cordubæ, aut Hispali, sed in quo vico, in quo cubiculo, in qua cubuli parte: quæ cum friuola sint, nullius momenti artem suam esse conuincimus. Infortunia præterea, aut bonas fortunas: astris tribuere, vanum esse cōstat: cū hæc (autore Arist. 2. lib. physicæ auscultationis) rerū sint temere, & non eodem modo habētium: quod syderibus ac stellis, minime cōgruit, certa enim lege, & ordine perpetuo tenentur omnes: Et bonos tantū, non malos afflatus, cūctis animalibus immitūt, vt in Epinomide autor est Plato, & Chalcidius eius interpret, absurdū esse putare dixit, cœlestē substātiā, vna, eademq; natura præditā

non

non in omnibus stellis eandem esse, sed plerasq; à propria degenerare natura. Arist. insuper. 9. lib. metaph. textu com. 19. ita scribit. Nō igitur quidquā, in ijs quæ à principio, & quæ perpetua sunt, malū est: neq; error, neq; corruptum: etenim corruptio, de malis est. Et Auerrhous eum locum enarrans, ex hoc (inquit) cognoscitur, impossibile id esse scire, quod astronomi dicunt, stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas. Id autem sciri de ijs potest, quasdā quibusdam esse meliores. Plotinus præterea libro ad id dicato, & diuus Augustinus. 5. lib. de ciuit. Dei, & Iamblicus lib. de mysterijs Aegyptiorū, & Marsilius ficinus, & Picus Mirandula, & Ioānes Franciscus Picus, & Franciscus Valeriola, & Leuinus Lemnius (E quibus, & nos magnam horum partem collegimus) firmissimis rationibus demonstrant, à celo, & astris, malum in hæc inferiora, delabi minime posse.

Celum igitur, vt receptui canamus, alterat nos, tū manifesta, qua constamus qualitate, tū occulta vi, præcipue vero in exortu, atq; occasu insignium astrorum & syderum. Quare medicis, necessaria est astrorū peritia, Primo, vt caueant exortus, atque occasus dictos, simul & temporum mutationes, abstinentes tum temporis, à validis quibusq; remedijs. Secundo, vt prænosens de anno, qualis sit futurus, morbos vitet antequam fiat, & iam factos curet. Tertio, vt noscens ciuitatum varios situs, diuersosq; ad solem aspectus, quo in loco salubrius sit degendum, & quid quoq; in loco sit vitandum instituat. Tam religiose vero, isthæc obseruare, vt medici quidam, qui nec in vrgentissimo morbo, dum dicti astrorū afflatus adsunt, remedia indicant: maxime vitupero: nam celum vnica est, ex causis nos alterantibus, eaque remota, & vniuersalis, quæ nunquam agit, nisi particulares alie intercedant, quibus maxime medicus fidere debet, prioribus atq; vniuersalibus, non neglectis. In horoscopo vero, aut in alio quopiam, præter dñm nostrum Iesum Christum, seruatore nostrū, fata hominum sita esse, aut ab alio esse petenda, impium, vanum, ac superstitiosum iudico. Neq; obstat, quod interdum astrologi, mirabiliter multa vera respondeant: nā necesse est aliquādo collimet, qui frequenter iaculatur: falsa mathematicorum responsa, pauci recordantur, vera celebrantur pro admirabilibus. Adde ex Augustino. 5. de ciuit. Dei, cap. 6. & 2. lib. super Genesim, & 2. de doctr. christiana, hæc prædici ab astrologis, occulto instinctu, & pacto, spirituum nō bonorum: quorum cura est, has falsas, & noxias opiniones, de astrorū fatis, inserere humanis mentibus, atq; firmare: Illeque (inquit) est fortunatior in prædicendo, qui fauentiorem habet demonē, magisque propitium. His accedit, quod pleriq; illorum (vt notat Lemnius) vafricie quadam, atq; vlyssæa calliditate, regiones omnes perlustrant, & studia populi obseruant: tum in quem fauor hominum inclinēt, qui rumores disseminentur, vel in laudem, vel probum cuiusque: quid huic regi cum finitimo controuersie, aut similitatis, quæ sit inter fœderatos conspiratio, inter riuales contentio, inter competitores concertatio: sic illis fere astra minari aiunt, qui opibus minus valent, quique armorū atque amicorum præsidio, sunt destituti. Nunc rex Hispaniæ

sinistri



## Puer natus, qualis sit futurus

sinistri aliquid spectat, nunc francorum rex periclitatur, nunc turca infestissimus ceruicibus nostris imminet: nunc ecclesia calamitates est perpeffura. Quae sane omnia diligens obseruatio reuelat, non autem horoscopi notati, & inspecti aliqua ars, cum nulla sit. Alioqui cur ex tot mundi astrologis, nullus turca, hoc anno praedixit calamitatem naualem, & ingentem gloriam à Christianis reportadam? quoniam scilicet fortuna, opibus, nauium, & militum copia praestabat: quae quanuis syderibus sunt potiora, aut ipsissima sydera sunt: diuina tamen voluntate, atque misericordia, multo inferiora habentur.

*A vate explorat quidam, sibi num liceat nunc*

*Ire Rhodum, tutae si videantur aquae?*

*At vates primum, vacuam conscendito nauim*

*Inquit, & irato credito ne pelago.*

*Hac mea iussa sequens, ibis tuto atque redibis.*

*Immitat se uas ni tibi praedo manus.*

107

I N C L Y T O, A C M A  
G N A N I M O P R I N C I P I D O M I -  
no Illesonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina  
Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Ca-  
çaça, dignissimoque Almadrauarum domi-  
no: Petrus de Peramato medicus, librum  
hunc nuncupat.



**S**CIS ME serenissime princeps, nulla in re lubentius versari, quam in difficultum rerum contemplatione, id quod & semper feci, & nunc prosequor facere: quod in hoc ego argumento, plus de hominibus bene mereri, quam alia ratione confidam. Ne vero nobis desit gloria mundi, & in improbos, ac maleferiatos armatura, te semper elegi, ut qui meus est dominus, sis & patronus. Quod tuam singulari humanitate, & liberalitate fecisti: ut nec illam in media plebe, nec hanc, in magnis regibus, facile reperias. Cum enim me, meaque tibi obtulerim ultro, tu non modo recepisti, sed ingentibus muneribus ornasti, & tibi oblatum, tuumque iam factum, rursus emisti: dum expensas, quibus hi libri cudentur, largius ridimis: & filias meas, in famulatum felicissime Ducis Annae, quae te maritum, & nos cum tot populis, conseruos iam iam spectat, recepisti. Diutius ergo viuite, & felicissime viuite, viuite Deo, viuite & nobis: filiosque quos à Deo optimo maximo, talibus parentibus dignos, vobis deprecamur sequenti ratione educate.

## PRÆFATIO:



**D**VO nos hic vocat, quae artis Medicæ auxiliū implorant: Puer, & puerpera, quorum vtrique, quanuis simul subuenire oporteat, non tamen simul, de vtroque tractare possumus. Antecedat ergo tenerissimi foetus regimen, & ad matrem statim, qua ratione sit tractanda, ne abortiat: procuranda, ut pariat: & regenda, ubi peperit: stylum conuertamus. De vtriusque autem morbis libellum, ad manum habemus, qui (cito in studiosorum gratiam) praelo dabitur.

p Quae

Qua ratione puer recens natus, a partu, vsque in  
ablaetationem sit tractandus. CAP. I.



**R**ecens nato infanti, resecetur umbilicus, quatuor à vëtre digi-  
tis, cū scalpro acuto: Reprobat enim Aëtius, serm. 4. primi tetra-  
bili, cap. 3. aliā materiam omnē, harundinum ac vitrorum, vt ne  
quid atteratur. Deinde contētus in ipso sanguis grumosus expri-  
matur, & spongia detergeatur, ac lana carpta obturetur, & cum

filo, aut alia lana tenuiter retorta ligetur, taliter ne doleat, ex Auic. 3. 1. doct. 1. cap.  
1. ne ve præ laxitate exoluatur, & intereat infans. Et linteum, aut lanæ hapsus,  
ad umbilici figuram formatus, oleo madens desuper ponatur. Deinde duplicatus um-  
bilicus, & lanæ inuolutus, leniter in medio cōponatur. Postquā vero exciderit um-  
bilicus, post tertiam aut quartam diem, cochleæ testā vstam tritā, loco insperge, aut  
talem suillum vstum, aut plumbum vstum, aut panum cæruleum vstum, & oblige.  
Postea moderato sale per se tenuissimo, totum corpus cōspersit Gal. 1. de sanit. tuen.  
quo cutis eius dēsior, solidiorq; ijs, quæ intus sunt partibus reddatur. In vtero enim,  
æque cum reliquis, mollis erat cutis, cum nec durum vllum corpus, inibi contigerit,  
nec aer illi frigidus, vsquā incidit. Iam vero in lucē editus, in frigore, calore, atq;  
inter corpora multo se duriora, versetur necesse est, cuius ratione naturale eius teg-  
men, preparari quodāmodo à nobis, reddiq; ad indolentiam, & tollerātiā, quam ap-  
tissimum, voluit Galenus: idq; facit insperso sale, in natura temperata: quæ si paulo  
humetior sit, puluere foliorum myrti, ceu adstringente, & magis siccante, vti iu-  
bet. Auicenna vero, quo probatissimum reddat sal, ei admiscet semen cānabis, co-  
stum, sumach, sænugræcum, & origanum. Huiusmodi vero aspersione salis, pau-  
lus omisit, & Auerrh. 6. colliget, cap. 6. reprehēdit: Nam eius acrimoniam nostra  
ætas non fert: Et vere ineptias puto, timere linteorum duritiem, cui facillime assue-  
cunt infantes: aut si timenda est, oleo de glādibus pueri cutis est dēsanda, ex Auer-  
rhuo loco citato. Per cutim præterea raram, vitiosi succi transpirant, ex cuius densa-  
tione, & cohibitione, periculum non leue impendet. Quare consultius Aëtius, in de-  
licatioribus, succo pthysanæ & sænigræci, totum corpus emūdat, & aqua tepida, vis-  
cositatē corpori obstitam abluat. Nos vero, vino in quod rubentes rosæ maduerint, la-  
uamus, & tenera corpora confirmamus: quantumuis relictetur Sauanarola, lib. 1.  
de Bālneis, cap. 3. debiles enim ac rudes rationes affert. Nec male fecerit, qui per  
quatuor, vel sex menses, omni die bis post lotionem, & emundationem, infantis cor-  
pus inunxerit, cum oleo sesamino, aut chamaemelino: sic enim raritatē, & perspiratio-  
nem, ipsi conciliabit, & ab epilepsia defendet, vt consulit Nicol. Flor. 3. serm. sum-  
ma. cap. 13. Sordes quoque naribus insite, digitis sunt exprimendæ: os, atque au-  
rium meatus purgandi, palpebræ diducendæ, oculi sunt detergendi, & oleum ipsis in-  
stillare, pariter atque Auicenna, iubet Aëtius: nostrum autem oleum, oculos non  
leuiter

leuiter offendit, forte quoniam salis expers non est, quare oleo de ouorum vitellis,  
vtendū esse censeo. Podicis præterea orificiū, digito minimo, per circuitum eius est  
mouendum, & aperiendum: confestim enim excernit per sedem; subnigra quædam  
iocinoris cremēta. Et tūc infans (vt mos est) mollibus linteis, ac fascijs inuoluatur.  
Duplici, aut triplici cédalo, pilei loco, veletur caput. Iam vero hoc tempore, nutritio  
ni infantis est attendendum: In quo opere Galenus, nihil præter maternum lac adhi-  
bet. Paulus libro primo, capite quinto, Aëtius & Auicenna, melle optime desuma-  
to, primum nutriunt, deinde aquam mulsam instillat Aëtius. Mel enim, recrementa  
in ventriculo, & intestinis (si quæ sunt) deterget, & ad lactis exhibitionē parat. No-  
stro tempore, mel ex conseruatione nucum, non inutiliter præbēt. Mel vero rosacēū  
colatū valde vtile est. Sunt qui iulebū, ex decocto cinamomi, & melle tribuāt, male  
me iudice: Nam cinamomū, faciet cremēta per Venas meare, tunc vero emundatio  
nem per intestina quærimus. Nicolaus vero Florentinus, sermone <sup>quinto</sup> ~~tertio~~, summa <sup>quinta</sup> ~~ter-~~  
tia, capite decimo tertio, expertissimum refert remedium, cuius ipse periculum fecit,  
in pluribus filijs, cuiusdam viri nobilis, qui omnes vixerunt: cum tamen omnes quos  
habuit, ante præsidium adhibitum, epilepsia (paucis diebus ab ortu) interijisse referat.  
Cuius descriptio est, quæ sequitur. R. sachari albi solidi, vnc. ij. puluerizetur & con-  
ficiatur cum oleo sesamino recenti, vel cum oleo amigdalorum dulcium, ad formam  
unguētī, de quo detur infanti cū digito, cochlear vñū. Nā statim (inquit) infans sop-  
ratur & dormit: & cum excitatus fuerit, iterum ex eodem cibetur, & sic vsque ad  
plures horas. Hic enim cibus nutrit infantem, & purgat suauissime, per secessum  
noxias humiditates flegmaticas, viscosas, & sordes melancholicas, congestas in ven-  
triculo, & intestinis, quæ si non emitterentur, prepararent ad epilepsiam. Atq; hoc  
ego præ alijs vtor præsidio, addito interdū puluere smaragdi, & medullæ seminis ci-  
tri, in aqua buglosi, prius per viginti quatuor horas infusi. Antonius Cartaginēsis,  
lib. de fascinatione, cap. sexto, ter (antequam lactetur infans) propinat mel virginēū,  
myrrhæ admistum, & emittet (inquit) egestionem nigram similem pici: Et tribus  
aut quatuor diebus sequentibus, sequens tribuit medicamentum. R. mellis vir-  
ginei, vnc. vj. butyri nimium loti, vnc. ij. penidij, vnciam. j. cum modico croci-  
mista. Ab huius sumptione, emittet phlegma, quæ epilepsiam efficit. Butyrum  
tamen exhibere reprehendit Aëtius, quoniam stomacho aduersatur. Idem præ-  
bet puero, antequam lactetur, fel testudinum aquaticarum, quæ per aliquot dies,  
vsque ad partum, nutriantur pane, in lebetes aquæ. Diebus autem sequentibus,  
tribuit infanti, quantitatem ciceris de confectione sequenti. R. fella testudi-  
num aquaticarum. n. ij. theriacæ, drachm. ij. succi rutæ, vnc. s. rasuræ cornu  
cerui, drach. s. misce. Sequentem etiam confectionem, multum prodesse refert.  
R. cranei pueri & femellæ, drach. ij. smaragdorū, drach. j. cornu cerui &  
unicorni, ana scrup. ij. seminis pæoniæ, scrup. j. pulueris pullorum hirundinis  
adustorum, drachm. s. thuris scrup. j. fiat puluis, mittaturque quantum ciceris  
in ore lactētis pueri, vt eum deglutiāt. Ego vero ad præcautionem, tum ab epilepsia

tum etiam ab alijs morbis, ea tantū probo medicamenta, quæ ventriculū leniter purgant, & inter ea, illud expertissimū nicoli, magis probo. Istæ vero nuper memorata, magis medicata sunt, quā ætas illa ferat, & potius curationi, quā præcautioni sūt idonea, & corpus iam purgatum postulant. Quod vero theriacam suscipit, maxime est suspectū: nam Theriac (vt refert Gal. lib. de theriaca ad pisonem) pueris omnino est vitanda, quippe cuius magnitudo, illorū virtute maior sit, & corpus ex facili dissoluat, natiumq; spiritum cito extinguat, quæ admodum sane, & lucernæ flammam, oleum igne copiosius adhibitum, propte extinguit. Vbi historiam refert, cuiusdā pueri, theriaca sumptione, eadem nocte dissoluti ac mortui. Quæ ex smaragdis vero conficitur, pertimescenda non est. Ruta præterea, infantis naribus admoveatur saepe ad odorandū. Zona ex corio capitis, & caudæ lupi, aut ex corio asini cingatur. Smaragdus collo appendatur, quāuis rarius de ægrotudinibus puerorū, ad pedem ligare iubeat. Radicis insuper pæoniæ recentis, magna pars appendatur collo, ex Gal. 6. simplic. .cap. 104. tā enim esse vtilem dicit, vt nihil supra. Gerardus vero, super viatico, in pæonia (inquit) non reperitur modo tanta virtus: Quā etiam nec nos, nostro tempore agnoscimus: ob idq; dicunt quidā referente nicolo, quod virtus reperitur solum in ea, cuius radix quando frangitur, designat interius insculptum signum crucis: de qua intelligendus est Auic. lib. 2. cap. 124. Vbi expertum, à se fuisse lignum crucis, ad epilepsiam memorat. Corallum quoq; pyrethrum, & dentē lupi caninum, appendere iubet. Nomina regū Magorū gestata, plurimum valere, affirmat Nicolus ex mundino, & proprio experimento, & Iuanarola à magistris suis didicit, hos tres versus, cum deuotione collo imponere.

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.

Hæc tria qui secum portauerit nomina regum,

Soluitur à morbo, Christi pietate caduco.

Reliqua de epilepsia, dicemus dum puerorum morbis medebimur: nunc enim de auertenda epilepsia, statim cum infantes nascuntur agimus. Mox vero lacte nutriatur infans, idq; bis die, aut plurimū ter, apud Paulū & Auicēnā: plurimū enim lac, statim ab ortu, infans coquere nequit: quod vero corrumpitur, sepilepsia, & plura mala facit: In quo grauius peccant, nutrices nostri tēporis, nesciunt enim papillā ab infantis ore adimere. Oportet autem, vt in primis lactationibus, aliquid lactis mulgeatur, ita vt cum infantis ori admonetur, fluat lac è papilla, & tunc pressu iuuetur: ne ex multa suctione, gulæ instrumenta reddantur imbecilla, & suctui inepta, quod Hispanè appellant desuarillado. Præstantissimum lac est maternum, præsertim in natura temperata, quæ similibus est tractanda, vt lib. 1. de sanit. tuen. Gal. est autor. Lac autē maternum simillimū esse, eo constat, quod lac ex sanguine, quo in vtero infans nutriebatur, ad mamas regurgitante cōstat. Sed quomodo naturis intemperatis, lac matris eligitur: si contrarijs sunt ad bonam temperiem reducendæ? Gal. 1. de sanit. tuen. nō ausus est aperte hoc consulere, sine aduerbio dubitandi, in hæc verba. Atq; optimū est etiam, reliquis fortasse omnibus infantibus, ipsum lac matris, modo

nullo

nullo morbo sit corruptum. Et post pauca subdit, Nā qui matris lacte pueri alūtur, ij non solum consueto, verū etiam maxime proprio vtuntur alimento. Auic. vero apertius. 3. 1. doct. 1. cap. 2. tanti fecit, similitudinem matris cum filio, vt experimen- to certificatum esse dicat, quod matris papillā, in os infantis indere, valde confert ad remouendum, quidquid ei nocet. Reducendā ergo est intemperata natura, per alimenta intemperiei contraria exhibita matri: nec enim potentioribus contrarijs, imbecillis infantium ætas, pariter & assuetudo ad alimentum ex matre, reduci postulat. Præstat autem (vt Aëtius est autor) non accipere matris lac, vsque ad quartam diē, vbi crassum, iam ab vberibus emulxit, & aqua calida vbera ipsa, fouit mater. Si tamen nutrici, aut matri quæ puerum lactat, morbus aut dolor superuenerit, aut uehemens aliquod medicamentum, ei sit propinandum, melius erit (inquit Auicenna) vt alia ipsum lactet, donec sanetur, & vis medicamenti extingatur. Lauare autem infantē, aqua calida hyeme, æstate temperata, bis aut ter cōuenit, horarum aliquod interstitio, post lactationem, ex Aëtio, id est post longissimum somnū (vt consulit Galenus) Id enim maxime tēporis est, in quo vel inanem ventriculū inuenias, vel certe concoctum, si quid in eo remansit. Quæ autem, vt hodie fit, faciunt, sane lædunt, aliæ vnum, & certum, diē tēpus præscribentes, aliæ cum ipsæ à negotijs vacent, tum denū balneantes. Non debet autem in balneo diutius morari, non enim vt supercalescat, aut rubeat eius corpus, sed vt humescat & mundetur, instituitur hoc lauacrū, nostro præsertim seculo, quo balnea penè exciderunt ex vsu. Linteis mollissimis, detergeatur & exsicceatur. Debet autem nutrix à lotionē, antequā fascijs obuoluat, eius mēbra leniter tangere, & quod disparandum, aut extendendum fuerit, diuidere, aut extendere, & quod comprimendum cōprimere, & omne membrum vt decet figurare. Et hoc totum leni compressione, extremis digitis frequenter facere oportet: eius vesica prematur, vt vrinæ exitus facilis fiat, extendatur manus, & brachia, ad genua vsque, pedes vtrinq; leniter ducantur, retro ad dorsum, & ante ad caput, vt membra omnia, quo oportet flecti condiscant. Non sunt autem supra ventrem firmādi, ne lædantur viscera: in quo peccant nutrices, quæ infantes pronos continēt, donec paulatim omnes fascias componant. Fascijs ergo iam cōpositis est vtendum, & infans, aut pronus non est ponendus, aut pectore non ventre est firmandus. Oculi infantis, sunt viridi cendalo tergendī, & nares oleo dulci, intus linendæ ac defecandæ. Rursum infantem lactare oportet, & ad somnum inuitare: dormiatq; è latere, capite quam reliquum corpus, elatiore. Cauendumque ne collum, aut dorsum, brachium, aut cruris distorqueatur. Eius autē cunæ, non sunt uehementer mouendæ: nam uehemēs motus, ad epilepsiam parat, & lac in ventriculo contentum, fluctuare facit. Melius autem est, vt nutricis vnus, à tertio mense gestetur, donec per se moueri, & repere per ætatem liceat. Sicut vero immature ad progrediendum, omnino cogendi non sunt, ne crura, eorum pōdere vitientur: ita cum valent, non sunt prorsus arcendi. Quanta enim sit naturæ nostræ, cum exercitijs societas, facile declaratur, cum pueros, nec si concludi



seris loco aliquo, prohibeas quo minus discurrant, ac pullorū vitulorumq̄ ritu lasciuant: quippe sua cuiq̄ animanti natura, satis est, ad proprias conuenientesq̄ excitandas appetitiones, quibus sanitatē tueatur, vt pulchre Gal. 1. de sanit. tuen. edisserit. Solo autē lacte, ali debet puer, quoad primores dentes, quos duales appellant emisserit, ex Galeno (quod. 7. vt plurimū mense cōtingit, apud Paulū. 1. libro cap. 9.) si tñ ante hoc tēpus, cibū alium vehemētē desiderat infans, prōpte & alacriter assūmit, ac spes est, eū posse, quod oblatū est cōcoquere, nō est violenter p̄hibendus, ex Auicenna: sed cibus tunc solidior recte datur, qui nō ipsū repleat ex Paulo. Post ortū vero dualiū, inuitandus est, ad solidius alimentū accipiendum, ceu natura ad id admonēte, & instrumēta tēpestiue exhibente. Durū tñ alimentum nō mastiget, nā gingiuas molestat, & materiā ex qua dentes alij sunt gignēdi, dissipat, & resoluit attritu, & fragmenta dura, immasticata deuorat infans, quæ in ipsa deglutitione, strāgulatū, tussim, & vomitū mouent: iā vero deglutita, vētriculo sunt oneri: quare nō concoquūtur, sed putrentia, grauiā excitāt symptomata & morbos. Addit Aētius, quod ea quæ sic à pueris māduntur, pluri quā oportet saliuā replētur. Auicēna primō dat panē, quē infanti masticauerit nutrix, deinde panē cū aqua mellis, aut vino aquato, aut lacte. Aētius vero micā panis, ex vino mulso, aut vino dulci, aut lacte p̄pinat, deinde etiā, ouā sorbilia cōcedit. Panis tñ sola masticatione nutricis paratus, durior est ac solidior, quam primis puerorū cibis cōueniat: si plurimū vero in ore cōtimeat nutrix, donec satis remoleseat, pluri quā opus est saliuā cōspurcatur, quod vitauit Aētius. Vinū vero, ne gustare quidē pueros, suadet Galenus, quippe quod haustū, & humectat nimis, & calfacit corpus, tñ caput halitu replet, ijs qui humido, calidoq̄ tēperamēto sunt, vt pueri. Arist. in super de sono & vigil. cap. vlt. vinū nō modo negat pueris, verū etiā nutricibus, quoniā spiritosum est. Itē ergo panis coctus, ex aqua, melle, oleo, aut butyro, & ad mellis cōsistētia redacta, utilis puerorum cibus est: deinde ad micā panis, ex iure pulli gallinacei, trāsire cōuenit: deinceps ad cōsumatum gallinæ, mox ad oui vitellū, postea ad molles quasdā carnes, quæ in gallinarū p̄cordijs habētur, nos apellamus entrañuelas de aue. Vltimo cum ablatū est, pingue porci partē assā, cū pane ea pinguedine perfusso, post diligētē inter nutricis digitos cōminutionē, nostra ætas p̄pinat, & bene vegeti reddūtur infantes. Quæ alimēta si bene coquit infans, citra vētris intumescētia, & inflationē, si nō reddatur somniculosus & torpidus, vrinasq̄ habeat aquosiores & albicātes, bene est, & firmitatē habet, ablatiōni necessariā: quod magna ex parte viginti mēsis, apud Aētium, aut duobus annis cōtingit: vnde Paulus, abūde fore fuit ratus, duobus annis puerū enutrisse. Quibusdā tñ ea firmitas citius, serius alijs cōtingit: nullusq̄ sine ea firmitate, ciborum cōctiōne, & alacritate ad functiōnes, debet ablatari: quā si nō cōsequatur, nutrix altera est adhibēda, quæ recenti lacte, atq̄ abūdate, puerū reddat vegetiore: quod vnius, aut duorū mēsiū spatio, fieri solet, & tñ ablatetur. In ablatiōne vero, cauere oportet, rigidissimum tēpus hyemis, & feruentissimum æstatis: vltimū autem hyemis, & postremū æstatis, cōuenit eligere. Cauere etiā oportet, tēpus in quo grauē morbi

fuit

fuit perpeffus infans. Plurimæ enim ægritudines, ad annum solēt reddire, quæ in recens ablatato, sunt periculosissimæ. Nō subito autē, sed latēter, ab vberē desuescat, & fiant ei glandes, ex pane & saccharo, quæ offerantur ipsi, dum mammā quærit. Si vero pertinax fuerit, & māmā perditæ amet, aloë, aut myrrha, papillæ inungātur. Quod si ablatatus (quod sæpe contingit) morbi incidit, rursus ad lac trāsferatur, & vbi cesauit morbus, renutriatur lacte corpusculū, atq̄ sic ablatetur iterum. Quare curare præstiterit, ne in ablatatione māmā sugere dediscat infans, ne si forte ægrotarit, ad lac nequeat iterum trāsferri. Contingit etiam grandæuis hominibus (aut ob hecticā febrē, aut ob vltimū senitū) vsui fore, māmā sugere oblitos nō fuisse. Nūc vero, de eligēda nutrice, probatione lactis, & eiusdē correctione, agere est tēpestiuū,

## De eligenda nutrice. Cap. ij.



Eligenda nutrix est, quæ nouem mēsis gestauit vtero, ex abortu enim, aut septimestri partu nō probatur. Quin nec lac eius mulieris, quæ abortire solet, p̄pinat. Auicēna: quod tamē minus esset timendū. Sit bene sana, ex parētibus orta nullo morbo obnoxys, qui nec epilepsia, nec ptisi, nec arthritide, nec nephritide, nec lue Galica, elephanto, aut pessimo aliquo morbo laborauerint: solēt enim huiusmodi morbi, esse hæreditarij, & lacte cōbibi. Medium temperamentum habeat nutrix: si enim temperatus puer est, huius lactis vsu, temperatura optima seruat: si minus ad eam reducitur. Nec probo reductionem pituitosi infantis, per biliosum lac: nā morbis ex vtroq̄ humore, forte reddetur opportunus: & tātā contrarietate, non adeo bene, tollerat ætas tenera, & satius est duobus annis reduci, ex vsu lactis temperati, ad optimam naturā: quam id vno anno cōsequi ex vsu biliosi, & altero, in biliosam forte naturā transferri. Siquidē medium tēperamentum habeat nutrix, omniū extremorū statim occupabit mediū: nēpe gracilitatis & crassitiei, mollitudinis & duritiæ, glabri & hirti, caloris & frigiditatis, humiditatis & siccitatis, nigri & albi. Colorē enim debet habere, ex rubro & albo cōmistū, vt scribit Gal. lib. artis medicæ, cap. 51. talis nāq̄ color resultat, ex cādidissimo semine quo gignitur cutis, & selecto sanguine quo nutritur. Capillū etiā magis nigrū, quā rufum habet, & habuit in pueritia, magis rufū quā nigrū. Iustā quoq̄ magnitudinē, collū validū, ampliū pectus, & omnes animi functiōnes, naturales, animales, & vitales, inculpatas habeat oportet. Vbera magna in nutrice requirit Paulus. 1. lib. cap. 2. Aētius vero moderata, nō rugosa, sed plena: magna vero, & parua, improbat: hæc quidē, quoniā parū lactis exhibēt: illa vero, quoniā plus quā opus est lactis præparāt: & hoc manēs in ipsis corrūpitur, & infātē lædit, simulq̄ etiā matrē grauat: cui tñ malo facile occurrere possumus, si turgētes māmā, alterius infātis suctu deoneremus: sic enim, nec lac corrūpetur, nec mater grauabitur, & tutiores erimus à lactis defectu, qui frequēter mole stare solet. Quāuis autē magna vbera p̄bamus cū paulo, nimis tñ p̄tēsa & laxa quæ

ad umbilicum quibusdam propendent, ad humerumque attolluntur, nec Auicenna, nec nobis idonea esse videtur. Mediocres quoque in vberibus papillae probantur, magne enim, offendunt gingivas, & impediunt linguam, ne iuuet deglutitionem: paruae vero, egre apprehendi possunt, & propterea affligunt maxillas. In papillis autem, nec nimis angusti sint meatus, nec nimis lati, & cauernosi: eiaculatum enim per angustos meatus lac, sublinentem os pelliculam ferit, & vlcus igneae caliditatis adducit: latiores vero meatus, qui papillas cauernasas reddunt, dum acceruatim remittunt lac, suffocationis causa fiunt. Sit praeterea nutrix, aetate, nec vetula nimium, nec admodum iunior: apud Aetium scilicet, nec iunior viginti annis, nec senior quadraginta. Paulus vero, in iunioribus viginti quinque annos expletos requirit (nam apud Auicennam, haec est aetas iuuentutis, sanitatis, & complementi) & in seniore, ultra triginta quinque annos non transcendit: vbi totam adolescentiae aetatem reprobatur, quam ego ceu temperatissimam, ab anno decimo octauo, usque in trigesimum quintum amplector: seniores autem, atque iuniores deuito. Melius est autem, si bis aut ter peperit nutrix, ut monet Aetius: nam ex primo partu, vbera quae nunquam lac antea creauerant, minus vtile creant: postea vero, secundo, aut tertio partu, vtilissimum conficiunt, velut iam edoctae & conficiendo assuetae. Filios habeat viuos, & bene vegetos: maxime autem est vitanda, ea cuius filij epilepsia decesserint. Melius lac esse, ex partu masculi voluerunt, forte quoniam masculus, est foemina perfectior, quare vtilius etiam lac remittet. Contra vero est experimentum, calidius enim quam oportet, huiusmodi lac est: sexus namque tantam vim habet alterandi, ut quae masculum gestat, calidiores & agiliores, praenationis tempore sint, & calidius lac remittant post partum, quam quae foeminam gestant, aut pepererunt. Magnam praeterea est infanti commodum, si nutrix non multo ante pepererit, apud Paulum: nec tamen ob id probatur, lac statim a partu succedens, vitiatum enim est, excrementitium, & feruidum: quare Auicenna, ante mensem unum cum dimidio, aut duos, reprobatur lac: maternum tamen, post tres aut quatuor dies conuenire, ob magnam familiaritatem diximus. Optimam autem incipit esse, ab integra mulieris repurgatione, triginta nimirum, aut quadraginta diebus, a partu transactis: quo tempore, si mulier integre purgata non fuit, alia quaerenda est. Quauis autem quinque, aut sex mensium lac, antiquum non sit, eligendum non est: nam ante tempus ablactationis infantis, antiquum erit. Eligenda quoque nutrix est, cui menses duobus annis, a partu soleant deficere, nam dum menses fluunt, lac imminuitur & vitiatum, immittitur quidem, quoniam ex eadem materia sunt, quae dum ad vterum confluit, a mammis diuertit: vitiatum vero, quoniam ad alterum partum paratur mulier: quo tempore, tum animantibus, tum etiam mulieribus, inutile redditur. Adhaec a venere nutrix abstineat, a visu quoque, & auditu venereorum: si enim libidine turgeat, & in venerem procliuius reddatur, ex semine intus commoto & exuberante, lac redditur virosum & maxime nocuum: ob idque in nutrice requiritur castitas, tum ne lac vitietur, tum etiam ne vitia, & petulantia in lacte combibantur. Si vero quae infantem

lactat

lactat, vtero forte gerat, Galenus magnopere suadet, aliam protinus inueniendam esse nutricem. Bonus enim sanguis, absumitur in alimentum foetus, quo fit ut lac ipsum, tum peius, tum vero exiguum in mammillas colligatur. Conuenit quoque apud Aetium, nutricem esse sobriam, id est a noxijs tum cibis, tum potibus, ac alijs nocuis temperantem, & medico obediētem. Abstinerere enim debet a vino & a cruditate, & ab omnibus, quae ad epilepsiam parant. Vitanda quoque ei sunt ex Paulo, admodum siccantia, salsa, acrida, acerba, acida, amara, & valide calefacientia: item odores, tum foetidi, tum suauis praeter modum, condimenta aliaque acrida, quae nocent. Medicamenta quoque interdum, ad infantium morbos depellendos, libenter & sine molestia sumere debet: antiquus enim mos est, infantes purgare pharmaco nutrici exhibito, ut elicitur a sexto libro Epidemiarum, in commentario illius sententiae. Mulier, capra, elaterium comedentes, pueris purgatio. Nomine enim elaterij, non solus succus agrestis cucumeris, venit intelligendus, sed omne etiam catharticum, vilida vi praeditum, ut notarunt Manardus, & Montuus in sylloge: immo & Hippocrates primo acutorum, sententia quarta, elaterium pro omni cathartico sumit. Hercle nisi domina Eleonora de Sotomaio, quae morbum grauissimum, secundo suae aetatis anno, fuit perpeffa, nutricem nata fuisset, quae nobis alacriter obtemperasset (Deo gratias referamus, quod tantam calamitatem auerterit) de medio iam nobis sublata fuisset. Debet etiam nutrix esse mansueta, & animae accidentibus parum exposita: nam rixosae, & iracundae, lac reddunt biliosum, & feruidum. Non sit tristis, sed hilaris cum grauitate, & modestia quadam, parum loquace. Non sit stolidus, nec malorum morum, tales enim, magna ex parte infantes negligunt, & eis parum blandiuntur. Malum est, si faciem fuco debonestet, nam praeter leuitatem quam arguit, lac vitiatum ex cerusa, sublimato, & huiusmodi alijs. Munda tamen sit, & elegans, tum in se, tum in infante praecipue. Ego enim (inquit Galenus) cum puer aliquando ploraret, per totam diem, & indignaretur, vbi vidissem stratum ipsius, & vestimenta sordida, & ipsum puerum sordidum, iussi & ipsum, & stratum ipsius lauare, & vestimenta mutare: quo facto ab eiulatu, & indignatione cessauit, & obdormiuit. Nutrix autem vna esse debet, nam ex lactis diuersitate, experimento videmus, infantes laedi: quare nec probamus Aetij praecipuum, qui epulentis, plures nutrices adhibet: nec quarundam matrum consuetudinem, quae praeter id quod filios suos nutriunt, nutricem quoque coadiutricem adhibent: nec quorundam medicorum nostri temporis, praecipuum consilium, qui leui quauis causa, nutricem mutant. Habet enim lactis iam vsitatissimi permutatio, sua incommoda, quae non sunt eligenda, sine graui necessitate. Cum ergo omnia quae dicta sunt, in nutrice conuenierint, addere tunc oportet, inditium aliud firmissimum, ex ipso lacte desumptum, cuius probatio, sequenti traditur capite.

Lactis probatio. CAP. III.

p 5 Sit



**S**IT lac copiosum, nutritioni enim, & auctumēto infantis, debet sufficere: auctumētur autem plurimum infantes, & calidum innatum ipsorum abundans, plurimum alimētum conficere potest, alioqui se ipsum conficiat oportet. Sit etiam lac, gustantibus, & olfacientibus iucundum: nam quæ coctione proueniunt, dulcia & bene olētia redduntur: quare improbatum lac, quod cito acescit, aut amaritudinis, aut muria, aut alterius cuiusdā peregrini saporis qualitatem representat, graueolens etiam, ac foetidum. Albissimum sit oportet, nā a glandibus albissimis conficitur, quibus (si probe cōfectus est) colore debet assimilari. Cum enim in ceteris notis probetur mediocritas, in colore solo probatur extremum: Auicenna vero dicens, quod eius color, attineat albedini, a candidissimo lacte, immerito videtur abstinuisse: errat enim. 12. 3. cap. 2. cū summum lactis candorē, pituitā dixit significare: siquidē lac pituitā candore vincere, nemo est qui dubitet. Maxime vero improbatum, obscurum, liuidū, cæruleum, & palidū. Quos colores, hac arte dignoscit Aëtius, tenuia ac candidissima linteorū frustra, eo lacte imbuta, in umbra siccabimus: & in his postea, quātum lac a nativo colore discessit, speculabimur. Electū præterea lac, inter liquiditatē, ac spissitudinē, medium tenere oportet, crassum enim & caseosum, cōcoctū contumax est, & ad epilepsiā parat: liquidum vero, atq; serosum, inutile est ad nutritionē, & atrophia infert: probatissimū vero, in medio stat, caseosi, atq; serosi. Quod duplici ratione dignoscit. Paulus, Prima, quod in unguē pollicis instillatū, eo inclinato ad lucē, neq; subito, neq; tarde videtur defluere. Secūda, quod infuso lacti in vas vitreū, coaguli exiguū admiscetur (Auicēna enim myrrhā, pro coagulo, corruptissime legit) digitisq; agitatur, in quo postquā concreuerit, inspicietur: nū casei portio, digitis pressi minor quā serū fuerit, hoc enim lac inutile est: cōtrariū huic, cōcoctū contumax: probatissimum vero, quod utraq; habet mediocria. Aliqui (vt scribit Aëtius, serm. 4. 4. tetr. cap. 36) pbitatē lactis aliter experiuntur, nā si pilus eo madēs, suspēdatur, & lac delabitur, aut vnæ parti guttulla adhaeret, lac reprobandum est: si vero totū pilum circumfidet, optimū esse confitētur. Debet quoq; lac, omniū partium sui, equalitatē habere, ita vt vndiquaq; sit sibi simile: quare improbatum spumosum, & quod strias, quasi floridas habet, & quod in vas vitreū instillatum, citā suapte spōte, seri a caseo, habet secretionē: vbi innat at nimirū, pars quadā serosior, & subsidet casealis. Aequalitatis autem probationē, ungue melius, declarat Speculū, si in eo lac instilletur. In pari autē bonitate lactis: rusticū urbano, & otioso, est præferēdū, ceu minus excrementitium. Huiusmodi ergo nutricem, tali lacte donatam, ad partus magnatum paratam habere oportet: & multis retro diebus (si fieri potest) boni succi vtatur alimentis. Manus humerosq; molendo, texendoq; exerceat, duobus mensibus prioribus lactationis: dein vero puerum, tres iam menses natum, vlnis gestet: nam exercitiū nutricis, non minor ratio, quam cibi, potus, aut somni, est habenda.

Quomodo lactis paucitati subueniamus. Cap. iij.

Vbi



**V**bi imminuitur lac, aut corrumpitur, aut etiam omnino extinguatur, aut spissatur, aut attenuatur, præstat alterius nutricis lac præbere, ex Aëtio, serm. 4. primæ tetrab. cap. 6. Quod de magnis vitijs audire oportet, non enim leui de causa, lac est permutādum, vt diximus. Si vero cum nutricem permutare volumus, non permittat res aliqua instās (multos enim pueros mortuos audiuius, ante quam ab alia nutrice lactari permisserint) nutrix curanda est, ne in morbum incidat infans. A lactis autem paucitate, initium captantes, nutricis sanguinem, primo cōtemplemur (ex Gal. præcepto. 5. lib. de simplic. med. fac. cap. 21.) aut enim paucior est, quam cōueniat, aut deterior: Vbi paucior est, vniuersam victus rationem, humectantem, & calfacientem, instituere oportet, per optima alimenta, multum sanguinē generantia, vinum (inquam) iuscula, succum carnis, carnem capri, gallinæ, perdicis, vituli lactentis, vbera etiam ouium, & caprarum lactentium, sunt vtilia, vitella ouorum, lac, cicera, amigdalæ, pineæ, fistici, triticum coctum, farrum ex hordeo, & similia. Vbi vero sanguis prauus est, si biliosus fuerit, primum purgari postulat, mox vltimum, quem modo dicebamus adhiberi (quam Galeni sententiam, nō aduertens Aëtius, loco citato, in lactis correctione, purgationes prorsus recusat, solo victu contentus) si vero sanguis fuerit pituitosus, medicamenta requirit calfacientia non multum, nihil autem desiccantia: pituitosa enim cacochimia, coctione sanatur, nisi salsa sit, aut summe recedat a natura, vt quæ valde acida est: salsam enim, purgare iubet Galenus, & acidam coquere tentat, lib. de cōstitutione artis medicæ, ad finem: quæ si nō coquatur, & in sanguinem migret, purgāda etiam est. Magna vero ex parte, pituita dulcis, aut insipida, sanguini permiscetur, de qua sola meminit Gal. 5. simplic. citato, coctionem & non purgationem, præscribens ipsi. Coquenda est autem, medicamentis, leuiter calfacientibus sine siccitate. Hæc enim differentia est, medicaminum prouocantium lac, menses, & vrinam (apud Gal. 5. simplic. cap. 22.) quod prouocantia menses, calidiora: prouocantia vrinam, sicciora: nam vreticis, vtilitas accedit ex siccitate, quæ cogit crassam sanguinis partē: mensibus autem mouendis, & lacti generando, foret inutilis. Quāquam autem prouocantia lac, sint imbecilliora, vt pote minus calida, sufficiunt tamen prouocando lacti, cum nō abunde in mamas confluit: mouendis autem mensibus deficientibus, minime sufficiūt: quoniam sanguis, duplici ratione in mamas venit, transmissus scilicet a mēbris, & virtute mamarū attractus: quare leui remedio adiuta, duplex facultas, plurimum coaceruat lactis: ad vterum vero, pellitur menstruum, non trahitur: quare cum simplex tantum facultas, prouocandis mensibus seruiat, fit vt validiora debeant, adhiberi medicamenta, quæ sanguinē magis fluidum, & venas magis reseratas reddant, vt autor est Galen. 5. libro simplic. cap. 22. Prosumt ergo mouendo lacti, eruca, fœniculum, anethum, sesamum, anisum, melanthium, pastinaca, & vbi pituita crassior est, atque frigidior smyrnium, apium,



apium, sion, polium, pulegium, rosamarinus, serpillam, trifolium, vitex, raphanus, menta, cepae affe, aut elixe. Et ubi signa caloris, aut in toto, aut in ipsis vberibus affuerint, praesertim si mulier sit biliosa, lac augent, lactuca, malua, spinachia, ordeum, papauer: qua certe ratione Auicenna, mamas iubet conrectare, calidae ne sint, an frigidae, vt pro ratione tactus remedia adhibeantur. Herbas autem virentes, & humidas, accipere iubet Galenus. 5. simplic. citato, Na sicca (inquit) plusquam oporteat excalfaciunt, & desiccant, & ob id sanguinem crassiozem, simul ac pauciozem efficiunt, & lac magis extinguunt, quam procreant. Quare in forma puluerum minus conueniunt, nec videntur conuenire, quaedam valde sicca, & adstringentia, quae practici permiscunt: qualia sunt corallus, & alia huiusmodi, crystallu tamen, caeca quadam virtute, lac prouocare credimus. Ex omnibus dictis remedijs, ea sunt praestantiora, quae non tantu sunt medicamenta, sed etiam alimeta: & ex ipsis, multae sorbitiones idoneae parantur, quibusdam ex aqua, oleo, fermento, & saccharo, addito melathio, sesamo, feniculo, pulegio, & aniso, viridibus (inquam) non siccis, scabinas hoc ferculū vulgo appellat. Valet & ptysana, cui feniculum, & anethu viride incoctū est, apud Aetiu. Valet sesamum tritu, & vino dissolutu, ac colatu, cui butyri vacini, vncia vna est permiscenda, ex Auicenna. Valent pulues ex farina tritici, ordei, fauaru, cum lacte: & in fine decoctionis addatur ouoru vitella & semē feniculi. Vtile est etiam, quod sic paratur, ex Saunarola. R. ciceris prius infusi in lacte vacino, aut ouillo, vnc. iij. orizae sepius abluta, & exsiccata, vnc. ij. tritici & ordei, excorticatarum, & tritoru, ana vnc. iij. amigdarum dulcium excorticatarum, vnc. j. seminis papaueris albi, vnc. j. sesami triturati, vnc. iij. sacchari albi, lib. j. omnia cu lacte sufficientis quantitatis decoquantur, ad consumptione tertiae partis, & si tollerat mulier cuminum, in fine decoctionis addatur semētia. Vtile quoque est farina seminis lini, delingere cum melle aut passo. Quinque aut septem lumbricos terrestres, cum palmulis passis terit. Aetius, & decē auroris praebet in zyto (potus erat ex ordeo confectus, nobis inusitatus) ob id Auicena, in aqua ordei propinat: Ex cuius remedij vsu (inquit Aetius) de multitudine, ac bonitate lactis miraberis. Medicamen validu huiusmodi, describit Auicenna. R. seminis anethi, vnc. ij. seminis trifolij (quod Hispanie angeleta vocamus) & seminis porri, ana vnc. j. seminis sulae (est genus quoda trifolij, apud sylvaticu, & genuesem, quo equos saginat, hispani nome ipsu retinet, & appellat sullen) & seminis fenugraeci ana vnc. ij. totu cu succo feniculi, & melle & butyro misceatur, & sumatur in potu. Mathaeus vero post consiliu. 36. ppinat cu vino albo, medietate sequentis pulueris pro vice. R. seminis anisi, seseleos, ana drach. β. crystalli scrup. j. sacchari ad podus omniu, miscē. Valent etiam omnia, quae semini multiplicando sunt idonea, praeter vitice, de quo auic. dixit. 2. canone, quod est ex eis quae multiplicat lac, in minorado sperma. Amatus lusitanus, Hippocapu pisciculū flexuosum, nobis frequēte, in puluere redactu, praebet in vino certo experimēto. Quiescat nutrix, brachia tamen eius, quadatenus exerceatur. Vbera leui manu fricetur, aut decocto feniculi tepido

per spōgia

foveantur, vt sanguis ad eas trabatur, & venae quae ibi sunt dilatentur. Cucurbitae apponantur cum pauco igne, paulo infra clauiculas. Vngantur mammae, & loca circumstantia, oleo irino, aut vnguento sequenti. R. olei sesamini, & amigdarum dulcium, ana vnc. j. cere modicum, fiat vnguetum molle. Valet etiam pix in multo oleo dissoluta, & imposita in circuitu mammarum, sub clauiculis, & sub alis. Synapsimo autem vti (quod quidam faciunt) non probo.

Quomodo crassum lac corrigatur, Quomodo etiam tenue & aquosum: Quomodo etiam tenue & acre: Quomodo etiam quod foetidum est, sit tractandum.

CAP. V.



**I**n lactis multitudine adimēda nutricibus, ego nunquam laboro. Secus vero in crassitudine, nam crassum lac, multorum malorum est origo: epatis & reliqui corporis vasa obstruit, quare febribus ex putredine, pueros reddit opportunos: coctu cotumax est, & epilepsiae, ac morbis ex cruditate, ipsos exponit: abscessus & furunculos, circa infantis corpus creat, ventrē cobibet ac inflat, & flatūs multū ab eo prodeunt: Sed nec vrinā pro ratione reddunt, qui eo vtuntur infantes: pituitam sepe vomūt, inappetētes, torpidi, difficulter spirātes, somnolēti, ac decolores redduntur, sordes crassas in oculis, & mucos similiter in naribus ipsoru spectabis. Nutriēda ergo, tunc est victu attenuate, & minus alēte nutrix. Bene facit ipsae, ius pulli elixi cum petroselino & croco, & ipsius pulli caro. Bibat aquā cinamomi, aut origani. Tribuatur ei oximel diureticum, cum aqua feniculi, & si nauseam excitarit, studeat in vomendo, vomitus enim vtilissimus est. Lac etiam attenuat, puluis saepe sumptus, ex cinamomo, feniculo, origano, & hyssopo, addito saccharo, ad podus omnium. Vbera etiam ipsa frequenter lauet aqua tepida, aut decocto nepitae, quae praestantissima est calaminthae species: & moderato vtatur exercitio.

Tenue & aquosum lac, graciles & inualidos reddit infantes, & ventrē fluidū: vrinē quoque, plus quam pro ratione feruntur. Si vero acrius sit, excretionēs per ventrem plures fiunt, cum mordacitate: appetitus deficit, & pustulae acerrimae in corpore fiunt, & infans indies magis gracilescit. Aquoso lacti, non cōpetunt balnea, nec exercitiū: longus autē somnus vtilis est. Cōpetunt ipsi, cibaria multi nutrimenti, & crassi, qualia sunt oriza, & eduliu album, pedes, & extremitates porcinae, ac vinum dulce. Acri vero lacti, idonea sunt balnea dulcium aquarum, quae corpus nutricis cōtemperēt: otium, alimenta boni succi, ad frigidum inclinantia: & iulep ex aqua plantaginis, & rosacea, saccharo confectum. Eas vero quae salso humore abundant, balneis & vini diluti potione curat Aetius. Si lac vero mali odoris fuerit, manna aut castafistula purgetur mulier, & validiori aliquo, si opus fuerit: quauis reuelletur Aetius. Ab alimentis putredini obnoxys absteineat. Maxime curare oportet, vt cibos bene concoquat: sicuti enim putredinis foetor, ita bonae coctionis, suavis odor est soboles.

## Tractatus primus

soboles. Sumat confectionē aliquā odoratam, calidam aut frigidam, pro ratione indigentia. Ambra & moscus, permisceantur cibis ipsorum, & vinū bibant aromaticū.

**Ad lactis caseationem, quæ nodos in vberibus**  
nutricum, solet interdum efficere, & sæpenumero in apostema degenerat. CAP. VI.



**A**ccendus est puer, ne ex illo vbere lactetur, semper tamē vber sugatur, aut ab alio puero, aut catulo, aut ampulla vitri habēte nasū, aut cucurbita habēte orificiū parvū (quod capit papillam) ex vna parte, & collum longum strictum ex altera, per quod attrahitur aer suctu quodam, & sequitur lac successione aeris vacuati, hoc appellamus māmadera; illud vinagera: Lac etiam extrahit sine dolore, ampulla vitrea, stricti orificij, quæ vbi aquam calidam cōtinuit, plena vapore calido, imponitur papillæ, loco cucurbitæ. Nam si vberis lac, non sugatur diligenter, lac quod denuo gignitur, coagulatur à caseato lacte ibi existente, & pars coagulati, quæ incipit dissolui, non extrahitur, sed putrescit & vbera exedit. Vt lac ergo dissoluatur, nutrix vtatur in cibis mentha, petroselino, croco, & cinamomo, & iure caulium: Lauetur māmilla cū aqua, vino, & aceto, ana permistis & tepefactis, per horæ dimidium: Aut cū sequenti decocto. R. foliorū plātiginis, maluæ, violæ, rosæ, chamæmeli, meliloti, radicū althææ, fœnugræci, ana. M. j. coque in libris aquæ. xij. madesit spongia, & ex alto per dimidiam horam desuper destillet. Dein leuiter absterfa, hoc illinatur vngento. R. succi plantaginis, & maluanisci, ana. vnc. ij. olei rosacei, & amigdalorum dulcium, ana. vnc. j. ceræ albæ parum, ad ignem fiat linimentum. Valet frequens impositio, lintei veteris madesacti in succo apij, & petroselini, cum aceto & oleo violaceo, aut in succo menthæ, cū aceto & pauco sale gēmeo, aut in aceto, in quo dissolutum fuerit coagulum leporis, aut hædi. Valet inunctio, ex adipi porci spinosi. Prodest etiam butyro vacino, & dialthæa seorsum, & commistis inungere. Efficax est emplastrū sequens, experimēto Sauanarolæ, si calidū superponatur mammillæ. R. succi apij, vnc. iij. micæ panis, vnc. j. β. cumini. drach. iij. olei menthæ. vnc. j. misce. Valet etiam lumbrici terrestres cōtriti, cū oleo de lilio, & impositi. Valet & sequens emplastrum. R. thuris, styracis calamitici, ana. vnc. β. nigellæ, drach. ij. farinæ tritici, vnc. j. cumini, drach. j. farinæ bacharū lauri, drach. ij. omnia cū succo siclæ & melle, ana quantum sufficit, ducātur ad spissitudinem inmodū emplastri. Si autem mammilla admodū calida fuerit ad tactum, ne in inflammationem transeat, & suppuretur, dissoluatur cera, & conserporetur in mortario, cum mucagine psilij, & fœnugræci, & succo portulacæ, & linatur ex eo: Aut imponatur puluis marchasitæ, cum oleo rosaceo, & albumine oui conuassatus. Si autem plus iusto frigeat mammilla, & alia frigoris inditia adsint, ponatur emplastrum tepidum, ex cumino contrito & melle: Aut ex pane crudo bene fermentato

## De regimine infantis.

114

mentato, permisto cū coagulo hædi, & styrace liquida, & si magis deobstruēs facere volueris, adde myrrhā, & fel bobis. Valet etiam aliqualis frictio māmillæ, ex styrace liquida, & oleo violaceo. Coagulū vero leporis in vino exhibere (quod potui propinat Sauanarola) ego nō auderem, ne sani vberis lac concreseat, dum iam coagulatum soluere studemus.

**Qua ratione vsque ad annum decimum quartum,**  
infans sit tractandus, vt animo virtutes, & corpore sanita

tem comparet. Et quo ordine scientias  
debeat addiscere. CAP. VII.



**I**us qui curā infantis educādi suscepit, siue nutrix, siue gerula, siue medicus sit, officiū est antequā infans ab lactetur, & loquelæ particeps fiat, quid infans desideret coniectare, idq; sine mora ipsi suppeditare, priusquā auctus dolor, in nimium, atq; inordinatum motū, & corpus & animum etiā conijciat: siquidē & aluiū exonerare, aut meiere, aut esse, bibere ve, cupientes, perinde ac discruciatu plorant, atq; enormiter mouentur. Fieri etiā potest, vt frigore offensi, teporē desiderent: sicuti contra æstu afflictū refrigerationem. Est quando multitudinē aut immunditiā instratorū non tollerant, quippe multos offendit quoq; non minimum, maxime vero, cū aut totū corpus vertere, aut etiā artus mouere cupiūt. Quin etiam ipsa quies, si sit diuturnior, nō parū molesta esse solet. Illico ergo præbere oportet, quod expetit, vel auferre quod offendit, etiā motu per vlnas nutricis adhibito, ac vocis modulatione, qua prudentes nutrices pueris blandiri, & somnū conciliare consueuerunt, vt eleganter docet Gal. i. de sanit. tuen. Non quod puero nunquā expediat plorare, ante lactationē enim, aliqualis fletus vtilis est, vt autor est Auic. 3. i. doct. i. cap. 2. respirationis enim instrumenta exercet, ac roborat: sed quoniā corporis atq; animi motus, intra modū continere oportet, vt sanitas cōseruetur: Et adhæc quoniā loquellæ adhuc expertes, ploratu, clamore, iracundia, & inordinato sui motu dolorē indicant, à quo infantē releuare oportet. Quibus adhibitis, si nō quiescat, an febrē habeat, an tormina ventris patiat, an denteat, an morbo alio corripiatur, inspiciere oportet, vt simul morbo, ac ploratu occurramus. Vbi vero ab lactati infantes fuerint, vsq; in quartū annū expletū, liberiore modo, & suo ingenio hilariter viuere sinendi sunt, exercitia ludicra, & lusus illis permittemus, leuioraque alimenta dabimus, ex Paulo libro primo, capite decimo quarto. A quarto vero anno, sexus femineus, suo iugatur sexui: nesciat, immo timeat, cum pueris ludere, nullum impudicum verbum nouerit, & si forte in tumultu familiæ discurrentis, aliquid audiat, non intelligat. Matrem amet vt parentem, subijciatur vt domina, timeat vt magistram, ex Hieronymo ad gaudentium. Huius autem ætatis lusus iam sit eruditio, ex eodem ad Letam. Fiant ei literæ, vel buxæ, vel eburnæ, & suis nominibus appellentur, ludat in eis, & non solum, ordinem teneat literarum,

vt

vt memoria nominum in caticum trāseat: sed & ipse inter se ordo, crebro turbetur, & medijs vltima, primis media misceantur: vt eas non sono tantum, sed & visu no uerit. Syllabas iungat ad premium, & quibus illa ætas, deliniri potest munusculis, inuitetur. Sic crustula pueris offerebat antiquitas (panis forte sacharati genus erat) vnde Horatius.

Vt pueris quondam, dant crustula blandi

Doctores, elementa velint vt discere prima.

Habeat vnusquisque sexus, in discendo suos compares socios, aut socias, quibus inuideat, & quorum laudibus mordeatur. Non obiurgandus est, si tardior sit, sed laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, & victus doleat. Iam ve ro cum sextum, aut septimum annum attingit, vbi iam cæpit erubescere, scire quid ta ceat, dubitare quid dicat: magistro blando, humanoq; tradatur. Tales enim cum ani mi relaxatione, & gratia docent, tenellosque puerorum animos, cum literis, tum mo ribus imbuunt, & plures virtutum actus, in habitum commutāt. Contra vero præ ceptoris amaritudo, clamores, minæ, conuitia, plagæ, asperitas, & inamabilis docen di ratio, corpus insalubre tetricum, & minus vegetum reddunt: & vt pueri in om nem vitam literas oderint, in causa sunt. Animi enim relaxatio, ad probam corpo ris educationem, plurimum momenti adferre, docuit Paulus libro. i. cap. 14. Dum modo quod satyricus præcipit,

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,

Intra quæ puer est, procul hinc, procul este puellæ

Lenonum & cantus pernoctantis parasiti.

Maxima debetur puero reuerentia, si quid

Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,

Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Exercitia iam hac ætate augeantur, ita vt ante cibum adhibeantur mediocria. Mo dum vero in labore excessisse, quod nonnulli pædotribæ pueros cogunt, prorsus alie num est: siquidem intempestiua duritie, corporis inhibetur auctio, autore Galeno. A vino sunt arcendi, per totam pueritiæ, adolescentiæque ætatem, ad annum vsq; duo de vigesimum: nam præterquam, quod nullum adfert commodum, immensum etiam ex igne igni addito, sequitur incommodum: vnde ad iram, & libidinem, præcipites fiunt: & capite, vini halitu repleto, pars animi rationalis, hebes turbidaq; redditur. A frigida autem potione, prohibendos eos, non censet Galenus: verum à cibo plerū que, & per calores, cum ipsis cordi erit, vti ipsa, non displicet.

Duodecimum annum egressos, ad gramaticos iam, & geometras mittit Pau lus. Præstiterit autem, si themata, quæ à præceptore proponuntur vertenda discipu lis, non sint fortuita: sed certa & coaceruata de industria, tum æruditionem, tum mo rum instructionem continentia: ea enim plurimum intellectui, ac memoriæ figuntur. Summopere autem, hac ætate curat Galenus, animum probis fingere consuetudini bus,


bus, & grauibus disciplinis, quæ animo modestiâ, & parædi facilitatem pariāt. Cor poris autem, iam sint hac ætate, exercitia validiora, & viribus firmadis idonea. A quarto decimo, vsq; ad primum & vigesimum, vitæ genus est eligendū: & vnicuiq; iuxta suam viuendi rationem, ars medica documenta præscribet, sanitati tuendæ, & virtuti seruandæ idonea: quæ enim ad mores spectant, hac maxime ætate, perfici, ab soluiq; conuenit. Siquidem ad robustissimum corporis habitum, prouebere hominē cupis, aut militem eum strenuum, aut luētorem, aut aliās viribus insignē destinās: vtiq; de ijs animi dotibus, quæ ad scientiam, sapientiamq; pertinet, minus laborabis. Sin corporis membra, roborare hætenus cupis, dum sanum quædam habitū, & incre mentum, ijs compares: animi vero rationalem partem, ornare adolescentis studes: nō est vtrobiq; eadem victus ratio ex vsu: sicuti neq; si quis ad agriculturam, vel mer caturam, vel aliquam sordidarum artium festinet, eadē ratione est tractandus. Ac ars quidem, quæ sanitatem tuendam proficetur, omnibus profecto hominibus, sanita tis tuendæ documenta pollicetur: aut singulorum propria, aut omnium communia, aut hæc quidem propria, illa vero communia, vt doctissime Gal. i. lib. de tuenda va letudine scribit. Communia sane præcepta, & cuiq; hominum statui conuenientia, in ordinato vsu, sex rerum non naturalium continentur. Quæ sane (elaxioris doctrine gratia) traduntur in corpore, quod soli sanitati studet, & sibi soli viuunt, nihil curans nisi vt sanum sit: quanquam forte nullus hominum talis reperiatur, nec expediat eū reperiri, beluinam enim potius, quam rationalem vitam ageret. Ab hoc, sumunt præcepta quædam communia, reliqua vitæ genera, & quædam addunt specialia. Exemplo sint monachi, & religiosi, qui Deo virginitatem vouerunt, quibus ve neris loco, minus nutriri, plus exerceri, studere & contemplari præcipit, vt ani mo & corpore laborantes, à libidinis impetu coërceantur. Philosophis, medi cis, theologis, ac iuris prudentiæ peritis, consulit noctu ante cenam studere, & orare, parcius cenare, tota nocte dormire, diluculo ad studendum surgere, coctione peracta: deinde exerceri, id est, infirmos visitare, ius dicere, & predicare: post mo dum prandere, & quiescere: iterumque vespere, ante cenam studere. Ruralibus laboribus occupatis: minus prandere, & magis cenare, præcipit. Aulicis qui diu dor mire, noctu vigilare solent, minus cenare, & vberius prandere, imperat. Sic dum sanum quendam habitum, & corporis incrementum volumus comparare, simul & partem animi rationalem ornare studemus, mathematicis disciplinis, & sapientiæ studio, à decimoquarto ætatis anno instituemus, pluraque illis, tum, & grauiora exercitia imperabimus, quo animum simul, ac corpus exercētes, à Veneris stimulis, quibus ea ætas, tentari plurimum solet, coërceantur. At pueros iam sumus præter gressi, ad quos (vbi male conformati eduntur) corrigendos, rursus conuertamur. Si tamen ordinem, quo scientiæ debeāt addisci, prius annotauerimus, nam Paulus capi re citato, pueros prius mittit ad gramaticos, deinceps ad geometras, tertio ad mathe maticos. Ex quo videtur quibusdā, prius addiscendā esse geometriā, arithmetica. Cui accedit, quod ex numeris, quosdā appellat arithmetica planos, alios cubos, quadratos



Et circulares, quorum intellectus geometriam supponit, quæ de his omnibus magnitudinibus, et figuris pertractat. Adhæc, numerus fit ex cōtinui diuisione, apud Arist. 3. lib. physicorum: ergo sciētia quæ tractat de numero, præsupponit eam quæ tractat de continuo. Contra tamen est veritas, nā arithmetica, à rebus notissimis (puta numeris) principium ducit: ob idq̄ facillima est, et puerili vsui congrua, statim enim cum pueri intelligere incipiunt, unum, duo, tria, connumerant. Adhæc omnes scientiæ, indigent arithmetica, cum unum, vel plura, necessario connumerent. Est præterea arithmetica vniuersalior, nam in diuinis, omni magnitudine, et materia carentibus, adest numerus, puta vera vnitatis, et vera multitudo: Et in geometria, in qua, nihil puncto simplicius consideratur (est enim magnitudinis vniuersæ principium) punctum ipsum, vnitati, vt species supponitur: punctum namq̄ vnitatis est, habens positionem in continuo: quare arithmetica primitus est addiscenda, deinceps geometria. Nec obstat, numeros aliquos dici cubos, et quadratos alios: nō enim ob id, sumit arithmetica, principia aliqua à geometria, sed vtitur sepius vtraq̄ ipsarū nominibus eisdē. Ex diuisione præterea continui, numerus fit numeratus, de quo non tractat arithmetica, sed de numerante, et de numerandi ratione. Post has ad astronomiam, cælorum atq̄ astrorum cursum, animum attendere oportet: Deinceps ad rerum naturas scrutandas, quod in naturali philosophia addiscitur. Hinc quidam ad ea quæ transnaturam sunt, metaphysica, et Theologica: alij ad artem medicam, (quæ philosophiæ est subalterna) transmigrant: quæ adeo graues, profundæ, difficiles, atq̄ vtilis scientiæ sunt, vt parum sit, in quaque earum consensuisse.

De puero qui nascitur mutilus, aut aliqua parte

luxatus, aut praua figura cōformatus, aut strabon, aut labio fisso, aut oculi palpebra coalescente, ligata lingua: aut aure glāde, vulua, vel ano, non perforatis: de sexu occulto, de hermaphroditis, sexto digito, et nymphæ in uerecunda curandis. CAP. VIII.



**I**nfans si brachio, pede, digito, aut quauis alia parte mutilus nascatur, sine remedio est, nisi aut manū ferreā, aut lignēū crus adijcere, curationē appelles. Cum autē vel infantibus in vtero, aut editis quidē in lucē, sed adhuc increſcētibus, particula fuerit luxata, nec dū reposita: in humero quidem carnes, nihil à naturali figura deficiunt: neq̄ enim manus, quodcumq̄ opus perficere impeditur:

os autem brachij, breuius permanet, non augetur: ac tales nominantur galiæcones, apud Paulū, lib. 6. cap. 114 in fœmre etiam, os incrementū non sentit, et totū crus contabescit: cum enim pondus corporis ferre nequeat, non exercetur, ac in alijs membris luxatis manētibus, quæ subijciuntur partes, omnium iniurijs expositæ sunt: quare (si cōmode fieri potest) repositio luxati, tentāda est, ante quam subiectum membrū reddatur inutile. Si vero pars aliqua distorta, aut male conformata fuerit, à doctā

obstetrice

obstetrice conformetur, per methodum similitudinis, ac dissimilitudinis: sana scilicet parte inspecta, tenera enim ossa facile ducuntur. Si vero oculos habeat in obliquis aspicientes, curantur apud Paulum lib. 3. cap. 22. larua faciei circumposita, vt non possint aliter, quam in rectū videre. Floccos etiam rubros, ag glutinat angulo opposito obliquitati: cū enim ad nares cōnient oculis (quod magna ex parte fit) flocci rubri, sunt ag glutinandi, angulis qui circa tempora habentur: lucerna quoq̄, et omnia spectabilia, sibi ponantur è regione, et non à latere: qui etiam infanti alloquitur, è regione sit. Cum autem grandiores effecti, adhuc strabismus perseuerat, speculū frequenter in manu habeant, ibiq̄ rectū aspectum cōdiscant: in quē assuescere expedientiſsimū est. Si vero labiū sit fissum, excorietur vtraq̄ fissuræ pars, et suatur ita, vt acus relinquatur infixæ, et filiū reuoluatur ad modū, quo sartores solent, filiū ad acū reuoluere: sic enim facile, quod fissū erat vnietur. Si vero digiti non sint separati, scalpello aut forcipe sunt separandi, et linteis ex oui cādido interpositis, ne iterū vniantur curadi. Superior quoq̄ oculi palpebra, interim cum interiori cilio coalescit, interim cum mēbrana adnata, interim etiam cum ea, quæ ob cornus similitudinem, græce ceratoides appellatur, ac morbus oculum tractatu difficilē efficit. Conuenit igitur apud Paulū cap. 15. libri sexti, vel auriscalpio lato, palpebræ spatio subiecto, vel ea per hamulū eleuata, coalitum scalpello ad Pterygia excidēda idoneo dissoluere: cura adhibita, ne cornea mēbrana vulneretur, atq̄ inde procidentie occasio fiat. Vbi incideris insuffletur oculo, salina mastichationis salis et cumini, aut oleū de vitellis ouorū, cū pauco sale, et linamētis ouo madentibus, palpebras deducemus, ne rursus cōmissura fiat. Post tertiuū diē extenuantibus, et cicatricē inducētibus collyrijs, vtitur Paulus: intellige primo extenuantibus, vt carnē aliquā et asperitates exterāt, ad finē vero cicatricē inducētibus: vtrūq̄ autē simul præstat, balsamū ex peruallatū, quo alijs prætermisſis vti consulo. Cōtingit quoq̄ meatū auditoriū, à prima natali die nō perforari, mēbrana quadam auditoriū meatum obstruente, nūc per summa, nunc in alto. Editis quoq̄ in lucem, hoc malum generatur, vbi præcessit in audiendi meatu exulceratio, siquidem caro supernascēs, ipsum occludit. Siquidē mēbrana auditū impediēs, alte inhaerescit, difficilis erit administratio: tentandum tñ est, tenui quodam instrumento, ipsam incidere: si in summo fuerit, scalpro quod Græci scolopomacherion appellāt. Hanc diuisam, vbi vsus exigat, etiā auferemus, apud Paulum. 6. lib. cap. 23. At si caro supercreuerit, hanc pterygijs apto scalpello, aut specillo polytis idoneo tolemus: deinde tortile linamentum, ex viliore pāniculo, spatioſo meatus sinui aptatū, aqua imbuemus, inuolutūq̄ chalcitide læuigata, aut huiusmodi quodam arido, in meatum demitemus, ne rursus caro enascatur. Si inflamatio male habeat, protinus id auferemus. Si fundat sanguinem meatus, spongiam aqua frigida imbutam imponemus, alijsq̄ conuenientibus vtetur remedijs. Tam in membrana autem, quam in carne eximenda, vtile futurum fore credimus, causticū Phylipi, quo vtēbatur ille, ad eximendas colli vesicæ carunculas: nam præterquam quod rationi consonat, id testatur Amatus Lusitanus, se præstasse, cēt. uria. 4. curat. 19. Quare

cenſeo in omnibus mutis ab ortu, hanc curationem fore tentandā, quorum auditus ſi aperiatur, magna ipſorū pars loqui cōdiſcet. Cauſtici autē dicti, ſequens eſt deſcrip- tio. R. æruginis, auripigmenti, vitrioli, aluminis rochæ, ana ꝑnc. ij. omnia hæc ace- to acerrimo perſuſa, inter duos porphyritides lapides, quā accuratiſſime ducātur, in leuoremq; tenuiſſimū reddātur, & æſtuo ſoli ſiccentur, & ruruſus aceto affuſo læ- uigentur, & ſoli exponātur : quod opus, toties intra octo dierū ſpatiū repetes, quo- ties fuerit neceſſarium, vt à medicamentis ijs, omnis prorſus acrimonia ſublata ſit, & puluis ſubtiliſſimus euadat. Hoc parato puluere. R. olei roſacei, ꝑnc. iij. lythar- guri, ꝑnc. ij. coque ad cōſiſtentiā emplaſtri. Tūc depoſito ab igne, adde prædicti pul- ueris, ꝑnc. ij. & ſpatula miſce, & ad ignem omnia tractato, donec medicamētum, du- riuſculum euadat, ita vt ſi candela cereæ, vel plūbeæ virgulæ hæreat, non diffluat, etiā ſi digitis tractetur. Methodus autem hoc cauſticum adminiſtrandi, ſit poſt vni- uerſales vacuationes, tenui prius inſtrumento caute immiſſo, ita vt, aut perforetur mēbrana, aut ſaltem ſanguis in ea fiat, tūc ponatur cauſticum, ad extremū cereæ cā- dele, & cādela intromittatur in cānula argētea, ita vt auri poſſit imponi, & citra cōtactū laterum, membranā ipſam, quā vulneraſti cōtingere. Septē autem dierū ſpa- tio, quotidie innouādo cādela, mēbrana, aut caro dicta exedetur. Si ingens autem do- lor, & rigor inſolitus ſequatur, & febris: deponatur cādela, & oleo roſaceo, aut de vi- tellis perfundatur. Si ſanguinis vero ꝑfluuiū ſucceſſerit, oui candido aqua roſacea cōcuſſo, permiſto bolo armeno, & ſanguine draconis, ſiſtatur. Si vero infātis lingua fuerit ligata, uſq; ad annū ſeptimū, aut ultra, nō curetur: opus enim eſt obediētia, & tollerātia infirmi, quæ in natu minoribus nō habetur. Tūc autē collocari debet ægro- tus (apud Paulū lib. 6. cap. 29.) ea figura, vt linguā ad palatū ſuſpendat, & nerueum illud vinculum per trauerſum incidatur, ex parte extremitatis eius, quæ linguā cō- tingit: quod ſi ex cicatrice, aliqua ligatio prouenerit, ea hamulo trāſſixa callum ſur- ſum trahemus, ac per latitudinem facta diuiſione, ligationem ſoluemus, cura adhi- bita, ne ſimul ſubiacentes venas, & arteriam diſcindamus. Nam ſanguinis profuſio, quæ ſiſti nequeat, frequenter inde ſequuta eſt. Poſthæc aqua frigida, aut roſacea, vulnus debet elui, & ſi ſanguis non ſiſtatur, calcitide uſta repleatur vulnus: dein- de collutio oris ex lacte, & ellychniū interpoſitum, ne ruruſus vniantur, quæ diſpara- ta ſunt, curationē cōplere valent. Si vero glans non fuerit perforata, ſed ſub cane appellato, quo glās ſuſpenſa eſt, foramē habetur, vnde neq; urinā anterius facere poſ- ſunt, niſi particulā, verſus imā ventris regionem, admodum inclinent: neq; liberis dare operā, cum ſemē ipſorum, in vterum recta, nō poſſit eiaculari, hoc Paulus, lib. 6. cap. 54. præſciſſione curat adhūc modū. Reſupinato homine, glās ſiniſtræ manus digitis, valide attolletur: deinde ſpecilli acie ipſa, iuxta cornā præcidetur, plaga nō obliqua, ſed ſculpturæ ſimili, vt per mediū eminētia quædā, glandē representās appa- reat: quoniā vero ſanguis ſæpe ꝑfundū ſolet (ſi fieri poteſt) medicamētis ei retinēdo dicatis ſiſtemus, ſin minus, tenuibus ferramentis aduremus. Tutioſiorem autem, & faci- liorem curationem, viſus eſt excogitaſſe amatus, cent. 1. curat. 23. vbi in glāde non

per-

perforata, in qua ad radicē penis, prope teſticulos foramen erat, quo lotiū mitteba- tur, cannulā argenteā, admodū ſubtilem parare iuſſit, & per meatū prope teſticulos exiſtente, verſus glandē, quoad illa penetrare potuit indidit: cū vero ultra ire nō potuit, acu argenteo per cānulā immiſſo, perforauit glandē. Eſt autem curandū, vt primū illud foramen ad teſtes ſitum, obturetur, carne impleatur, & vrina per nouū foramen, ire cōuellatur: Et eſt ſummopere cauendū, ne iterum meatus in glāde factus vniatur, ſive per ellychniū, ſive per plūbeā cānulā, aut argēteā, id cōſequaris. Cōtin- git etiā pueris recēs natis, anum non perforari, mēbrana quadā obſtructus, quā Pau- lus lib. 6. cap. 11. digitis (ſi fieri poteſt) diſrūpere iubet, ſin minus acie ſcalpelli excin- dens, vno curat, & vbi timor eſt vnitioſis, fiſtulā plūbeam imponit, aut obturamē aliud, donec in totū cōſaneſcat. Genitales quoq; ſœminarū partes, clauſæ naſci ſolēt, alias in imo, alias in alis, ſæpe etiā in medio ſpatio: ſi in alis ſit malū, cōmiſſura eſt diuidēda recta linea, ſcalpello fiſtulis accommodato, ex Paulo lib. 6. cap. 72. Si vero in imo, aut medio, dum infans eſt, nō curetur, donec ob coitū, aut conceptū, aut puer- peritū, aut oī menſiūurgationē, vel vtilis, vel neceſſaria æſtimetur, ipſius curatio. Infantis enim vires forte nō tollerabūt, carnis aut velamenti, in imo, aut medio, de- liteſcentis diſruptio eſt. Sunt etiā ex recens natis quidā, qui mēbrum virile, intus de- liteſcēs ferāt, & ob d. ſœminæ apparēt, ætatis autē delapſu foras erūpit, quod refert Plin lib. 7. nat. hiſt. & paucis ab hinc annis cōtingit Cordubæ: & audio à fide dig- nis, olim in quidā nonacha de ſancto Domingo del Real, opidi de Madrid, cōtigif- ſe: Hæc etiam poſt multos annos monachus, in virū fuit conuerſa, & clericali poſtea ordine inſignita. Amatus quoq; Luſitanus, cent. 2. curat. 39. refert in opido de Sgueyranouēleucis à Conimbrica, Mariā Pachecā nobilem, cū ad ætatē perue- niſſet mēſtrūadi, vice menſiū priapū, uſq; ad id tēpus, intus latitantē eieciſſe: & Ma- nuel vocatus, vxorē duxit, & imberbis ſæper permāſit. Huc refert, quod. 6. Epid. Hip. ſcribit, in abderis cōtigifſe phœtuſæ: Hæc enim ſœcūda erat, & eius poſtea cor- pus, virile factū eſt, hircuſcie, barba, & vocis aſperitate ſubortis: quæ tñ nō vir, ſed virilis facta eſt: nā mēſes ipſi ciere, curabat Hippocrates. Hæc tñ nō eſt permuta- tio ſexus, vt ſcripſit Plinius, ſed occulti ſexus detectio, cui non eſt manus admouen- da, ſed ſpectanda ætas. De hermaphroditis vero, ſcire licet, quod quatuor eorū diffe- rentiæ exiſtūt, quarū tres in viris, quarta in mulieribus cōſtituitur. In viris, ſi quidē aliās iuxta regionē inter ſcrotū & anū, aliās in medio ſcrotō, muliebris pudēdi pi- lis obſiti, forma apparet. Tertia vero adhæc accedit, in qua nonnulli veluti ex puden- do, quod in ſcrotō eſt, urinā profundūt. In mulieribus vero, ſupra pudēdū, iuxta pu- bē, virile frequētior genitale inuenitur, tribus quibusdā extantibus corporibus, vno tanquā cole, duobus autē veluti teſticulis. Ex quibus ſane differentijs (autore Pau- lo, libro ſexto, capite ſexageſimo nono) tertia illa virorū deformitas, qua vrina per ſcrotum excernitur, curationem non recipit. Reliquæ vero tres curantur, corpo- ribus ſuperuacuis è medio ſublatis, & vlcera modo tractatis. Sic etiam omnes monſtrificæ excrescentiæ, vbi citra periculum ſcindi queunt, ſunt auellende,

sextum enim digitū, rescindit Paulus, lib. 6. cap. 43. & carunculā in sinu muliebrī pudendi subsultantem (quam nympham appellant) ubi plus iusto creuit, quod ex superfluum est rescindit, cap. 70. Sūt enim quaedam mulieres, quae haec partem arigunt, viris similiter, & in venerem cum alijs mulieribus ruunt, quibus immensae nignitudinis efficitur, & non decentem inuerecundiae notam praese fert Vbi vero monstruosae partis praecisione, periculum spectatur, vel ob magnitudinem, vel quā principi parti adhaeret, aut quia ingentes venas & arterias habet, à praecisione distere conuenit. Puerum enim cornutum, retulit amatus, centuria. 1. uratione; 1. perisse, ob dissectum cornu, à chyurgo: Erat enim praedurum illud omni, in arte inferiori, conflatum ex craneo & medullari cerebri substantia.

Quae praesidia tollerent infantes, & quod omnia debeat habere medicus in numerato.

CAP. IX.



Olent pueri, quantumuis sani nascantur, multiplici morborum genere corripī, ob succorum corruptionem, tum ex sanguine menstruo deriuatam, tum denuo extra uterum contractam. Non possumus autē remedia ipsis adhibere, quae natu maioribus non venae sectionem, ante tertium annum expletum: ne scarificationē profundam, nec cucurbitulas, nec hyrudines, ante duos annos expletos: à leui etiam scarificatione, ante tertium mensem exactum: sunt arceudi, ut libro de vacuandi ratione, cap. 8. disseruimus. Pharmacum praeterea, recens nati non sumunt, sed infantulos purgare volentes, pharmacum propinamus nutruū, ut consulit Gal. 6. lib. Epidem. parte. 5. com. 35. Nec obstat, quod Auic. 1. 3. doct. 1. cap. 3. in die qua nutrix purgatur, ab eius lacte iubet infantem abstinere, & alterius mulieris lacte nutrirī: Hoc enim facere conuenit, quotiens nutricis cacochimiam expurgamus, quae eo die mota, lac impurum reddit: illud vero, quando infantem purgare volumus. Tūc enim, statim ac pharmacū ebibit mulier, lactādus est infans, & quo auidius lac sumat per duas, aut tres horas, ante pharmacū, à lacte abstinere iubemus: nam ad vbera ipsa, vis permeat pharmaci refracta, & puero purgando idonea. Frigide etiam potu, valida frictione, & omni uehementi praesidio, uti nequeat: tanta est aetatis, ad omnes alias indicationes contraindicatio, atque potestas. Ob id sane, ex usu erit, praesidia quibus infantes iuuari solent, in numerato habere, ne aut quae non tollerant adhibeantur, aut nullo praesidio adhibito, ipsos mori sinamus (haec autem, libro cui de morbis puerorum, & puerperarum, titulum damus expediuntur) interim vero, ad matrem conuersi: eius abortum, dum utero gestat impediamus: in enixu inuenimus: & enixam (ut decet) regamus.

¶ Tractatus primi de regimine infantis, finis.

Vniuers-

Vniuersalis praecautio ab abortu. Cap. j.



Er sit temperatus, ad siccū declinans fugiantur intemperantiae eius, & frigidae magis: corpore praesertim prius calfacto, & humectato, ex. 3. Aph. com. 12. Caueatur autē maxime, vētus per angustū spirās. Sit aer odoratus, foetidus autē omnino deuitetur, referunt enim, ex odore fumantis fauillae, recens extinctae candelae, equam abortiuisse. Per viridaria, & loca amœna, visus delectetur, placide viuat, improuisum tamen gaudium fugiat, non iretur, non terreatur, neque quae pauore incut. aut videat, aut audiat. Quare cauendum à tenebris, & solitudine, ab auditu tristiū, & sonitu bombardarū, tonitruis & terrae motu. Cibis boni succi alatur, & prauis si sint valde expetiti, nō prorsus negentur: sed quaecunq; vel leuiter desiderata, tã in victu, quã vestitu querantur, & offerantur praegnantī. Monenda est autem, ne quid dissimulet eorum quae expetit, aut pudore, aut ignauia impedita. Omnes autem domestici, sint solliciti, ne ea quae haberi nequeunt, aut nominent, aut laudent, & si forte fortuna eorum mentio fiat, cum abhominacione vituperentur, & ceu mala & insalubria proferantur. Linteis & indumentis utatur mundissimis, & nitidissimis, pro facultate mariti. Caput & thorax, custodiantur à frigore, ob destillationē, & tussim, quae abortire faciunt. Hinc iubet quoq; Auicēna, ne inungantur capita praegnantium: quod ego de rubificantibus intelligo, quae quoniam acria sunt, mouent catharos, unde tussis, & ex ea commotio foetus, & abortus: nam quae balneo capitis miti assueuerat, si toto tempore gestationis sint illotae, plane laedentur. Assuetae ergo caput lauēt, ex longioribus interuallis, & maiori custodia utantur: insuetae vero omnino nō lauētur. Partes itē vētris (uterus nēpe, & quae circūcirca sunt omnia) ab externis iniurijs defendantur, lana, aut cotto carminato, ex Auicēna: nos autē sacculū ex lana, aut cotto, permixtis ambra, moscho, gariophylis, corallo, margaritis, & mastiche, vtiliter toti vētri imponimus. Iubet autē per os, uti Auicēna, electario ex margaritis sequenti. R. margaritarū nō perforarū, & pyrethri, ana drach. j. zinziberis, & mastichis, ana drach. iij. zedoariae, doronici, seminis apij, ruta, cardamomi, nucis moschat. & macis, cinamomi, ana drach. ij. been rubei, piperis, macro piperis, ana drach. ij. floris canela, drach. v. sachari albisimi ad pōdus omniū, & adhuc amplius, puta duplū, aut triplū, pro gustu, & vtilitate praegnantis, & pro medici aestimatione, fiat electariū in puluere, cuius dosis (inquit) sit cochlear unū: ipsum enim rectificat dispositionē matricis, & ventriculi praegnantium. Neq; obstat, quod Nicolao Florentino, haec electariū videatur nimis calidū, & quod magna dosi praebetur, cochlear enim unū, pendet aureos quatuor: ob idq; praefert diamargariton cōmune, ad dolores ventositatis praegnantium. Fallitur autē Nicolaus, Primo, quoniam diamargariton cōmune, nō est minus calidum: & praeterea recipit rhabarbarū, & caphoram, praegnantibus

q 4 ingrata



ingrata & parum utilia. Secundo, nam Auicenna immiscet compositioni, sacharum ad pondus omnium, & plus, idest duplum, aut triplum, ad libitum & estimationem medici: ex additione autē sachari, dosis electarij augetur, & eiusdem calor imminuitur. Tertio, quoniam cochlear minimum, pēdet semidrachmam, paruum drachmam, magnum sesquidrachmam, maximum semuntiam: quare dosis erit, non quam existimat, sed à semidrachma in semuntiam. Qui vero frigidiorē compositionem desiderat, hac utatur Nicolao experta. R. charabe, mastichis, rosarum rubeorum, xilo aloës, margaritarum nō perforatarum, ana drach. j. corallorum rubeorum, nardi, macis, been albi, & rubei, cinamomi, sandalorum citrinorum, cardamomi, ana drach. j. β. sachari quantum sufficit fiat confectio. Utile est etiam ad hoc sumere, drach. j. sequentis pulueris, superbibēdo parum vini, diluti ex aqua arthemisiae. R. cineris priapi tauri, vnc. j. rasuræ eboris, corticum citri exiccatorum, ana drach. ij. coralli rubei vsti, & loti in aqua absinthij, drach. ij. sachari parum, misce, & fiat puluis. Utile præterea est, mulieribus natura frigidis, & crassis, vinū sequens, quod ex Arnaldo accepit Valescus. R. feniculi, zinziberis, gariophylorum, cinamomi, ana drach. j. leuistici, spicæ, piperis albi, ana drach. β. galangæ, anisi, dauci, carui, ana drach. ij. cum sacharo fiat nectar, quo utantur hyeme. Utilia sunt omnia cordi roborando dicata, qualia sunt, apud Auicennam. 21. 3. tractatu. 2. cap. 12. zedoaria, & utrumque been, aut seorsum, aut mista, pondere semidrachmæ, aut doronicum drachmæ pondere, in duabus vncijs vini aromatici. Et inter composita probatiora sunt, electarium de gēmis mesue, electarium lætificās Nicolai Alexandrini, electarium lætitiæ Galeni, ex Nicolao præposito: quibus utilior est, confectio gentilis cordialis, cuius hæc est descriptio. R. margaritarū, drach. j. β. hyacinthi drach. β. cinamomi, gariophylorū, macis, ana scrup. ij. limaturæ auri & argenti, ana drach. j. sachari albi. lib. j. distemperetur cum vncijs octo aquæ rosarum, & fiat confectio in tabulis. Utilissima autem est confectio cordialis conciliatoris, differ. 196. interdum sola in vino sumenda, alias cum tantundem, aut duplo conseruæ rosarum, aut borraginis, cuius descriptio sequens est. R. Succo pomorum dulcium, & buglosi despumatorum, ana vnc. v. doronici, corticum citri, florum borraginis, rosarum rubeorum, been albi & rubei, coralli, limaturæ eboris, ana drach. iij. spodij, macis, galliæ moschatæ, charabe, ossis de corde cerui, sandalorum rubeorum, ana drach. ij. seminis basiliconis, folij, myrtillorum, melissæ, coriādri, cinamomi, galangæ, zedoariæ, spicæ nardi, ligni aloës, serici minutim incisi, croci, ana drach. ij. omnium myrobalanorum, ana drach. iij. berillorum, smaragdorū, hyacinthorum, sardonij, zaphyrorū granatorū, ana drach. j. margaritarum albarum, drach. ij. limaturæ auri & argenti, ana drach. ij. β. ambre, camphoræ, ana scrup. β. moschi, drach. j. Fiat confectio, secundum artem gustui grata. De earum quoq; ventriculis, magna est gerenda cura, & si fastidiosus est, aut nau seabundus, inungatur ex oleo mastichino, & nardino, aut ex vnguento mesue stomachi confortatiuo, aut ceroto sequenti. R. ligni aloës, mastichis, corticis thuris, gariophy-

riophylorum, macis, ana drach. j. coriandri præparati, cinamomi, ana drach. ij. misceantur cum oleo nardino, & mastichino, & cum cera fiat ceratum, quod extendatur super alutam tenuissimam, & cooperiatur tela tenuissima, & cum fascia lini ligetur. Per os vero, confortetur stomachus, electario sequenti. R. conseruæ rosarum, quart. j. ligni aloës, mastichis, ana drach. ij. fiat conditum in granis, & cooperiatur folijs auri. Aut sumat drachmas duas, sequentis confectio. R. macis, gariophylorum, ana drach. j. coriandri præparati, drach. ij. mastichis scrup. iij. cinamomi. drach. j. β. sachari dissoluti in aqua rosacea lib. β. fiat confectio in tabulis. Ad somnum magis quam ad vigiliam inclinet, quauis neutrum conueniat immoderatus. Fugienda est omnimoda quies, & otium, superfluitates enim auget, & ligamenta laxat: ad otium autem fugiendum, probat Aëtius exercitia lanificij. Non exercitetur primo mense fetationis, sed frictione brachiorum, & partium superiorum utatur: Secundo mense, raro & lente moueatur. Tertio, expeditius. Quarto, quinto, & sexto mensibus, sine timore, moderato exercitio uti debent, per planum tamen, non per accliuē, neque decliuē, neq; descendant, neq; ascendant scalas, non currant, non saltent, saltus enim omnis, opportunissimus est ad abortum, & maxime qui retro fit, & qui vno pede agitur. Cauere etiam oportet, ab eleuatione brachiorum multa. Cauent ne venter, quauis ratione percutiatur, non vociferetur, neq; rideat intente, neq; sternutet, neque nares violenter emungat, neq; tussiat, neq; onera leuet, neque equo aut curru feratur, neq; duris sellis insideat, ex Aëtio: cymba vero vehi, vbi fluctuosæ procellæ esse non possunt, concedit Alexander benedictus, & lectica gestari Aëtius. Ex vomitu, quauis minus abortire soleant, & nonnunquam etiam iuuentur, procurandus tamen non est. Septimo mense & octauo, & vsq; ad dimidium noni, detrabere de exercitio conuenit, minus enim moderato instituendum est, ne vincula quibus nectitur infans, iam prope maturescencia, & teneriora facta, disrumpantur: Nec enim recipiendus videtur Aëtius, qui circa octauum mensem, motus vehementiores præscribit. A noni vero mensis dimidio, vsq; in partum, exercitium intendere oportet. Quo tempore, balneis dulcis aquæ, ab umbilico infra, uti potest, ex præscripto Auicennæ, qui prægnantes interdixit balneo, nisi apud propinquitatem partus. A coitu autem abstinere, & maxime primo mense, vel ex brutis animantibus, sui fetus obseruantissimis discere deberent matronæ, tum ut abortum, tum ut superfætationem fugerent. Medijs mensibus, minus nocet: ultimo autem mense, eo utantur abundantiori, ad partum enim præparat. Semper autem vir sit sollicitus, ne ventrem degrauet, sed suis brachijs innitens, venerē agat: Fæmina vero in actu, non moueatur. Lenis sit venter, ne in egerendo laborent, ex compressione enim abortient, & si siccus sit, leniatur iure gallinæ pingui mane sumpto, aut caponis crassi, aut vituli saginati, & in maiori adstrictione ventris, iure galli veteris: aut sumat ex Iacobo, mannæ electæ quart. β. in vncijs quatuor seri caprini, vel iuris pulli, aut castiæ fistulam, de qua dixit Auicenna, quod est conueniens prægnantibus, & soluit eas.

Gaynerus vero utitur, bolo deaurato ex castia fistulari, & māna, quod iudicat delicatius. Et adhibet clystere ex iure pulli, castia, pulvere zuchari, & oleo cōmuni. Ego vero manna libentius utor, quam castia: solet enim castia inferre tenasum, ex tenasmo autē fit abortus. 7. Aph. com. 27. si quando autem castia est utēdum, immisceri debet ipsi anisum pulueratū, sic enim tenasum non mouet, & grati odoris, ac saporis efficitur. In cibo autem & potu, abstinere debēt, a superflua repletionē vnius cibationis, ex ventriculi namq; distentione, vterus cōprimitur: quauis plus esse, & bibere, pręgnatibus, quā vacuis conueniat. Ex breuibus igitur interuallis, alimenta sumant bene nutrientia, qualia sunt volatilia electa, assa magis quam elixa, panis mundus, vinum subnigrum potens ex Auicenna, aut album non nimis potens, ex Mattheo. Que vero vinum non bibunt, aqua coriandrorum, & gariophylorum utantur. In fine vero mensę, probantur vna passę, & cotonea dulcia, & pyra, mala, & granata dulcacida, auellane tostę, cortex citri, & limonum condita. Abstineant autem a pinguibus, & dulcibus cibarijs, quoniam relaxant: ab amaris item, & acutis, qualia sunt cappares, & oliuę immaturę, porrum, allium, cepe, sinapi, acetum, sal. Verum acria quandoque gustare, pręsertimq; sinapi, cibum fistidienti, non fuerit alienū, vt Paulus lib. 1. cap. 1. consulit. Cauendum pręterea est, a cientibus mensę, qualia sunt phaseoli, raphani, cicer, lupini, & sisamum. Et quoniam magna ex parte, a flatu fit abortus, ex Auicenna, ideo in cibis suis, sequenti puluere iubet, vt Gaynerus. R. cinamomi, vnc. j. gariophylorum, nucis moschatę, cardamomi, ana drach. ij. zinziberis, vnc. β. piperis, drach. j. croci, drach. β. fiat puluis. Mattheus autem, consilio. 77. iubet cauere ab omnibus speciebus, maxime a pipere, croco, & cinamomo. Et si indigentia (inquit) sit specierum, sint adstringēte facultate prędita, sicut gariophyli, nux moschata, & macer, semper miscendo partem coriandrorum, vel corallorum: quę ego hac in parte sequor. Toto etiam tempore pręgnationis, vsq; ad nonum mensem, maxime conducit cerotum sequens, supra renes portatum, ex Mattheo. R. mastichis, drach. ij. rosę, coriandrorum pręparatorum, balaustiarum, bistortę, corticum granatorum, ana. M. β. nucum cupressi, vnc. j. β. olei mastichis, & cotoneorum, lotorum in aqua acetosę & plätaginis, ana parum: cum modico picis, fiat ceratum. Vtile etiam est, unguento comitisę, renes & ventrē ungerere, pręsertim si sanguis aliquis stillauerit, aut post multum exercitium, aut casum siue offensionem vëtris, aut lumborū. Profunt, Aëtites lapis circa ventrē gestatus, & sardonius superiori vëtri appensus, & lapis in vulua, aut corde, aut intestinis, ceruarum repertus, ex Aëtio. Atque hæc vniuersim agenda sunt.

Particularis præcautio ab abortu, iuxta diuersas abortiendi causas traditur. Gaspar Santa

CAP. II.

Parti



Articulatim vero, ad abortum ex sanguine abtūdati, aut acuto cōtingente, & propter menstrua ante conceptum non purgata, venę sectio est necessaria, quauis sanguinis detractio prægnantibus, periculosa sit, facit enim abortire, & magis quo fœtus est maior, quoniam subtrahit alimentum fœtui: sæpe tamen tanta est plenitudo, vt fœtum suffocet, nisi venę sectione occurramus. Quin experientia iam constat (vt notat Rendoletius) mulieres quę sunt frequenter passę abortum, hoc remedio retinuisse fœtum: Vnde credit Sauanarola, quod si mulieribus sanguineis, fieret phlebotomia in primis mensibus, esset iuuatiuum fœtui. Et refert historiam Marchionisę de Ferrato, quę semper patiebatur abortū, donec vena tusa, filios in lucem edebat viuos. Et amatus Lusitanus centur. 2. curatione. 90. præcauit abortum mulieri, quę mense tertio fetationis, solebat abortire: cuius causam esse coniecit, quod multus sanguis & acutus, superabundabat: qui vasculorum ora fœtum alligantium, sua acutię & punctiōne aperiebat. Iussit autem cum angi cępsisset, & abortus signa adessent, mediam sanguinis libram, ex communi vena detrabere, & in posterum hac cautela adhibita, omnes partus fœliciter subsequēbātur: nec quidquam enim, euacuationes ante prægnationem factę, vnquam contulerunt. Pharmaca vero fortia, non conueniunt, leuia commode exhibentur, vbi opus est cacochimiã mundare, pręsertim mensibus medijs. Suppositorio utitur Auicenna, tum ad vterum, tū ad anum, vbi ante menstruorum purgationem, concepit mulier: Consulit autem Iacobus, vt ad anum fiat, ex melle cocto cum puluere sene, & modico salis: ad vterum vero, ex mastiche, vt suauiter aliquid a matrice educat. Sauanarolę autem, huiusmodi suppositoria, merito videntur extranea, & inusitata: atque vtiliter consulit, vt mulieri, quę ante menstruorum purgationem concepit, sanguis detrabatur statim, in principio prægnationis, quod sane remedium securum est, & ex eius omissione plures abortiunt. Si vero ex forti frigore, aut flatu aliquo crasso, abortus nascatur, fiat sequens clyster, ex Auicenna. R. doronici, zedoarię, castorei, assę, gallię moscatę, moschi, cardamomi minoris, gallarum, & spodij, ana drach. j. in aqua frigida macerentur, & calidum adhibeatur. Vntri quoque imponatur sequēs emplastrum. R. tōsurę ex panno coccineo, & mellis, ana lib. β. zinziberis, galangę, cinamomi, cubebarum, ana vnc. j. seminis anisorum, fœniculi, apij, ameos, ana drach. ij. misce, & calidum impone. Per os vero sumat, electarium ex margaritis, suprapositum, & desuper bibat nectar, quod ex Arnaldo retulimus. Quod si ex vteri calore immodico, abortus contingat (quod raro euenire aduertimus, quoniam calida, in temperantia, raro ægrotat vterus, vt notat Sauanarola, & cum ægrotat, frequētius sterilitatem, quam abortum inducet) succurrendum est, frigida victus ratione: & ad vteri regionē imposta portulaca, rosa, viola, myrto, & malua. Hęc enim inter frigida, vtero sunt accommodata: Ijs vero, quę propter matricis lubricitatem, solēt abortire, (quod magna ex parte, secundo, ac tertio mense, contingere solet, ob pondus fœtus, qui

Hoc frequenter contingit.

Emplastrum prædictum a Gaspar Santa

Curatio pro  
humiditate  
vteri.

qui iam augetur: solentq; tales, menstruum tenue, & aquosum, habere, & interdum profluuium humiditatum albarum, & laxitate obscenarum partium laborare) ante conceptum subuenire debemus. Sumat autem curatio principium, à syrupo sequenti, quin quies sumpto. R. mellis rosati colati, syrups de stœchade, & de duabus radicibus, ana vnc. ß. aquarum arthemisie, fœniculi, & hyssopi, ana vnc. j. misce & aromatiza, cū gariophyllis & macere. Deinceps purgetur cum pillulis fœtidis, aut cum bene dicta, aut cum sequenti pharmaco. R. agarici, drach. ij. zinziberis, scrup. ij. infunde in aquis betonica, arthemisie, & buglosi, cola cum expressione, & adde benedictæ simplicis, drach. ij. ß. electarij indi, drach. ß. mellis rosati colati, vnc. j. ß. rasuræ eboris, drach. ß. fiat potio. Die sequenti expurgationem, recipiat lauatiuum ex vncijs octo decocti cicerum, & vncia vna sachari rubei: & sumat per os quod sequitur. R. mithridati, scrup. iij. conseruæ buglosi, drach. ij. sileris montani, & rasuræ eboris, ana scrup. ß. misce. Deinceps intestina, quatuor diebus mudentur sequenti clystere, ex Auicenna. R. origani, sabinae, ameos, leuistici, anethi, chamæmeli, rutæ, hyssopi, & fœnugræci, ana Pug. j. aquæ, lib. ij. coque ad cōsumptionē medietatis, cola, & de colatura. R. vnc. x. olei de gummi arboris pini (pro quo sume oleū de cheiri) & olei sesamini, ana drach. vj. fiat clyster. Deinceps, ad vteri mundationem valet pessum, ex mercuriali contrita, & filo ligata: Et aliud, ex drachma vna mithridati, & granis decem mastichis, permistis & ligatis in linteo raro, & filo appendi debet, vt extrahi possit. Et vbi fortiori opus est medicamēto, vtero per syringā, infundendum est oleum de lilio, cum virtute colocynthidis: est enim mirabile, ad lubricitatem humidam matricis: quod ita parat. Aëtius, colocynthidem magnam, super ne incidito, & seminibus eiectis, ac dimissa medulla, oleum yrinum infundito (aut de lilio, ex Auicenna) & cum defecta particula, colocynthidem operito, & per diem ac noctem madescere finito, deinde feruenti cinere coquito, ac oleum excolato, & hoc tepidum, in vuluam injcito: hoc enim multas steriles, fœcundas fecit, eucta ex aluo pituita, quæ conceptum aut impendiebat, aut ex aluo præcipitabat. Post vteri emundationem, vterus est roborandus, & reliquæ humiditatum exsiccandæ. In quem vsus, thermæ sunt vtilissimæ, præsertim de albama, quoniam sunt chalybeata. Balnea quoque profunt, adhunc modum domi parata, ex Matthæo consilio. 74.

Matthæo consilio  
fol. 57. 74.

R. absinthij, matricariæ, origani, calamenti, ana M. j. ß. sulphuris, vnc. iij. bulliant in quatuor situlis aquæ chalybeata, & sedeat ad vmbilicū vsque, in huiusmodi decocto calido, octo diebus, quolibet die semel, ex gentile in suis consilijs. In balneo vero, sumat theriacæ magnæ, drach. ß. aut mithridati, siue aureæ Alexandrinæ, drac. j. cum duabus vncijs aquæ arthemisie, aut drachmam vnam pulueris, ex interiori pellicula, ventriculi gallinarum, & spolio serpentis, apud Arnaldū. Post Balnea, & etiam balnei tempore, debent vtero adhiberi olea calida, odorifera, inuncta exterius, & iniecta interius, & pessis imposita. Fiat inunctio ab vmbilico infra, cum mistura sequenti ex Matthæo. R. olei de lilio, olei spicæ, & adipis anserini, ana vnc. j. ß. castorei

Castor Robor  
vteri.

castorei, gran. iij. croci, gran. ij. misce. Et subdatur pessum sequens, ex Auicenna. R. spicæ, croci, mastichis, miua cotoneorū, galliæ moschatæ, castorei, bdely, myrrhæ, maceris, ana drach. iij. olei nardini, aut adipis anserini, quantū sufficit, misce, & excipe lana agnina, quæ sit mollissima. Sequētē quoq; clysterē tribus diebus vtero adhibet Auicenna, quo robur ei conciliet. R. corticum thuris, & cyperi tritorum, ana. vnc. iij. myrrhæ, vnc. j. ß. aquæ, lib. ij. ß. coque donec remaneant vncia tredecim, & quolibet die, è tribus indantur vtero, quatuor vntiæ. Quibus remedijs mirum esset, si mulier non curetur: quod si neque his cedat affectio, nō præmittatur china decoctum, aut lignum sanctum, aut aspera smilax, in absumēda enim humiditate corporis superflua, magnas vires obtinent. Post hanc curationem, mulier curet imprægnari, & per viginti dies, ante & post tempus, quo abortire solebat, ad auroram sumat pillulas sequentes, ex Mōtagnana, consilio. 223. R. thuris, drach. j. charabe, scorriæ ferri, acatiæ, ana scrup. ß. puluerizētur seorsum omnia, & cum miua cotoneorū, formentur pillule. Aut sumat omni aurora, dactylum assum, plenum aliquo puluere adstringente, adhunc modum. R. mastichis, thuris, ana drach. ß. sanguinis draconis, granorū myrthi, boli armeni, grani tinctorij, ana scrup. ß. tere, & de hoc puluere R. drach. j. & pone in dactylo exosso, vino madescat, & inuoluatur papyro madido, & parū affetur sub cineribus. Si vero ob vteri paruitatē, & exiguitatem, periculū instet aborsus, fotibus & vnguentis relaxantibus est vtendum, semel aut bis, in septimana (nam si semper eis vtare, laxando facient abortire) quibus oportet miscere, quædam leuiter adstringentia. Fiat ergo fotus, ex decocto sequenti. R. radicū althææ, & liliorū, ana lib. ß. florū chamæmeli, & rosarū, ana vnc. j. coque in aqua. Inungatur post fotum vnguento sequenti. R. adipis anserini, lib. ß. olei sesamini, vnc. ij. olei mastichini vel lentiscini, vnc. j. styracis calamitici, vnc. ß. misce. Cauere autem oportet, ne ante tempus marito locentur, ne vterus præ paruitate, puerum capere nequeat: ne ve mulier præ impotentia pariendi pereat. Hic vero medicos monitos velim, ne in detestandum errorem, ac peccatum incidant, delusi medicorum libris, qui huiusmodi prægnatibus aborsum procurant, vt Aëtius, serm. 4. 4. tetrab. cap. 16. & Auic. 21. 3. tract. 2. cap. 12. & Hippocrates. 2. Epid. parte. 2. senten. 13. nam Hippocrates, suo iureiurando non stetit, vt constat lib. de genitura, vbi puellam psaltriam fecit abortire.

Ad febres & ægri tudines prænantium  
validas. C A P. III.



Vbiæ sunt curationis dispositiones, quæ prægnatibus contingūt, in quibus nonnulli medici, à fortibus medicamentis abstinēt, vt phlebothomia, & ceteris, famæ suæ metuentes. Alij hac spreta, ysdem fœlici successu vtuntur. Alij vero prægnationem ignorātes, multas curarunt, quas forte conscij facti, interimerēt. Inter quos



quos Zoar, lib. 2. tract. 3. cap. 1. uxori suæ prægnanti (rei inscius) pharmacum forte tribuit, cui sine abortu cessit feliciter. Media ergo via tutissima est, ubi aliquid semper, prægnationi condonamus, non tamen plurimum admodum, ubi morbus vehementer efflagitat. De qua re libro de vacuandi ratione, cap. 15. & 16. egimus abunde: ubi febrem inter abortus causas posuimus, in qua venam interdum tūdendam esse, ob præcautionē ab abortu (secus ac docuerit donatus Antonius, in opusculo ad id dicato) scripsimus.

## Ad pedum in prægnatibus tumores. Cap. iij.

EXimios pedum tumores, discutit (apud Paulum lib. 1. cap. 1.) creta ex aceto illita, alumen etiam cum aceto, pedum etiā lotio ex decocto citrij, præsertim si ad datur sapo, spongia insuper noua stricte deligata. Ego vero ab huiusmodi præsidijs abstineo, ne dum à pedibus diuerto, in fœtum, aut principem aliquam partem, vertatur humor.

## De pica morbo. Cap. v.



**I**C A est in grauidis languor ille, & mollities dissoluti, & vtilia fastidientis stomachi, in quo varia & peregrina appetunt, stomachusq; exundat, & continuis vomitionibus, spūto crebro, & ventriculi rosione lacebitur. Traxit autem nomen apud Arist. 7. lib. de hist. anim. cap. 4. ab auis picæ vario colore: aut quoniam eo morbo laborans, perinde mutat appetentiam, ac pica loca: aut quoniam varia, hæc auis, prægnationis tempore, solet appetere, apud Paulum lib. 1. cap. 1. κίττα etiam Græcis non modo picam, sed hederam significat, quæ vt obujs hæret plantis, ac lapidibus: ita hoc morbo laborans, omni hæret obuio alimento, vt scribit Aëtius, lib. 16. cap. 10. Solent autem mulieres, quæ vtero gestant, vsque ad sextū dum & tertium mensem, hoc malo corripī, apud Gal. 1. lib. de causis sympt. cap. 7. & apud Aëtium à quadragesimo cōceptus die, quo fere incipit, in quartū vsq; mensem, in quē durat. Quo tempore varia appetunt, interdum esculēta, quæ ante prægnationē non appetebāt, nec vnquā gustarunt, acida, acerba, acria, vinosa, aliās extranea & sordida, quæ nullus mentis cōpos amet: lutum (inquam) cimoliam terram, gypsum, vrcea figulina, calcis è parietibus frustra, carbones, cineres, & alias etiā vitiosiores rerū qualitates. Vnde Gal. 1. de causis sympt. scribit, quod sicut in fame canina, aberrat appetēs facultas, circa quantitatem ciborū, ita in pica aberrat circa qualitatem, aut speciem eorundem, cum acida, acerba, acria, & extranea, quæ hominū cibus non sunt querit. Huius certe mali causa est, quod cum fœtus, ex vtiliori menstrui parte alatur, impurior & intemperatior, quæ superest, ad vētriculum delata, hoc malum parit, & suam ipsi inducit intemperiem: donec frequentibus vomitionibus, quibus prægnantes infestari solent consumitur: aut fœtus grandior pluris alimenti indigus, impurum

impurum etiam alimentum exhaurit, & ad propriam nutritionem assumit. Dubitant autem, an in pica morbo, simile, an cōtrarium, expetat vētriculus? quidam hoc, alij illud contendunt: cum tamen horum neutrum, perpetuum esse queat, nam si vniuersam ventriculi substantiam peruaferit humor, omniq; eius parti, intemperiem cōmunicauerit, similia humori expetit vētriculus: quoniam licet morbus non sit factus, est tamē velut factus, quoniam æqualiter humor, omnes mēbri partes peruasit, in quē sensum phrenitides quasdā, factas appellauit Gal. 2. Prorrhet. com. 33. Si vero humor, non vndiq; penetret, ventriculi substantiam omnem, ipsi potius humori cōtraria expetuntur, quoniam ventriculi partes, quas huiusmodi humor non peruasit, sanitatem affectant, & humori sibi vicino cōtraria expetūt. Libro namq; artis medicinalis, cap. 63. Gal. ita scribit. Male vero temperatura, quæ morbi ratione, ventriculū occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam cōtraria, non autem similia appetunt, quenadmodum naturales. Nec obstat, quod si pica omnis, morbus est, isq; abigēdus, contraria potius, quam similia expetere, semper debet vētriculus. Non obstat (inquam) nam quatenus factus est, eatenus cōnaturalis quodammodo est redditus: obidq; in similis sibi appetitum inclināt, potius quam in contrarium. Anceps ergo iudiciū est in pica morbo, quod ex appetitu sumitur, vt humoris qualitatem, ac speciem dignoscamus, siquidem ex maiori, aut minori imbibitione, simile, aut contrarium, expeti potest. Et cū simile expetitur, non similis qualitatis ratione, semper expetitur: sed alterius contrariæ, quam natura nouit: Quod voluit Auicēna. 13. 3. cap. 17. in hæc verba. Quapropter accidit in quibusdam, appetitus luti, immo carbonum, terræ, & gypsi, & rerum huiusmodi generis, propter qualitatem quæ est in eis exsiccantem, & incidentem, contraria qualitati humorū. Et eodem capite: Nā si appetit pingua, tum illic est stypticitas, & spissitudo, & siccitas: & si natura abhorret cibos calefacientes, & declinat ad frigidos, propter frigiditatem ipsorum, tunc est illic caliditas: & si appetit calefacientes, tunc illic est frigiditas: & si appetit incisua & acetosa & acuta, tunc illic est humor viscosus. Non ergo ex appetitu acetosorum, aut fœtidorum, acetosos humores, aut fœtidos, nec eis contrarios dignoscere possumus: sed qualitatem aliquam contrariam incisiuam, aut aliter conuenientem, humoribus in vētriculo contentis. Quare ex vomitu, & alijs inditijs, peccantē in hoc morbo humorē, potius quam ex appetitu venabimur. Qui vbi innotuerit, mundandus est, leuibus vomitionibus, ex aqua calida, aut sola, aut cum oximellite, aut cum decocto raphani, quoniam eo natura repit, & humorem nocuum propellit. Non est autem opus pharmacis expurgantibus, tum quoniam vtero gerētibus raro conueniūt, tum quoniam primis tribus mensibus, quibus hic morbus magis affligit, uexus, & copula infantis, sunt tenerrimæ, apud Hippocratem & Galenum. 4. lib. Aphor. sent. 1. Si tamen morbus non cedat, & expurganti aliquo opus esse videatur, laudantur sequentes pillulæ, Gaynero expertæ. R. croci, cinamomi, spicæ, schœnanthi, ligni aloës, xilobalsami, ana drach. j. mastichis, dr ach.

drach. ꝑ. bdelij, gummi Arabici, ana drach. j. ꝑ. aloës hepatici, drach. ij. ꝑ. formetur massa, cum syrupo de absinthio, mundat enim omnes prauos humores ventriculi, citra abortus periculum: quoniam menses mouentia, corriguntur mastiche, bdelio, & gummi Arabico. Valent etiam drachmæ duæ sequentis pulueris, in sero caprino, aut iure, aut vino, prout plura, aut pauciora, caloris inditia notaueris. R. foliorum sene, ꝑnc. j. mastichis, drach. j. maceris, croci, cinamomi, ana drach. ꝑ. diagridij, scrup. j. tartari, drach. vj. fiat puluis. Valet etiam apud eundem, sumere à drachmis tribus, vsq; ad vnciam vnam, pulueris tartari, qui si in suis ferculis (inquit) bulliat, gratissimum reddetur, & lubricum ventrem seruabit. Post vacationem, quolibet mane, ieiuno stomacho: & etiam post cibũ, iubet Auic. 13. 3. tract. 2. cap. 11. masticare cum minimum, & ammeos: aut sequentem puluerem. R. cardamomi maioris, & minoris, & cubebaram, ana drach. ij. sachari albisimi, drach. vj. fiat puluis, de quo sumatur cochlear, desuper bibendo vinum, aut alium liquorem conuenientem. Initio mense edat cappares, in fine vuas passas, & oliuas, in medio vero, electas aues assas, inter quas valde commendantur palumbi, sicut inter salsamenta sinapi. Bibat vinum, aut aquam cinamomi, paneq; vtatur, cum anisi, aut fœniculi granis subactõ: qui si sit biscoctus, laudabilior erit: fere enim semper exsiccare, in hoc morbo conuenit. Extra vero, ventriculus est roborandus, oleo mastichino, & de spica. Valet etiam oleum gariophylorum, & quod de abeto, ex noua affertur Hispania.

Quid nono gestationis mense, sit faciendum.

C. A. P. VI.



**P**OSQVAM mensem nonum attigit, quæ utero gestat, curare summopere oportet, vt facilis partus sibi paretur. Opus autem habet aere temperato, ad calidum inclinãte: Exercitium, & maxime partium infernarũ, & earundẽ frictio conducit ipsæ. Coitu vtatur frequentiori. Nuncientur sibi faciles partus, aliarũ quæ masculos pepererunt. Cibis emolliẽtib; reficiatur, iure pingui, gallinæ & castrati, in quo coquantur semina cotoneorum, ligata in linteo raro: Blito aut spinachia, iure gallinæ parata: Ad initium mensis, vna pensili, caricis, butyro vacino cum sacharo, & tela quæ lacti cocto innatat, postquam refrixit: Ad finem vero, dactylis, & duraciorum carne condita. Cenæ initium sit lactuca, aut borrago, aut betta, cocta in iure gallinæ pingui, cum oleo amigdalorum dulcium, & sacharo, carnes edat laudatas, abstinẽat ab omni pontico, & styptico, & acetoso. Vtatur emollienti clystere, ex iure gallinæ, cum eiusdem pinguedine, oleo de lilio, & sacharo. Administretur balneum tepidum, ad calidum inclinans, ab vmbilico infra, aut fotus (qui securior est) per spõgias, aut filtros adhibitus, ex decocto maluæ, maluauisci, chamæmeli, seminis lini, meliloti, adiantbi, & capitis castrati. Post fotum vero, in-  
gatur

gatur, oleo de chamæmelo, anethino, de cheiri pinguedine gallinæ, anseris, medulla vituli, & huiusmodi, per sex aut octo dies ante partum. Suppositorium ex cotto, oleo sefamino, & pinguedine gallinæ imbuto, moscho & ambra puluerato, vtile est. Vtilia quoq; sunt suffumigia odorata, ex moscho, ambra, cinamomo, & ligno aloës, frequentius subdita, in quæ vsus, vtilis sunt sequẽtes pastilli, quos nostrates, pastillas parũ corrupto vocabulo appellat. R. laseris odorati, drach. ij. galliæ moschatæ, cinamomi, gariophyllorũ, foliorũ lauri, ligni aloës, ana drach. j. fiat puluis, & cum syraxe liquida formentur pastilli, viuis carbonibus inspergendi. Vtilissimus est suffitus humidus, in forma vaporis, cum itur dormitũ, acceptus ex decocto casie, nardi, spicæ celticæ, arthemisicæ, iridis, sabinae, dictamni, pulegij, calaminthæ, & lauri, aut istorum quibusdam.

Quid partus tempore sit præstandum. Cap. vij.



**M** iam partus instat, stercus & vrina primitus vacuentur clystere emolliente, aut balano, quo libentius vtor, & si lapidẽ in vesica habeat mulier, per catheterẽ, aut cereã cadelam, a collo vesicæ, in fundum transferatur. Deinde inungatur venter, & pudenda, perinaũ, & ossa caudæ, pinguib; dictis, nã eas partes dilatare, ad meatus amplificationem oportet, & summẽ cauere, ne intervingendũ, frigore dictæ partes percutiatur. Ab vnctione sumat cõsumatum, aut ius gallinæ pinguis, in quo coquantur phasioli, cicera nigra, & fœnu græci semina, cum multo puluere cinamomi tenuissimẽ cribrati. Valent etiam vitelli, cum cinamomo & croco, vinum odorum paucum, desuper potando. Regimen enim resumptiuum, est necessariũ, propter vehementẽ resolutionem ex dolore. Deinde ex Auicenna consilio, sedeat paritura, per horam vnam, extendens pedes suos inferius, vt per hoc appetur fœtus, ad descendendum, & se conuertendum versus os matricis. Deinde resupinetur super dorsum suum hora vna, aut dimidia ex valesco, vt fœtus quiescat, à labore conuersionis, in qua, si fœtus non fecerit similitudinem descendendi, surgat subito, & ascendat gradus, & descendat, & voce alta clamet, vt ad exitum moueatur fœtus. Anhelitum interdum contineat, vt infra feratur, & fœtum eo reprimat. Ilia fricentur, & comprimantur, ad expellendum fœtum. Sternutamenta prouocentur, hæc enim iuuant compressione partium ventris, & concussionem infantis, & excitatione expultricis facultatis. Et postea obstetrice, iterum inungat partes dictas, & digitis suis osculum matricis diducat quantum potest. Hali vero, commendat sui viri cum ipsa congressum. Quod tamen cum inhonestum, ac indecorũ eo tempore sit, decentius, ac vtilius vtemur, ex Gordonio pessõ sequenti, ad diducendum matricis osculum. R. byssopi radice, lilij, origani, calaminthæ, ana drach. ij. terebintinæ, ꝑnc. j. misce, excipe lana, & subde. Et fumum recipiat ex vngula muli, aut nasturtij semine, aut myrrha. Ore vero sumat mellis, & olei sambucini, idest de jazmin, ana ꝑnc. j. decoctionis adiantbi, ꝑnc. ij. pulueris dictamni, drachm. j. r mista

Collige quae male fuerit q' ante ipsi in sella collocantur, aut decommuniato eas  
 de pueris. ca sedetis p'm de inde cecubantes resupinas vna auraltza sora ante partu  
 constituenda esse, et iam ad ultimum **Tractatus secundus**  
 ad secundina mista. Cauere vero oportet, a fortioribus medicamentis, & antidotis, fœtu viuo exi  
 fante, ne ipsorum violentia intereat. Vnde merito displicuit Valeſco, Auicēnae præ  
 ceptum, quo dixit, quod omnes medicinae, quae educunt vermes, sunt ad partum vti  
 les. Multae enim ex ipsis, fœtum interficerent.

Cum autem fœtus descendere incipit, & vteri os aperiri, dolores augentur, secun  
 da apparet digitis occurrens, & humiditates copiosius manare percipiuntur: tunc  
 non ante, in sella locetur ad pariendum. Tria enim comoda, ex hac mora sequun  
 tur, Primum, quod infans non tentatur eijci, ante integram conuersionem sui. Se  
 cundū, quod vires, tum matris, tum etiā fœtus, integræ ad hanc emissionis horam ser  
 uantur. Tertium, quod nec loci, ab aëre externo refrigerantur, nec aqua ante tēpus  
 vacuata, in superfluis conatibus, partum siccum reddit. #

Ea autem figura, pariens situanda est, quae opportunior, praesenti partioni videbi  
 tur. Si mulier enim talis sit, ut leui occasione, eius vterus soleat extra laxari, &  
 extra corpus procidere, melius est, ut pariat decumbens in lecto supina. Praecauet  
 autem Gilbertus Anglicus, huiusmodi infortunium, imposito panno ad anum, in mo  
 dum pile oblogae, qui fortiter in quolibet conatu comprimatur. Nostrates vero fœ  
 minae, ad id, nō incōmode vtūtur pistillo ligneo. Alias vero, melius parit erecta, &  
 è collo alterius fortis fœminae suspensa, aut manibus contra lectum, aut mensam ini  
 tens, ita ut sit sufficiens spatium, pro obstetrice pueri susceptura. Quae sane figura,  
 tūc est opportunior, cū pueri caput, versus mulieris posteriora fertur. Interdū pro  
 na figura, more quadrupedum, est conuenientior, ita ut caput mulieris, firmetur su  
 per pauimentum, & venter super fœmora, & genua sua. Quae figura, in muliere mul  
 tum pingui conueniens est: sic enim (ut inquit Aetius) vulua delabens, cervicē recta  
 extendit: & Paulus, vulua sic ad abdomē tendens, è directo ostioli habebitur: sic etiā  
 vteri os agitur infra, & omentum supra reprimitur, ita ut os vteri, iam non com  
 pressum ab omento, sed ab eo liberum, aditū infanti facilē dare possit. Supina vero  
 figura, quae in sella fit, minus grauis est parieti, nā à viro forti, retro existēte sustine  
 tur: in qua fœmina pedibus inniti debet, & dorso, nō natibus, aut cauda, hęc enim li  
 bera relinquēda est, ut retrocedere possit. Ita nāq; ossa caudae, cū osse sacro articulā  
 tur, ut reflecti possit cauda, in partē exteriorē, & foramen sic latius reddere, in ex  
 pulsione infantis, & duræ fecis. Vnde si mulier inniteretur natibus, nec cauda re  
 trocedere posset, nec fœtui liber aditus daretur. Qui sane error frequentissimus est,  
 & maxime vitandus. Interdū vero adeo imbecilla mulier est, & ex febribus, alijs  
 quae morbis exhausta, ut lecto discumbens, parere tantum, & possit, & debeat.

Docta ergo, & experta eligatur obstetrix, quae vnāquamq; mulierē, ea situatione cō  
 situat, quae maximē infatis caput, ad vteri osculū facit appropinquare. Lōgos & gra  
 ciles digitos habeat, vestibus suis spoliatur, ne ab ipsis impediatur, lintea calida im  
 ponat vteri, nuca, & dorso parietis, & manus ac partē brachij sibi inūgat oleis de li  
 lio, sesamino, & de amygdalis dulcibus, ac pinguedine gallinae, quas suauiter immitat  
 tangendo,

Quid vterq; soler  
 foras capere q' no  
 faciendum  
 nodq; parienti  
 inquis mulier  
 melius parit

Qualis obstetrix

tangendo, & mouendo, ac reducendo fœtum, ad hoc ut facilis fiat partus, & omnia lo  
 ca intus, & extra inungat. Neq; vero obstetrici permittendum est, ut vterum diu  
 tius dilaniet, sed placide, leniter, ac citra compressionem, fœtus caput, recta ad oscu  
 lum dirigat, os pectinis eleuet, & pingua dicta, sine intermissione affundat. Tunc  
 ergo, parientem moneat obstetrix, iubeatq; spiritum detinere, & ad inferiores partes  
 propulsare, nō ut imperite aliquae faciūt, in gutture cōgregare. Inde enim ut Aetio  
 placuit, plerisq; gutturis tumor, & vasorū eius loci dilataio cōtingit, quae affectio  
 penitus incurabilis existit: inde oscitatio in parietibus, lethalis esse perhibetur. Spiri  
 tū ergo infra agunt, respirationis detentio, & ad inferiora voluntaria propulsatio di  
 cta, oris apertio dum inspirant, & magna item per nares aëris inspiratio, clamor  
 magnus, ac subitus: nam quauis clamor, fiat aëre expirato, ob vehementiam tamen,  
 ac celeritatem, bona pars aëris concussi, infra cum violentia pellitur. Sternutamen  
 tum quoq; & vomitus (tunc praesertim adhibendus, cum prona mulier parit) spiritū  
 magna vi ducunt infra. Non est autem inutile, sacculos duos, ex cotto factos; aqua  
 rosea madentes, oculis imponere, & linteo ligare, ne praevaleat expressio, atq;  
 dolore, oculi exprimatur, & exerti postea perseverent: quod in partibus frequen  
 ter contingere, notauit Paulus, lib. 3. cap. 22. & nos nobilem quandam nouimus,  
 quae in partu oculum amisit, praevaleat expressio. Interim vero, ad bonam spem,  
 est persuadenda, quod cito leuabitur, & pariet masculū. Et reficienda est consumma  
 to, aut iure pinguis gallinae, superius dicto, aut oui vitello, & pauco vino odoro, aut  
 pane tosto, ex vino hippocratico. Sitis tamen pro posse est tolleranda, ex Auicenna,  
 nam parientes si sitiant, plus aëris respirat, & infantes ipsi, siti matris incalescētēs,  
 & anxij, respirationem magis optant, & exitum quaerunt. Suffitus odoratus, ex pa  
 fillis superiore capite recensitis, est infra ministrandus. Naribus vero, fetida admo  
 ueatur, nisi virtus sit debilis, aut mulier delicata, plurimum enim fetida, prosternūt  
 virtutem. Quare in partu difficili, iubet Auicenna, odorare odores delectabiles, in  
 quantitate parua, ut nimirum virtus reficiatur, quae per partus difficiles, solet exol  
 ui. Neq; timere oportet, additionem difficultatis partus, ex odoratis, modice praeser  
 tim adhibitis, quod multi timent: quoniam vterus, infantis mole grauatus, difficile as  
 cendit, ut voluit Gordonius. Per interualla ergo odorantur, nunc fetida, nunc bene  
 olentia: nam vteri ex fœtu degrauiatio, facit ut fetida magis prosint, ob facilitatē  
 descendendi: bene olentia non obsint, sed virium etiam adiectione, sint admodum  
 vtilia. Inter male olentia vero, tutissima est ruta, & inter bene olentia, vinum mos  
 chatum, aut aliud gratum, & bene olens alimentum, quod prope nares parientis, de  
 regi, & diuidi debet.

Quod si partus, adhuc sit refractarius, & periclitetur extinguī, valētiora quaedā,  
 tūc sunt adhibenda: nullū est melius, apud Rasium, quā cinamomū, & myrrha mi  
 sta. Valēt etiam, cardamomi puluerati, gran. xvj. quauis pruritum, & calorem in  
 fenant. Valēt etiam, arachmae tres sequentis pullueris. R. cardamomi, & myrrhae,  
 r 2 ana

Scitatio le fal  
 nra nra  
 Optima  
 Siti biland  
 Gladoban  
 odorata & m  
 olentia  
 Si Re lader  
 partu



ana drach. vj. cinamomi, drach. viij. fructus sabinæ, drach. x. Valet etiã sumere croci, drach. ij. Vtile quoq; est medicamentum vsuale, quod. R. corticum casie fistulæ, vnc. iij. bulliant in vino albo tenui, vsq; ad consumptione medietatis, cola & propina cyathum vnũ, mistum cum iure cicerum, & scrup. j. cinamomi: nam nõ modo in vocata canela, sed & in casie fistulæ cortice, hãc vim nouerunt Arabes. Valet etiã opobalsami, drach. ß. in vino tepido sumpta, nec timere ex eius sumptione sterilitatem in posterum oportet, quod multi timent, nam Gaynerus adfert experimentum in contrarium. Efficacissima est etiam, chrisocola argentariorum (quam borracem vocant) pondere drachm. e, cum tribus vncijs vini, aut decocti sequentis, quod decoctũ si sine febre est, debet pariens frequẽtius assumere. R. sabinæ, arthemisia, ana. M. j. coque in aqua, cola, & de hac decoctione. R. lib. ß. vini albi, lib. j. aromatiza cum vnciã vni cinamomi. Valet etiam quod sequitur. R. aristolochiæ, myrrhæ, piperis, ana drach. ß. vini hippocratici, vnc. iij. misce & bibat. Quoniam autem omnia hæc medicamenta, calida sunt, ideo vberiori potu lactis muliebris, post eorũ exhibitionem uti prestat: præter id enim, quod calidorum medicamentorum vim retundit, magnam vim in expellendo fœtu habet, & est remedium tutissimum, & clementissimum, ex Arnaldo, & Paschaliõ. De commotione autem parientis, iubet Paulus, mouere parientem sella, in aere calido mediocriter. Gilbertus vero, statuit mulierẽ in sindone, in qua potius videatur sedere, quam iacere, & tunc ab oppositis quatuor angulis fortiter trahitur sindon, & agitatur pariens circumquaq;. In hac tamen parientis commotione, parum fidit. Auicenna. 21. 3. tract. 2. cap. 25. Cum hæc omnia prouideris, alia quoq; quæ autores commendant, quauis aut frustranea, aut parum efficacia videantur, non sunt omittenda. Qualia sunt, quod pariens cingatur corrigia ceruina, quia habet occultam vim iuuandi partum. Et quod penna vulturis, aut aquilæ, subiecta pedibus parturiẽtis, idem facit. Et quod teneat in lecto, lapidem fulguris. Et ex Auicenna, quod pariens teneat manu sinistram magnetem, quẽ alij alligant coxæ. Alij styracem rubeam, alij nucem ex croco trito coxæ suspendunt, ut cito, & sine dolore pariat. Veter quoq;, & umbilicus, inũgantur birundinibus tritis, & oleo dissolutis. Aut fiat inũctio, cũ cinere ungulæ asini, quod est vltimum apud Auicennam. Cauent præterea, ne in domo parientis habeantur pyra, neq; recentia, neq; condita, nã proprietate quadam inquirunt, quod prohibent vuluã aperiri. Cauere præterea oportet, ne in domo parientis, adsint mulieres maleficæ, & incantatrices, ut admonet Gaynerus. Et idẽ ipse, cauere iubet, ne inũgatur veter, emplastro Auicennæ, ex medulla colocynthidis, myrrhæ, & succo rutæ, nec similibus alijs, ne interficiãt fœtũ. Opiata quoq;, quibus omnes vtũtur autores, ego sumopere vitãda iudico. Reliquiæ sanctorũ, & Agnus Dei (ex cera nõua alba, & balsamo, & chrismate) a summo põtifice cõsecratus, magna veneratione, è collo parientis suspẽdatur. Sacra multa, ibi legãtur, inter quæ, beatæ Margaritæ historia comẽdatur. In aurẽ vero, inquit Sauanarola, hæc verba dicãtur. Memẽto Dñe filiorũ edõ in die Hierusalẽ, qui dicũt exina-

potius ad factũ  
fãdus gubũ

ac muliebre  
ad facilitãdũ  
parũ.

regia ceruicũ  
albe a mulierũ

exinanitẽ cũ oratione dñica ter recitata, hæc tamẽ, & similia, sine cõsultatione theologorũ, non admittãtur, superstitiosa enim omnia, prorsus vitari debet, qualia sunt apud eundẽ Sauanarolã, quod suspẽdatur è collo parientis, psalmus Dixit dñs, scriptus in carta nõ nata, & quod debet suspẽdi per virginẽ, ter recitantem dñicam orationẽ. Pessima autem sunt verba, ab Arnaldo recensita. 3. lib. breuiary, cap. 4. & nulli Christiano dicenda. Sicut nec ea, quæ scribũtur libro Galeno adscripto, de facile parabilibus medicamentis, in hæc verba. Pulegy fasciculũ, in aquã calidã mittito, in eãq; mulierem desidere iubeto, ipsiq; in aurem dicitõ, Chum, can, min, duns. Et deberent medicorum libri, ab his, & similibus multis expurgari.

Causam autem difficultatis partus, & medicus, & obstetrix, diligentissime perquirant oportet, ut pro causæ ratione, remedia instituantur. Siquidẽ vteri osculũ non aperiat, subueniendũ est, ut supra diximus ex hali, & gordonio. Si ob inflãtationem vero fuerit conclusum, nihil violenter agendum est, sed infusionibus pinguibus large vtendũ, in seccionibus, ac irrigationibus, & cataplasmatibus, quo inflãtatione aliquatenus sedata, & osculo dilatato, fœtus educatur, ut docet Aetius. Si caro autẽ, aut tunica, collo vteri fuerit adnata, aut clausa mulier sit, quidquid impedimẽto fuerit reseccetur, & administretur incisio, iuxta Auic. præcepta. 21. 3. tract. 4. cap. 2. & 3. Si frigore vero, paries fuerit densata, balneũ, aut fœtus calidi, & relaxantes adhibeãtur. Si vires vero, aut parietis, aut fœtus, sint imbecillæ, ita ut nec mulier parere, nec fœtus nasci valeat, non subito, sed ante tempus partus, sunt reficiendæ, consumato, iure pingui, carne pistata, testibus gallinaceorum, ouis sorbilibus, vino odorato. Detur etiam interdum confectio alchermes, aut aliud cordiale ex vino, aut iure. Caro etiã assa, ac bene succulenta, cum ambra, & moscho puluerata, ad umbilicum ponatur: & non constituatur in sella, sed pariat decumbens in lecto. Si partus siccus sit, quoniã ante partum, secunda fuit præpropere rupta, & humiditas prorsus vacuata, aut quoniã senescẽs parere incepit, cũ iã vteri osculũ, & collum obduruit: olea & pinguedines dictæ, largius sunt affundendæ: aut albumina ouorũ, permista cum decocto maluæ, aut fœnugraci, aut cum ptisanæ cremore tepido, ex Aetio, serm. 4. 4. tetrab. cap. 21. Qui etiam, cap. 15. lubricitatem vtero inducit, per ouorum candida tusa. Paulus vero, lib. 3. cap. 76. oua vterum leniendi facultate, prædita esse scribit, vbi non de candido tantum, sed de luteo etiam sibi permisto loquitur. Quod interpretatus est Auicenna, capite vigesimo quarto in fine, vbi ita scribit. Effunde lubricantia, & cerotaria subtilia, & mucilagines in vulua, & adipem liquefactos, & albumen oui, & vitellũ eius, est enim regimen mirabile. Nos tamen, pinguedinibus, quam ouo, aut ptisana, libentius vtimur: aut sequentem clysterem, per syringam, aut cannam, collo vteri longiorem infundimus. R. lactis vacæ, vnc. iij. pinguedinis porcine, vnc. ß. mucaginum lini, & radicis althææ, ana drach. ij. misce, & vtero inde. Si canna autem, aut syringa, noluerit vti, apprehendat obstetrix os vteri manu dextra, & immitat digitos manus sinistrae

Causa defu-  
p. 126

nistra extēfos, secundū lōgitudinē, per ipsum vteri os, ita vt sinistra possit inycere pingua dicta, inter manus obstetricis: quibus omnia quæ attingit perunget. Est autē constituenda supina, capite depresso, & pulumari nates sunt eleuandæ, ad hoc opus peragendum. Si vero secunda non rūpitur, aut vngue, aut scalpello, rumpi debet, ita vt puerū nō attingat. Debet autē obstetrix, manū sinistra primo indere, & postea dextra scalpellū immittat, acie inter digitos manus occultata, ne vterū ledere possit. Si vero partus difficultas sit, ob pinguedinē, aut vteri tumorē præternaturā, aut quoniā lūbos cauos, & vterū cōprimentes habet: pariat prona, vt dictum est, & reliqua omnia adhibeātur, ad pariendum vtilia. Contingit etiā nonnunquā, vt fœtus pluri sanguine abundet, ob idq̄ in magnam molem crescat, & postea ob magnitudinē exire non possit: quibus cum magna vtilitate sanguinem ex pede detraxit Rondoletius, & est casus frequens, maxime aduertendus: nam plethora, tā matris, quam fœtus, difficultatem partus, frequenter inferre posse, dubium non est. Si vero aut fœtus, in se sit admodum magnus, aut vterus paruus (in idē enim hæc duo recidunt) pingua intus, & extra admoueantur, os vteri dilatetur digitis, & fœtus violenter extrahatur, reliqua etiam generalia dicta adhibeantur, & domini nostri Iesu misericordia imploretur. Consiliū enim Aetij, de magno fœtu diffecando, dum adhuc viuūt, etiā pro saluanda vita matris, impium est. Primo, quoniā multi præter sp̄ saluātur. Secundo, quoniā non licet Christiano, vnum interficere, pro saluanda vita alterius: vniuersalē enim veritatem habet, proloquium illud theologicum, nō sunt faciēda mala, vt inde eueniant bona. Eadem sunt præstanda, cum partus redditur difficilis, ob magnitudinē capitis, aut thoracis, aut vteris: nō enim debet incidi, dū viuus existit, quātumuis id faciendū esse, videatur Aetio. Ob magnitudinē quoq̄ genuū, si partus sit difficilis: curet obstetrix, leniter fœtū attrahere, manibus suis: & si nō possit, vinciat eū, cū margine pāni linei, ex Auicēna, id est, cō la orilla: & trahat leuiter quibusdam attractionibus, quibus si non cedat, attrahat violentius. Forcipibus vero, tenaculis, aut incisione, fœtu viuo existente nō vtatur: etiā si secus visum fuerit

12 Auic. 21. 3. tract. 2. cap. 29. Vbi regit eos, regimine fœtus mortui. At si gemini, aut tergemini, collum vteri obsederint, reliqui ad fundum vteri repellātur, & is, qui magis paratus videbitur, prius educatur: sic vt omnia sensim, & citra contusionē fiant.

13 Vbi fœtus vero, præternaturam figuratus nascitur: naturalem reddere figuram decet, partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agendo. Et siquidem manum, pedem ve præmiserit, non inde attrahere oportet: magis enim impingitur, vel luxatur, vel etiam abrumpitur: quare digitis humero infantis, vel coxæ admotis, promissa pars, ad cōuenientē locū introducatur. Ad quod etiā valet, manum, aut infantis pedē promissum, pungere: vt dolore illato, partē retrahat ipse. Si vero vnā cum coarctatione, totius fœtus figura mala fuerit, prius ab osculo vteri, in sublime eleuetur, & postea rursus ad osculū, recta dirigatur. Et si in sublime efferri aliter nequeat, eius tūc pedes, capite depresso existente efferātur, & per

eos cōcutiatur mulier. Pessima sane figura, in vtrē est, aut in dorsum, aut in latus, si manus & pedes nascantur simul, aut pedes & caput: huic proxima, cum manus & caput, simul edūtur: hi nāq̄, partus, nisi in rectam naturæ figurā reducantur, sunt exitiosi. Exitiosus quoq̄ est, cū supplex nascitur super genua sua, quare curandū est vt eius crura, tā diu eleuentur, donec caput descendat: quod tamen si fieri nequeat, oportet vt vinciantur eius genua, & attrahantur. Quod si ex voto non succedat, non incidatur, dum viuus est fœtus, quantuncumq̄ id præcipiat Auic. cap. 26.

Ad fœtum mortuum extrahendū. Cap. viij.



BI vero desijt infans moueri, & imus venter matris, magis refriguit, dolor grauis adest iuxta vmbilicum, faciei & labiorū, color liuidus, atq̄ ferrugineus adest, oculi & nasus obstupescūt, & horrent, respiratio emittitur fœtida, & fœtidi ex vtero profluūt humores, tūc fœtū interijisse iudicamus, & valentiora quæ diximus, capite superiori adhibeantur. Pingua intus, & extra,

magna copia infundatur. Vtrē quoq̄, ab vmbilico infra, sequēs ponatur vnguentū. Vng. 2. Vntu. R. decoctionis medullæ colocynthidis, & succi colocynthidis viridis, & succi rutæ, ana vnc. j. myrrhæ, drac. vj. olei de castoreo, & rutacei, ana vnc. ij. coquatur vsq̄ ad succorum consumptionem, & cū cera sufficienti fiat vnguentum. Fumigiū etiā capiatur ex colocynthide sub cathedra, bene cooperta muliere. Valet etiā suffumigium, ex fimo colūbino, & ex stercore accipitris, & ex spolio serpētis, & ex myrrhæ, & ex opopanace, & ex pastillis recipientibus mirrhæ, galbani, & castorei, æquales partes, formati cū felle vacæ: quibus etiā additū sulphur, vtile est. Immittatur in vterū, pennæ gallinarū peructæ sapone. Et ponatur suppositorium, ex radice cyclaminis, trita & cotto inuoluta. Aut. R. succi medullæ colocynthidis viridis, & succi rutæ, ana quantum sufficit, excipiantur lana, & actū calida supponatur. Defectu vero colocynthidis viridis, coquenda est sicca in vino, & vtendū colatura eius, ex Iacobo. Sin autē dictis remedijs, nō pellatur fœtus, ad chyrgiā merito diuertimus, cū Paulo & Aetio. Id primum notātes, mulier, superstes ne futura sit, an minus: & siquidē salus speratur, tūc manū admoliamur, sin cōtra attingi nō debet. Quæ igitur perniciē sui portēdūt, in expugnabili dormiendi necessitate, vt in lethargo sopiūtur, resolute sunt, et vix possūt excitari, ac si excitentur, imbecilliter respōdentes, rursus graui sopore premūtur, ob vapores a fœtu, & humiditatibus corruptis, sursum sublato. Nonnullæ vero, cōuulsionis modo contrahūtur, aut neruis cōmouētur, & tremulæ fiunt, aut alimētum nō sentiunt, id est vt Auicēna interpretatur, prohibētur a cibo, tū per deglutitiōē impeditā ex cōuulsionē, tū etiā ob appetitiā sublatā, ex prauis vaporibus ventriculo impartitis. Pulsus quoq̄, in ipsis, valide inturgescēs deprehēditur, sed lāguidus & imbecillis. Syncopim addit Auicēna, qua frequēter prebēdūtur: at vero, quæ incolumes futuræ sūt, nihil tale patiūtur. Mulier itaq̄ supina, in lecto decūbat, capite declini, eleuatis cruribus, teneaturq̄ vtrinq̄, a peritis ac robustis mulieribus:

Ac primum, due aut tres bucellæ panis, vino mersæ offerantur, ad arcendum ani-  
mi deliquiū, & in ipso opere, assidue facies vino respergatur, ac alis vuluæ per mini-  
strum diductis, inserat obstetrix sinistram manum, cum fortibus digitis collectis pro-  
tensam, per vteri ostium: sic enim vertendum esse, hunc pauli locū, ē libro. 6. cap. 74.  
monstrant, tum Græcus codex, tum Auicenna. 21. 3. tract. 2. cap. 15. Vbi Pauli ca-  
put, ad verbum fere transcribens, ita interpretatur. Deinde aperiat obstetrix, teētū  
colli matricis, & iungat manum sinistram oleo aliquo, & aggreget omnes digitos,  
in longitudinem protensos, & intromittat eos, in os matricis. Ex qua Auicennæ li-  
tera constat, latinam Pauli lectionem, deprauatam, & nullius sensus esse. Manum  
enim contractam, & extenuatos digitos, immittenda esse indicat: quæ præterquam  
quod nullius sunt sensus, cum Græca litera non consentiunt. Nam genitiuus ουινυ  
υινω quod cum genitiuo δευτερον debet coniungi ab andernaco in ουινυυεινυ  
accu-  
satiuum, quod χαιρα accusatiuo annectitur, transmutatur: atq; ideo nullo sensu, ma-  
num contractam vertit. Sic ergo hac manus sinistræ immisione, obstetrix disquirat,  
vbi vncum, quo fœtus extrahetur, defigi conueniat. Idonei vero loci sunt, si in ca-  
put conuersus infans descendit: oculi, aurium meatus, occiput, os, menti pars inferna:  
In thorace, axilla, clauiculæ, præcordia, pectus, vertebrarum articuli, iugulum: In  
cruribus, ossa pubis, fœmineum pudendum. Parte idonea reperta, vncum dextra ma-  
nu immittet, flexu ipsius, digitis occultato: & sinistra manu, per partem idoneam di-  
ctam, leuiter inseret, & vsq; ad vacua transmittet. Huic alter vncus opponetur,  
& ex altera parte, similiter infigatur, quo attractio recta procedat, neq; alteram in  
partem inclinet: deinde æquabiliter trahetur, non solum recta, sed etiam in latera.  
Tutior quoq; fiet huiusmodi, per geminos vncos attractio, forte enim simplex vncus,  
in attrahendo elaberetur, ac fœtum dimitteret, quare si opus est, tertium etiam  
vncum inseret. Postquam vero primi vnci, fœtum inferius traxerunt, remittere ten-  
sionem oportet, vt index, aut alter digitus, pinguedine aliqua illitus, inter vteri os,  
& impactum corpus immittatur, & veluti excoriando, circumcirca ducatur. Id  
quod Auicenna, Paulum transcribens, monuit his verbis. Et oportet in hora illa, vt  
mollificetur tensio, deinde intromittatur index inuictus, & digiti plurimi in eo, quod  
est intra matricem, & corpus quod retinetur. Ex quo luce clarius redditur Pauli lo-  
cum. 6. lib. cap. 74. tam Græce, quam Latine, deprauatum esse: vbi tensionem, tum  
temporis remittendam esse negat: cū tñ affirmatiua sententia legi debeat, vt nimirū  
detur locus intromissioni, & circumactioni digitorum, & permutationi vncorum,  
qui post primam attractionem, ad superiores partes sunt transferendi, ac infigen-  
di: idq; faciendum est, donec perfecta fiat fœtus extractio. At vero, si caput (vel na-  
tura, vel hydrocephala affectione aquosa, magis tumidum) impactum fuerit, scalpro  
incidendum est, atq; ita euacuatum, ac contractum, extrahendum. Quod si neque sic  
prodierit, caluā contundere oportet, & ossa digitis eximere: si vero ossa eminuerint,  
per

per forcipem dentarium, aut ossarium auferre, ac tum demum vncum infingere, ac  
fœtum extrahere. At si capite progresso, circa thoracem coarctatio fiat, itidem scal-  
pro, loci circa clauiculas, dissecentur vsq; ad vacua: vt humore vacuato, moles tho-  
racis confidat. Si vero nimis venter inflatus fuerit, mortuo fœtu, aut hydropico exi-  
stente, eadem methodo vtentes, ventrem dissecabimus, ac intestina eximemus. Si ve-  
ro manus protensâ fuerit, ab humero resecetur: oportet autem linteo obuolutum, vt  
ne elabatur, aliquantulum extrahere, quo sic humeri articulus exeratur: & postea  
sinistram manum immittere oportet, ac caput dirigere, & ita fœtum educere. Idem  
faciendum est, vbi ambæ manus fuerint protensæ: similiter etiam pedes protensos, re-  
liquo corpore, non consequente: ab inguinibus resecare oportet. At si duplicatus fœ-  
tus occurrerit, & dirigi non poterit, si caput magis expositum fuerit, ossa eius conte-  
remus, cute non dissecta: deinde alicui eius parti, vncum infigemus, ac attrahemus,  
& cruribus directis educemus. Sed si crura magis exposita fuerint, coxæ articulū  
resecabimus, & ita coxas trasgrediemur, vt caput fiat cōtritioni facile paratum. Si  
vero duplicatio, pertinacior fuerit, pedibus magis expositis, caput circa coarticula-  
tionem, ad vertebrā amputetur: deinde trasgresso thorace, pedes attrahantur. Si ve-  
ro reliquis partibus ablatis, caput recurrens detineatur, sinistra manus oleo illita, in  
vteri profunditatem immittatur, & caput requiratur, & per digitos, ad vteri os de-  
uoluetur, & vnum, aut duo, attractoria instrumēta infigantur. At vero, si osculum  
vteri, ob inflammationem fuerit cōclusum, nihil violenter agendum est, sed infusio-  
nibus pinguibus, large vtēdū, in seccionibusq; ac irrigationibus, & cataplasmatibus: quo  
inflammatione aliquatenus sedata, & osculo dilatato, fœtus (velut dictum est) educa-  
tur. Vbi vero integram fœtus seccionem fecerimus: omnes eius partes componan-  
tur, diligenterq; obseruemus, ne aliqua desit, aut interius clā nobis relinquatur: dein-  
de secunda protinus educatur. Tanta vero est, obstetricū nostri temporis imperi-  
tia, vt ad vacarum custodes, qui ægre parientibus vacis, opem ferre assueuerunt,  
cōfugere interdum sit necessariū: & memini me Cordubæ, custodem quendam accersi-  
ri iussisse, vt partui difficili subueniret (fœtus enim mortuus, & tumidus erat) Hic  
manibus suis, costas demortui fœtus, fregit intus: & sic fœtus corpore, in se considē-  
te, datus est partioni locus, quæ nō multo post sequuta est, sine ferramentis & vncis.  
Desideranda quoq; est, in nostris chyrgis ea peritia, & manuum dexteritas, quam  
Franciscus Valeriola. 5. lib. obseruationū medicinaliū, cap. 2. Arelatenses chyru-  
gos, habere prædicat. Ij enim (inquit) ambabus manibus, in pudendum mulieris inie-  
ctis, puerum circumuoluunt, & in ostium vsq; pudendi demittunt, nisi vehementer  
in alto impactus sit infans: quod si sit, tum vncinis detrahunt. Si secundum dorsum,  
aut latera, consistat fœtus, ambabus manibus dirigunt, quoad in caput fœtum conuer-  
tant: quod magna dexteritate faciunt: quo perfecto, vncinis ad clauiculas affixis,  
vi tota enixi, fœtum integrum (salua atq; incolumi matre) extrahunt. Fœtu extra-  
cto, & interim dū extrahitur, odoribus roborandæ sunt, iusculis, cōsumatis, vitellis,



et vino rubro. Vntri præterea, et locis muliebribus, linthea calida et odorata, sunt imponenda: omnes enim dum chyurgia administratur, frigore tanguuntur. Quod si emorrhagia subsequatur (vt magna ex parte subsequi solet) locos muliebres fouet Valeriola, vino in quo inferbuerint rosa, absinthium, folia myrthi, arthemisia, et gariophyli. A fotu vero, illinit eadem loca vnguento comitisia. Ore autem propinat, puluerem diamargariti frigidi, et diambre, in aqua buglosi, et vino. Vlcuscula vero, ex vi illata coorta, abluit vino decoctionis equiseti, et centinodia, cum pauco melle rosato, moxq; illinit vnguento è pompholyge. Mulierem quoque refert, cui post eductum infantem, vrinæ stillicidium accidit, ob colli vesicæ musculus resolutum: quam longo temporis tractu persanauit, demissa muliere in oleum calens, in quo folia lauri, betonica, saluia, libanotidis, origani, pulegij, cum floribus chamæmeli, roris marini, et Stæchados præbullierant. Ab infessu vero illinebat, vnguento parato, ex oleis lumbricorum, liliaceo, et vulpino, in quibus catelli pingues, ad dissolutionem ossium, à carnibus inferbuerunt, et expressione facta, addebat styracis calamitici, hēzuini, opopanacis, olibani, maceris, nucis myristicæ, ana drac. j. aquæ vitæ ter desillata, adipis anserini, et ceræ quantum sufficit. Sicq; mirificū vnguentum parauit, quo, quum totos menses duos, vsa esset, integrè leuata est. Et plures postea filios peperit.


Ad secundas eijciendas. Cap. ix.



**D**M infans nascitur, ex secundis per vmbilicū propēdet. Debet autē obstetrix, statim ac ipsū recepit, mulieri alteræ tradere, ex Arnaldo, et vasa quæ in vmbilicū terminantur (la vid appellāt) semel aut bis, sinistro brachio circunducere. Manum autem dextram, per eadem vasa ductam, in vteri fundum immittat, et vnguibus suis, secundas ipsas vulneret, atq; diuellat, vt si fieri potest educantur: retentæ enim multorum malorum, et interdum etiam mortis causa sunt. Si separari nolint (quod vix fiet vnquam, si perita est obstetrix) incidatur vmbilicus, ne multa mora lædatur infans, et vasa dicta manu teneantur. Iterumq; curet obstetrix, earum tentare educationem. Quæ si non exeant, non sinantur dicta vasa retrocedere, sed ad coxam ligentur. Si autem incuria obstetricis, aut alia ratione, contigerit intro se recipere, tunc si sint ab vtero separatæ, et circa aliquam vteri partem, instar pillæ conuolutæ, facillima est ductio: sinistram enim manum calidam, oleo liliorum alborum, et dialthæa, illitam: in profundum immittere oportet, et arreptam secundam extrahere. Ab vtero vero separatæ esse intelligemus, si partus nouem menses compleuerit, et præeuntes non exiguos dolores, fuerit consequutus: Cum enim separantur, et ab vtero diuelluntur, huiusmodi dolores, reddi consueuerunt. Si vero partus est immaturus, et magni dolores, fœtus exclusionē, nō præuenerunt, conycere oportet, secundas vtero adhuc esse innexas, quo casu similiter quidem

quidem in mium immitteremus, verum apprehensas secundas, non statim recta attrahemus, propter prolapsus vuluæ timorem, et ne disrumpantur ipsæ, maximè cum diutius retentæ fuerint: vix enim, educi postea potest, pars quæ remanet matrici innexa. Sensim ergo nulla violentia adhibita, primum in obliquum placide ducemus, hac et illac obuertentes: deinde aliquanto validius attrahemus. Quæ si non exeant, ligandæ sunt, ad vtramq; coxam, ligatura non admodum stricta: et sternutamenta tunc sunt prouocanda, osq;, et nares, claudantur diutius: sic enim, aëris impetu infra facta, exhibunt. Quod si ne sic exeant, aut vteri os clausum fuerit, perturbari nō oportet: intra paucos enim dies, putrescēt, et in saniem dissolutæ excident. Quare per sinistræ manus digitos illitos, aperire, ac paulatim dilatare os vteri conabimur: et intus suppurantia medicamenta infundemus, vt secundæ putrescant, et sensim expellantur. Probatissimum autem, experti sunt autores, vnguentum basilicum, quod in multo oleo liliorum, aut amigdalorum dulcium, est dissoluendum, vt per cānam, aut syringam injici possit. Et si opus fuerit, ad detersionem putridi, aut mel rosaceum, aut syrupum de succo absinthij, per interualla addere oportet. Ore vero, aliquod, è supra dictis medicamentis valētioribus, summat: è quibus ego argentariorū chrysocolam, vel accipitris sterces, drachmæ pondere, in vino aut mulsæ, soleo propinare. Suffitibus insuper vtemur, per aromata ex olla, qualia sunt castia, nardus, iunci odorati flos, arthemisia, iris, sabina, dictamnium, pulegium, et huiusmodi, ita vt olla, sellæ supponatur, cui mulier insideat, vndiq; vestimētis contacta. Emplastrum quoq; maturatiuum dictum, toti vntri imponatur. Aut. R. Stercoris vacini, vini albi, et mellis ana, coque, et adde fenugracū, seseli, chamæmelū, et lauendulā, fiat emplastrum, et imponatur vteri. Sternutamenta, vomitiones, et pessi adhibeantur, ex ijs quæ supra retulimus. Vbi autem secundæ detinentur, et plurimus sanguis effluit, laudatur Rondoletio, charabe puluerati, drach. j. in vino: nam vrinæ mouet, secundas pellit, et sanguinem fluentem retinet. Quoniam autem dum secundæ putrescunt, ob graueolentiam, caput replent, et obturant, ac stomachum subuertunt: odoramenta conuenientia, assiduè suffiri debent: qualia sunt styrax, et pastilli odorati, supra descripti, et gariophyli triti, et permisti aqua è floribus aurantij, lauri folia, et rosmarinum.

Ad vteri molam. Cap. x.



**D**M gignens, quæ in semine vis residet, à menstruis copiosioribus obtunditur, vt minime possit obtinere, mola fit, vt scribit Hippocrates, lib. de sterilibus, et .i. de morbis mulierum, in hæc verba. Mole conceptus hæc causa est: Quum multi menses, exiguum et morbosum semen exceperint, neque conceptus rectus fit, et venter plenus est veluti prægnantis, nihil autem in ventre mouetur, neq; lac in mammis generatur, mammae autē turgidæ sunt. Hæc igitur ad

ad duos annos, sæpe etiam tres sic habet. Quibus verbis mole essentiam (quod scilicet non sit uteri tumor induratus, ut censuit Paulus, sed caro informis, uteri tunicis adhaerescens, quæ fœtus modo in lucem edi potest, ut ex aliorum sententia, idem Paulus refert, lib. 3. cap. 69.) causam etiam tam materialē, quam efficientem, simul & generationis modum, & signa quibus mola deprehendatur, à veraq; prægnatione distinguatur, Hippocrates edocet. Hæc tamen inditia, non statim manifesta se exhibēt, sed in quibusdā adeo sunt obscura, ut per initia de fœtu cōcepto sit suspicio, Paulo autore loco citato. Nec si inditia alia addas, Hippocrati notata. 5. Aphor. sent. 61. multum lucis addes, ut ab initio molam dignoscas: ita enim eo loci, reliquit scriptum. Si mulieri purgationes non prodeant, neq; horrore, neq; febre accedente: verum cibi fastidia ipsi accidunt, hanc in ventre habere existimato. Quæ inditia, non modo prægnationem, sed mole etiam initium commitantur: horror præterea, atq; febris, ut molis desunt, ita cum vera prægnatione, interdum coniunguntur. Fastidium vero, accidens est, utriq; commune. Venter insuper in ea intumescit, & vbera turgent, ob menses cohibitos ulterius progressa prægnatione. Aliqualis etiam motus (ex flatu locis mulieribus coacto, & intercluso, qui exitum sibi molitur) nobis ad tertium vsq; atq; quartum mensem, & ultra interdum imponit, ut de vera adhuc prægnatione suspicemur. In quibus tamen minus decipiemur, si motionis modum inspiciamus: huc enim, & illuc, quodam velut viventis impetu, subsultat fœtus, & sub manu gesticulatur: in flatu vero, huiusmodi subsultiones non deprehendas, sed ventris tantum distentionem, & intumescētiā, dum exitum quaerit flatus: & detumescētiā, ac contractionem, cum quadantenus fuit discussus, & euauit, percipies. Quin ab initio (si diligentem animum aduertas) non leuem coniecturam capies, nam in mole gestatione, quid graue, & infixum, interdum in uteri ostio, aliās in vniuerso uteri corpore, ab gestante percipitur, quod lapidis, aut pali, infixi, duritiem refert, secus ac cum fœtus ex natura gestatur. Maciem præterea, de prauatum colorem, & cibi fastidium, attendere oportet: quæ in mola, quam in prægnatione, magna ex parte, eo sunt deteriora, quod prauior sanguis, habētibus præternaturā insit, qui ad cutem efflorescens, colorem fœdat: ventriculum afficiens, eius deijcit appetentiam: & ad membra appulsus, male nutrit. Gestatione vero ulterius progressa, si motus rei viventis, & velut subsultantis, desit: simul & turgidæ mammae, lacte careant, firmior est mole coniectura. Cum vero tempus partioni statum, præterit sine partu, & venter pulsquam in vera prægnatione turgēt, tunc nec è media plebe mulierculis, latet affectus. Nam & ab hydropa, hoc ipsi intercedit discriminis, quod tumor durus sit, nec sonus, ad digitorum percussiones similis fiat: quamuis & cum intenditur, in aquam subtercutem, re vera degeneret, ut Paulus scribit loco citato.

Alimenta ergo boni succi, his sunt offerenda, potus sit vini, in quo ruta & anethū, cocta fuerint. Ex utraq; saphena vacuetur sanguis, ut alimentum mole subtrahatur,

hatur ex Auicenna. Cucurbitule quoq; cum scarificatione, ventri sunt imponendæ, ex Aëtio, ut ex ipsa parte vacuetur sanguis, & attenuetur mola. Pareatur humor purgandus, syrupo de arthemisia, postea purgetur frequenter, cum semuntia hæræ logadij, aut cum gran. iij. stybij calcinati. Vomitus quoq; est imperandus, cum raphano, in quo fustes ellebori albi pernoctarint. Debet autem teri raphanū, & dissolui in aqua mellis, & pauco aceto, & post aliqualem moram in stomacho, prouocetur vomitus cum pennis gallinæ, oleo perunctis. Extra, & intra, imponatur primo emollientia, deinde acriora dicta, ad partus refractarios, ad fœtum mortuum, & secundas eijciendas. Vtilia sunt Balnea naturalia, aut ex aqua marina parata. Vtile quoq; est dum attingi potest, nouacula molam ipsam scarificare, & unguentum basilicum, intus ad putrefaciendum injicere, ut in secundis detentis diximus. Valet ad vltimum frequenter sumere, drach. j. sequentium pillularum. R. borracis, drach. j. charabe, asari, cinamomi, nigellæ romanæ, & vulgaris, sabinae, ana drach. j. galbani, assæ fœtidæ, opopanax, bdely, ana scrup. ij. formentur cū melle scyllitico. Quod vero Paulus, & Auicenna, non modo exercitium, ijs quæ molas gestant adimant, verum etiā in lecto eas contineant, ita ut pedes habeant elatiores, quietosq;: ad initium cum corpus plenum est intelligatur: fluxione enim, ex motu concitata, vberius alimentum suppeditabitur mole. In progressu vero, cum eam eicere est animus, & exerceri, & saltare conuenit. Hic autem error in Paulo, ex morbi essentia male intellecta pendet, cēsuit enim, quod mola esset tumor uteri. Auicēna vero, quamuis morbi essentiam intellexit: curationem tamen inaduertenter, ex Paulo transcripsit. In qua etiam nunquam mihi placuit, quod Auicenna molam exsiccat, ventrem insolando, nitrum etiam ac sal. aspergendo. Durior enim, hac ratione reddetur mola, & loci muliebres adeo refractarij, ut per eos facile pelli nequeat. Satius autem Paulus, in capitis sine, ita scribit. Caterū sunt qui molam, carnē asserant informem, ipsis vultu tunicis adhaerescētem, fœtus modo in lucem edi. Atq; hæc morbi species, victus ratione laxanti tractabitur, quo citius excutiatur. Qua sane curandi ratione, in uxore sua, recte, & ex arte, vsus est Franciscus Valeriola. x. libro obseruationum, curatione in quem. Vsum sequentem fotum, cum filtris ventri, inguinibus, lumbis, & coxendicibus frequenter adhibuit. R. althæe, maluarum, cum suis radicibus, ana. M. j. radicis aristolochiæ rotundæ, & lögæ (quæ apud Dioscoridem, lib. 3. cap. 4. summas vires partū facilitandi habent, præsertim longa) ana. M. j. foliorum arthemisiæ, mercurialis, matricariæ, saluiæ, hyssopi, & calamenti, ana. M. ss. semini lini, althæe, fenugræci, anisi, libystici, ana vnc. ss. florum chamæmeli, meliloti, rorismarini, genistæ, & arthemisiæ, ana P. j. furfurum. Pug. ij. coque in aqua & oleo, & cum filtris admoue. A fotu, dictas illeuit partes sequenti linimento. R. dialthæe, vncias. iij. emplastri filij Zachariæ, vncias. ij. butyri recentis, vnc. j. ss. assungie gallinæ recentis, & anseris, ana vnc. j. medullæ crurii vacæ, vnc. j. styracis calamitæ, drach. ij. pulpæ colocynthidis, pulueris radicis vtriusq; aristolochiæ,

lochiae, ana drach. j. oleorū de lilio, & violacei, quantū sufficit, misce, & fiat linimen-  
tū. Post hæc localia, admonit vesicas suillas plures, oleo (in quo prius ebullierāt mal-  
ua, hyssopus, calamintha, arthemisia, cum floribus suis) semiplenas: & confestim le-  
uamen sentire se affirmavit, graueq; pondus, ad pudendi ostium descendere: & pau-  
lo post, obstetricis ope prodijt. Ore vero sequentem potionem propinauerat. R. cinamo-  
mi electi, myrrhæ electissimæ, ana drach. β. pulueris aristolochiæ longæ, drach. j. pul-  
ueris diābræ, & diamargariti frigidi, ana drach. β. fiat puluis tenuissimus, de quo de-  
tur drachma vna, aut scriptuli quatuor, in decocto hyssopi, & phasiolorum. Aut R.  
interioris cinamomi electi, drach. j. myrrhæ electæ, scrup. iij. pulueris aristolochiæ lō-  
gæ, scrup. ij. syrapi de arthemisia, vnc. ij. decocti maluæ, & petroselini macedonici,  
quantū sat est, pulueris diamargaritonis frigidi, drach. β. misce, & potui præbe. Pro-  
derit quoq; à tota substantia, & recōdita vi, lapis Aëtites, sinistrae coxæ alligatus, cu-  
ius vna mirandam, & ab omnibus autoribus celebratam (vt verum fatear) nunquā  
credidi, donec apud Franciscum Valeriolā, medicum insignem, probum, pium, & val-  
de me iudice Christianum. i. lib. suarū obseruationū, cap. vlt. huiusce lapidis vi, mo-  
lam (quæ globus erat membranaceus, totus innumeris bullis, instar ouorum piscium,  
rotūdis, tumidis, pellucidis, diluta, ac foetida sanie plenis, refertus) eiectam legi. Quæ  
eiecta, lapidem mox amouere iussit, ne (quod autores dicere solent) si diutius perst-  
ret, vi sua potente, matricem attraheret. Cuius infortunij, oculatum testem, se fuisse  
perhibet, in cuiusdam prætoris vxore, cui difficili partu laboranti, cum muliercula,  
lapidem aëtitem magnum, cruri adligassent, & edito partu, (per imprudentiam &  
obliuionem) nō amouissent, post paucas horas, foras prodeunte matrice, mors miseræ  
laborāti, fuit cōsequuta. Nec tamen, si molā eiecit mulier, iā salua res est, quoniā  
frequenter exanimatur, & intereunt, quæ molā eiecere, præsertim si integra, tota si-  
mul, & non frustatim, ac per vices prodeat. Tum quoniā integræ molæ enixus, &  
parturitiō, adeo est difficilis, vt prius vires in maximis conatibus deficiāt, quā è cor-  
pore deturbetur mola: tū ob ingentem, & simultaneā integræ molæ vacationem,  
quā vires in enixu imbecillæ reddite ferre nequeūt. Quod voluit Hip. i. de morbis  
mulierū, & libro de sterilibus, in hæc verba. Si mola vna caro fuit, mulier perit, neq;  
enim fieri potest, vt superstes maneat. Si vero plures, erumpit ipsi per pudēdum san-  
guis carnosus plurimus. Et si hoc moderate fiat, seruatur: sin minus à fluxu correpta  
perit. Summopere igitur cauendum est, ne virium robur dissoluatur, æris bona  
tēperie, & nitore, odoribus, & odoratis epithematibus, iusculis, & cōsumatis, ex gal-  
linarum, caponum, atq; perdicum carnibus, vino rubro, inter nigrum, ac album me-  
dio, quod præcipuè, implet corpora euacuata, & adiectione indigentia, vt scribit Ga-  
lenus. 2. Aphor. com. xi. Vtilis etiam est, cōfectio manus Christi appellata, cui etiam  
præter margaritas, tantundem corallij rubri præparati addere licet, & gariophyllo-  
rum puluisculum: sic enim vires seruantur, ne (quod sæpe contingit) sanguinis nimio  
fluore deficient.

Quid

Quid enixam facere conueniat.

C A P. XI.



PART V, enixæ ianæ sint clausæ, & omnia spiracula, quibus  
aut vêtus aut frigus intrare possint, occludantur. Sit aër odorus,  
& nō multū luminosus, linteis quoq; calidis, styracem redolētib;  
fascietur. Ligatura, nec sit nimis laxa, nec valde arcta. Nisi  
enim fasciæ vêtre cōprimāt, aère subingrediēte locū fœtus, vteri  
inflatio mulieribus euenit. Et si plus iusto cōprimantur, minus  
quā decet purgantur. Vnde Aëtius, serm. 4. 4. tetrab. cap. 25. ventre earum quæ pe-  
pererunt, vbi purgationes nimitū procefferint, lōga fascia vincire iubet, vt purgatio-  
nis immoderantiam corrigat. Calidū lectum intret, caput quoq; & cerebrum à fri-  
gore custodiantur, crura ita componantur in lecto, ex Aëtio, vt partes distractæ cō-  
ueniant. Leta aliqua, tum ei dicatur, & promittantur. A motu etiam in lecto, quo  
ad potuerit abstineat. Sumat statim corticem citri conditam, parum assam, & vi-  
no aromatum infusam. Desuper autem, sumat ius gallinæ pinguis, cum drach. j. se-  
quentis pulueris. R. casia aromaticæ, drach. iij. adianthi, drach. ij. iulorum nucū, se-  
minis citri, ana vnc. β. radicū valerianæ, drach. j. β. tere & denso cribro extrahet.  
Ab huius sumptione dormiat. Cibus primo die, sit ius gallinæ: & pastinaca condita,  
& sæpius offeratur, ac aquæ potus vitetur, ex Aëtio. Diebus vero sequētib; vsq;  
ad nonum, ipsa etiam gallina elixa nutriatur parua admodum quantitate. Post no-  
non diem, si febris, aut aliud symphoma, nō superuenerit, assa & elixa propinetur.  
Semper tamen cauendū est, à multa quantitate, & victus ratione crassa: quæ fe-  
brem inducit, debilitat hepar, sitim multiplicat, & si bibant pro sitis ratione, fit hy-  
drops: ex qua, præsertim si iecur indureseat, nunquam euadunt. Initium mensæ, sit  
pastinaca assa, in vino mersa, aut sacharo vel melle cōdita, aut spinachia, in iure gal-  
linæ elixa, aut pruna bullita, in aqua sacharata. Mēsam claudat dactylis, tamaris, ra-  
dice palmæ, cortice citri, aut carne duracimorū cōditis. Si venter nō sit lenis, vtatur  
chysteri, ex oleo chamæmelino, & sacharo, aut melle coctis, in aqua naphæ, aut ma-  
tricariæ, donec spumā vomerit, & si opus est, loco sachari, ponatur manna.

Menstruus sanguis, in ijs quæ pepererunt, debet expurgari ad minus, quindecim  
aut viginti diebus. Et si huiusmodi purgatio, duret triginta diebus, in ijs quæ mascu-  
los pepererunt, aut quadraginta, in ijs quæ fæminas, sana deget mulier, & ad alios  
conceptus, reddetur opportuna. Huius autem purgationis defectus, plura mala, fe-  
bres prauas, & apostemata solet inducere. Quare si menses nō fluant, aut ex im-  
petu sanguinis qui expurgatur, nouerimus purgationem, nō esse integram futuram,  
(iuxta Gal. 9. lib. Methodi) arte est supplendum, quod natura defecit. Quin immo si  
mulier sit ex ijs, quæ sanitatis tempore male menstruare sunt solitæ, in qua iusta ra-  
tione timebimus, menstruæ purgationis defectum, ob hunc timorem, ne natura, ab  
eius-



## Tractatus secundus

eiufmodi vacuatione defistat, etiam si menses recte fluere videantur, iuuanda est, ex Auicenna. 21. 3. tract. 2. cap. 40. Quod ad hunc modum fiet, tenuior victus istis adhibeatur, adeo vt sola iura, cum multo cinamomo, tenuissime cribrato videantur sufficere, ne sanguinis redundantis, & cibi copia grauata natura, concidat. Et si caro sumenda sit, ex pullo elixo sumatur. Decoctum origani bibant. Bis die sumat iulep de adiantho, vnc. vj. aut totidem decocti pulegij, ac fenugraeci, quo vtitur Aetius, cui si vim intendere oportet, addemus radicis paeoniae pulueratae, scrup. j. laudatur etiam lac ficus in oui vitello sumere. Venter ab umbilico infra, vngatur dialthaea, & oleo liliorum alborum, & laurino. Sternutamenta sunt vtilia, suffumigetur puluere myrrhae, aut oculo piscis saliti, aut vngula equi, aut asini, aut alijs delibratis, tritis, & prunis superpositis. Vtilia sunt suppositoria, ex mercuriali contrita, adhaec ex ruta & croco, carica praeterea pinguis aperta, & supposita valet per se sola, fitq; vtilior, si pulueretur moscho, & croco. Haec enim omnia vterum purgant. Maxime etiam comendatur in seffus, in decocto maluauisci, brioniae, & arthemisiae, facto in aqua mulsa, & quarta parte vini. Si vero neq; sic menstrua pro ratione eant, ex vtraq; saphena sanguis vacuetur, per eam enim auertuntur mala, quae timeri possunt, & menstrua in super ciuntur. Vena poplitis secta vtilior est, quam saphena, ex Auicenna loco citato, quam tamen non consulo, nam nec chyrurgi eam secare norunt, nec mulieres detegi ea parte sustinent, neque enixa sine periculo prorsus deteguntur. Notanda vero est hic curatio: 10. quam Franciscus Valerius. 5. lib. obseruationum, adhibuit helenae senegariae. Haec enim cum secundo a partu die, se se in lecto eregerit, ac plus iusto detexerit, rigore & febre valida tentari coepit, cui mox dextri lateris pleuritis suborta fuit: ipsiq; sanguis pondere vntiarum sex, fuit ab interna dextra detractus, etiam si purgationes recte prodijissent, & morbus ab externo frigore admissio coeperit. An vero rectius ex pede, tam exiguus sanguis, fuisset huic laboranti missus, viderint alij. Quod enim venae sectio ex brachio, menstruas purgationes renellat, ex Galeno didicimus, quodq; in enixis eiusmodi purgationes, maxime sint seruanda, ac cienda monuimus. Sed iam hic esto finis, morborum enim, tum foeminarum, tum puerorum pellendorum ratio, altero libro a nobis paratur.

¶ Explicitus est liber, de regimine infantis,  
praegnantis & puerperae.

Cum multa alia, praelo essent nunc nobis cudenda, regia & apostolica cauit maiestas, ne aliud quam bullas cudere, nostro liceret typographo. Vt iam nobis non desit responsum Oratio inquirenti, Amphoram fingere coepimus, currente rota curvaceus exit? Vbi tamen typographo licuerit, prodibit ocysime. Interim vero, haec studiosi, aequo accipiant animo.